1461

ANNALES

ORDINIS CARTUSIENSIS

IMPRIMI POTEST.

FR. ANSELMUS-MARIA Prior Cartusiæ.
Kalend. Februar. M. DCCC. LXXXVIII.

IMPRIMATUR.

† DESIDERATUS-JOSEPH, Episc. Atrebat.,
Atrebat., Nonis Februar. M. DCCC. LXXXVIII.

ANNALES
ORDINIS CARTUSIENSIS

AB ANNO 1084 AD ANNUM 1429

AUCTORE

D. CAROLO LE COUTEULX

CARTUSIANO

NUNC PRIMUM A MONACHIS EJUSDEM ORDINIS
IN LUCEM EDITI

VOLUMEN SECUNDUM

MONSTROLII
TYPIS CARTUSIÆ S. MARIÆ DE PRATIS
M DCCC LXXXVIII

ANNALES

ORDINIS CARTUSIENSIS

SECULUM PRIMUM PROSEQUITUR

JESU CHRISTI ANNUS 1142.

Innocentii PP. II Ann. 13.	Ord. Cartus. Ann. 59.	S. Antelmi Pr. Cart. Ann. 4.

I. SEQUITUR annus millesimus centesimus quadragesimus secundus, Indictione quinta, apud Cartusienses singulari nota dignus ob primi Capituli generalis celebrationem. Jam olim quidam Priores a B. Guigone illiusque successore Hugone instanter ac enixe postulaverant, ut illud congregaretur ageretur que singulis annis in Majori Cartusia nostri Propositi matre. Justæ illorum petitioni satisfacere Guigo habuerat in animo, consiliumque adeo utile ac Cartusianæ disciplinæ conservandæ necessarium perduxisset ad exitum, nisi mors nobis eique tantum invidisset bonum. Hugo propriis viribus diffidens, tam arduum opus adoriri non ausus, Prioratum abdicavit. Antelmo, viro præcipua quadam Dei gratia apto ad omnia, in illius locum suffecto, quinque ex celebrioribus totius Ordinis Prioribus instliterunt ut tanti negotii curam executio-

PRIMUM CAPITULUM GENERALE CELEBRATUR.

Olim sine effectu attentatum.

ANNUS 1142

Aggreditur Antelmus.

Quibus conditionibus.

nemque subire vellet. Consilio itaque pro re tam gravi cum Hugone Gratianopolitano episcopo et Cartusiæ Monachis capto, Priorum postulationi annuit Antelmus, his tamen præcipuis conditionibus, videlicet: ut unusquisque Prior a proprio Episcopo liberam se suosque subditos Capitulo generali subjiciendi potestatem, et a suo Conventu certam ejusdem Capituli decretis obediendi promissionem obtineret. Quod et factum est, impetratis a cunctis Præsulibus, in quorum diœcesibus sitæ erant Domus Ordinis, autenticis literis. Capituli generalis institutio Basilio Antelmi successori fuerat hactenus tributa; sed hunc honorem Antelmo deberi deteximus tum ex Portarum Cartulario, tum ex Montis Dei codice (quem hæc scribentes præ manibus habemus) eodem, ut ex charactere apparet, tempore conscripto, ubi primi illius generalis Patrum Conventus notitia his verbis habetur: « Omnibus sanctæ et catholicæ Ecclesiæ fidelibus præsentibus et posteris notum sit, quod Cartusiensis Propositi Priores, Portarum videlicet Bernardus Prior, et Excubiarum Soffredus Prior, Durbonis quoque Prior Lazarus, necnon et Majorævi Prior Stephanus, atque Alveriæ Prior Joannes, diu pro tenore et stabili firmitate præfati Propositi a Prioribus et Fratribus Cartusiæ petierunt, quatenus in eadem Domo Cartusiæ commune Capitulum eis liceret habere, obtentu correctionis et emendationis totius Propositi. Hac igitur precum instantia et quasi importunitate assidua, Prior Cartusiæ Antelmus cum Fratribus suis, consilio Domni Hugonis secundi venerabilis Gratianopolitanæ Ecclesiæ episcopi, tandem consenserunt hac tamen conditione ut singuli Priores, acceptis ab Archiepiscopis et Episcopis suis et a communi Capitulo Fratrum suorum literis, in quibus generali Capitulo omnium quæ corrigenda et emendenda in ipso Proposito essent daretur potestas, per omnes Domos annotato die convenirent. Accepto igitur cum gratiarum actione tam desiderabili consensu et literis impetratis, die, qui prænotatus fuerat, convenerunt; et quoniam ab Archiepiscopis et Episcopis et ab ipsis Capitulis consimiles datæ sunt literæ,

Qui Priores illud procuraverint.

In Cartusia celebrandum.

Consentiunt Episcopi.

placuit unas Episcoporum et unas Capitulorum inscribere literas hunc modum continentes: Falco Lugdunensis Ecclesiæ Minister, dilecto Fratri Antelmo Cartusiæ Priori cunctisque Prioribus sub Cartusiensi Ordine Deo militantibus et qui cum eis sunt Fratribus, paupertatis præmium a Domino obtinere. Domum Portarum, et Domum Majorævi vestræ Religionis æmulas, pro voto et petitione sua ad tenorem et confirmationem Ordinis vestri, sicut communi consilio Capituli decretum fuerit, episcopali autoritate concedimus et tradimus vobis et successoribus vestris in perpetuum corrigendas. » Præfatæ Falconis literæ habentur in Cartulario Portarum. Similes quoque ac ejusdem prorsus sententiæ a Guillelmo episcopo Vapincensi in gratiam Durbonensis Domus datæ asservabantur in Tabulario Majoris Cartusiæ, quæ nupero incendio periere. Conventuales uniuscujusque Domus eumdem in finem, suum pariter consensum præbuerunt scripto instrumento cujus exemplum in citato Montis Dei codice his verbis describitur: « Patribus et Dominis Reverendissimis A.* Dei gratiæ Cartusiæ Priori, et qui sub ejus regimine Christo militant Fratribus, Portarum Fratres universi pacem et salutem æternam a Domino. Quod tandem assensum præbuistis ut ad Domum vestram, quæ nostri Propositi mater est, nostræ et cæterarum Domorum Priores, opportuno sicut statutum fuerit tempore conveniant, ut de his quæ ad unitatem ac stabilitatem sive firmitatem Ordinis nostri valent, diligentissime tractent, non solum concedimus et laudamus, sed etiam cum gratiarum actione suscepimus. In omnibus igitur quæ ad tenorem Ordinis nostri et confirmationem pertinent, sicut universalis Capituli communi consilio decretum fuerit, concedimus et tradimus vobis et successoribus vestris Domum nostram in perpetuum conservandam atque corrigendam. Hujus itaque universalis Capituli decreta per singulas capitulorum distinctiones placuit annotari, etc. » Hic describebantur Ordinationes sive decreta (ut ibidem nominantur) septem numero, quæ tomo primo horum Annalium edidimus. Quibus exscriptis sic in codice habetur: « Ut

ANNUS 1142

Cartular. Portarum.

Inventar. mss. lit. c. 26.

* Antelmo.

Quomodo Priores obedientiam præstant Cap. gen.

Tom. I. p. 100 et seqq.

ANNUS 1142

igitur hæc omnia instituta, quæ ad sanctæ hujus Religionis firmitatem atque indeficientem stabilitatem pertinent, a sanctis viris utiliter inventa et saluberrime considerata perpetuam habeant perseverantiam, cuncti Priores humilitatis vestigia sequentes, sese huic sanctæ disciplinæ et perseveranti correctioni cum omni devotione subdiderunt, et hujus obedientiæ jugum suave et onus leve, infatigabiliter atque indeficienter se ferre professi sunt his verbis : Ego Frater Stephanus Prior Majorævi promitto obedientiam communi Capitulo. Aderat autem præsens, quod prætermittendum non arbitramur, venerabilis jam prædictus Episcopus ejusdem Cartusiensis Domus Pater et Monachus ; cujus manum, in qua omnes has præscriptiones tenebat, flexis genibus osculantes, hanc professionem fecerunt. »

TEMPUS HORUM COMITIORUM DISCUTITUR.

II. Nec dies nec annus, quibus prima hæc comitia habita sunt, in codice designantur. Ea tamen ipsa sancto Lucæ Evangelistæ sacra die coacta fuisse recte colligimus, quod alii generales Conventus Basilii Cartusiæ Prioris temporibus eadem feria sint celebrati. Nec etiam tardius nec citius hoc præsenti anno collecta fuisse censemus, his fulti conjecturis : non quidem tardius, nam Stephanus Majorævi Prior qui eisdem affuit, anno sequenti mense Maio defunctus est ; nec etiam citius, cum S. Antelmus electus tantum ante triennium non breviori temporis intervallo indiguerit, tum ad res suæ Domus disponendas tum præcipue ad cuncta rite præparanda quæ tantum negotium requirebant, maxime circa consensum quem quilibet Prior a suo proprio Episcopo literis consignatum obtinere habebat.

Quæ in eis sancita.

Quod spectat Ordinationes in hoc primo Capitulo generali promulgatas, eas omnes, ut jam monuimus, habes tomo primo excusas cum variis observationibus quibus hæ addi possunt.

Ex 1ª. Ordinatione.
Stat. Ant. p. 1. c. 1. n. 1.

Officium divinum uno ritu celebrandum.

Prima est Rifferium nostrum sua Statuta ab eisdem prorsus orsum fuisse verbis quibus prior constat Ordinatio in ipso codice ; nempe : « primum capitulum hanc habet continentiam, ut divinum Officium Ecclesiæ per omnes Domos Ordinis uno ritu celebretur. » 2. Hos ritus eosdem esse quos primi Ma-

joris Cartusiæ Patres autore S. Brunone admiserant. Quamobrem ne aliqua alia Domus a matre Cartusia successu temporis in hoc deviaret, sapienter in hoc articulo sancitum est « ut omnes Consuetudines Cartusiensis Domus quæ ad ipsam Religionem pertinent, unimode habeantur. » Et postea Guillelmus Raynaldi ad hanc uniformitatem confirmandam jussit « ut libri cum quibus divina Officia celebrantur, juxta exemplaria Domus Cartusiæ corrigantur. » Hinc orta est mirabilis illa omnium Cartusiensium consensio, qua factum est ut a primis Ordinis incunabilis ad hæc usque nostra tempora per cunctas Domos, nihil prohibente nationum varietate, una eademque rituum tam constanter servetur æqualitas. A divino itaque Officio, ait quidam Nostrum, tanquam a digniori parte optime tum primi hujus Conventus institutores, tum Antiquorum Statutorum cum Rifferio autores exordium sumpserunt. « Quia cum divinum Officium devote et reverenter celebratur, cætera melius succedunt, Deo gratiam largiente his qui devote ei serviunt.... » Unde et Innocentius III Clericis « districte præcipit in virtute obedientiæ, ut divinum Officium, nocturnum pariter et diurnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter et devote : studiose quantum ad officium oris, devote quantum ad officium cordis. »

ANNUS 1142

Consuetudines Cartusiæ susceptæ.

Stat. nov. p. 1. cap. 1. n. 2.

Glossæ mss. in Stat. Ant. p. 1. c. 1.

c. Dolentes 9. §. hæc igitur. Ext. de celeb. missæ, et in Gloss.

3. Notandum est, Capitulum privatum in his Comitiis fuisse quoque institutum. Ad quod tot Priores a Cartusiæ Priore convocandi erant, quot sibi ad causas occurrentes definiendas necessarios sive sufficientes, ut ibidem dicitur, ille censeret. Hac potestate vaga per centum circiter annos usi sunt Priores Cartusiæ. Sed ab Hugone secundo cautum est, ut quatuor tantum accerserentur ex magis discretis et idoneis, nec multum a Cartusia remotis, quique per Diffinitores in Charta capitulari ad hoc designarentur. Idque observatum est usque ad tempora. . . . . . . sub cujus regimine horum privatorum Conventuum celebratio abrogata est. Modus vero quo tenebantur passim habetur in Antiquis Statutis.

Ex 6 Ordinatione.

Stat. Ant. p. 2. c. 28 et 29.

4. Animadvertendum est strictissime prohiberi ne ullus

ANNUS 1142

Prior quisquis ille sit, audeat his consuetudinibus quæ vel ad divinum Officium vel ad cæteras quaslibet nostræ Religionis institutiones pertinent, sine consilio Capituli generalis demere aliquid vel addere. Solis enim Capitulis generalibus in cunctis Ordinibus licet aliquid mutare, et quidem respectu tantum Statutorum et Constitutionum quæ vim ab illis habent. Id patet ex Statutis Præmonstratensibus. Et nuper Romæ declaratum est, Benedictinos Congregationis sancti Mauri in suis Capitulis generalibus posse quæcumque Statuta tam propria quam peculiaria condere. Quantam vero cautionem nostri Antiquiores adhibuerunt, ne successores eorum hac potestate contra rigorem Ordinis servandum abuterentur, ex ipsis tum Antiquis, tum Novis Statutis apparet. Denique observandum est *Chartam*, ut vocamus, acta Capituli generalis continentem per plures annos ab his verbis initium habuisse : « Statutum est in Cartusiensi Capitulo ut, etc. » nulla facta mentione Septuagesimæ, quæ hujusmodi cœpit tantum præfigi Hugone II Priore Generali.

Ex 7 Ordinatione.

Statut. Proœm. in Bulla Julii 2.

Ex congreg. Regul.

S. ANTELM. INSTITUTOR CAP. GEN.

III. Porro Vitæ S. Antelmi autor videtur etiam innuere eum fuisse Capituli generalis Institutorem, dum eum dicit multarum bonarum consuetudinum et institutionum autorem ; et sub illius regimine exactam monasticarum constitutionum observantiam viguisse, non in prima Cartusia tantum sed etiam in aliis Domibus Ordinis. Sed eum audiamus post verba quæ ante tres annos retulimus, ita prosequentem :

Disciplinam tuetur.

« Sub ejus itaque manu et disciplina perseverando proficientes, indeclinabiliter regularia servabantur instituta ; non solum in ea Domo, sed in cæteris ejusdem Ordinis locis ; ipso suadente Prioribus florebat Cartusiensis Ordo, crescebat et multiplicabatur. Et si forte a paucis nimiæ videbatur austeritatis vel districtionis in subditos, plures tamen qui sanioris erant mentis, tali Patre gaudebant et sanctorum delectabantur exercitatione studiorum. Diligebat quippe suos Vir sanctus paterna pietate, providens eis in omnibus sicut mater super filiorum salute sollicita ; gaudentibus congaudens, cum lugentibus lugens ; aliorum damna sua æstimans,

ut cum Apostolo de sibi commissis dicere posset: Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? Visitabat itaque frequenter singulos, dulci mulcens eloquio; non solum animabus sed etiam corporibus providens necessaria, prout cujusque mores noverat ac qualitates. Noverat enim lenitate ac mansuetudine magis quam severitate commissa corrigere. Et cum sibi non parceret, aliis indulgendum fore existimans, et offensas pœnitentibus remittebat et omnibus alimentorum multimodique solatii præstabat beneficia. Infirmis animo vel corpore, seu tentatis, cura permaxima consolationis et salutis adhibebat remedia. Quos perfectiores attendebat, omni honore dignos credens, quasi Christum in eis venerans, in magna reverentia habebat; ita ut etiam eis humiliando assurgeret magister discipulis, præpositus subditis; nulli se parem existimans justitiæ meritis. Sed cum gratis et obedientibus sic facilis esset et benignus, ingratos et inobedientes seu arrogantes districte domans jugoque subjiciens humiliabat: digna dignis justo judicio pro meritis recompensans. Pœnitentibus vero mira compassione propitius erat. Intendebat itaque Vir sanctus Fratrum saluti cura vigilanti, vitia persequens, virtutes ædificans. Incitabat eos ad profectum, inæstimabilia proponens cum Christo præmia.

ANNUS 1142

2. Cor. 12.

« Eapropter hortabatur, beati Pauli exemplo, quæ retro sunt oblitis ad anteriora se semper extendere. Non autem his paucis tantum, sed et multis curabat prodesse. Fratrem etiam ipse traxit ad Christum, nam alter frater eum præcesserat; deinde traxit et patrem. Felix pater qui tribus filiis magnæ virtutis viris præcedentibus, ipse relicto mundo secutus est Christum! Felix qui tales meruit habere filios, qui caduca spreta hæreditate, sibi et patri compararent æternam! Felix felices secutus non jam filios, sed patres! Adventantes namque quos frequenter in Domo habebat hospites, animarum salutem quærentes, ad pœnitentiam et emendationem suorum provocans reatuum, prout cujusque mores aut qualitates didicerat, tam laicos quam clericos, tam seculares quam

Patrem et fratrem ad Christum convertit.

Omnes ad conversionem hortatur.

ANNUS 1142

Religionis professores exhortabatur. Qui omnes quippe homines salvos fieri cupiebat attendens illud Apostoli Jacobi : Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ salvabit animam ejus a morte. Exhortabatur, inquam, verbis quidem quanquam gravibus sed charitate plenis. Quæ si aliquibus gravia et odiosa, mitibus tamen levia erant et amabilia. Unde multi per ejus monita sunt correcti, multi a suis vitiis temperati, et sunt multi ad pœnitentiam tracti. Arguebat siquidem male viventes maxime literatos, nulla sua vitia tacens, adulari nescius, personas non accipiens, nemini parcens : non Episcopis negligentibus vel avaris ac munera exigentibus ; non Abbatibus super subditos parum sollicitis, vel non bona in se exempla exhibentibus ; non presbyteris incontinentibus ; non quibuscumque sanctæ Dei Ecclesiæ Præpositis vel ministris publice delinquentibus. Omnes enim eum timebant, sed duplici ac dispari modo : alii cum amore, alii cum odio ; alii amplectentes, alii indignantes ; alii blasphemantes, alii laudantes. Erant enim qui sanctum Virum rusticum dicerent et onerosum ; nemo tamen rectitudini zeli ejus audebat vel poterat obviare.

Jac. 5. 20.

CONSUETUDINES EDIDIT.

IV. « Multarum interea et ipse S. Antelmus bonarum consuetudinum Cartusiæ extitit autor. Instituit namque ut de his quæ Regula dictante didicerat, Fratribus nihil deesset, nihil unquam carum sentirent, sed quanticumque constarent omnia præpararentur, statutis administranda temporibus. Iis et aliis quibusdam commoditatibus hucusque observatis Fratres non fraudari, easque instituit non infringi ; ne solliciti de necessariis cogitantes, minus vacarent contemplationi et regularibus disciplinis. Terminos dilatavit et obstruxit. Mulieres, quas ingredi terminos ad id usque tempus non poterant prohiberi, exclusit. Nec omisit ædificiorum, prout visum est, quædam meliorare, quædam mutare, quædam vero nova construere. Agriculturæ, pastorum gregum, omnium denique ad Domum pertinentium curam gerere non negligebat. Nec hoc tacendum, quod aquæductus multo sed infatigabili labore fabricando, longis meatibus ad cellas,

Terminos dilatat.

coquinam cæterasque officinas aquarum tantam direxit abundantiam, ut jugi lapsu defluentium copia molendino postea constructo etiam sufficiat. Iis enim quæ taxata sunt et aliis quæ longum esset indagare ejus prudentia dispositis, Cartusia in spiritualibus et temporalibus multum profecisse probatur. Discant igitur Præpositi Religionum sancti Viri exemplo se et sibi credita, subditorum videlicet animas et corpora et cætera quibus præsunt, regere ac disponere. Erat enim sic mitis, ut suis locis et temporibus esset severus ; et e converso, gravitatem lenitate, lenitatem gravitate temperabat. Vincebat tamen in eo naturaliter insita Dei dono pietas et misericordia. » Hactenus acta, quæ alibi prosequemur.

ANNUS 1142

Cartusia in utroque statu proficit.

V. Hoc anno nostri Majorævenses ab Ambroniacensibus, quos sæpe his maxime primis temporibus, erga nostrum Ordinem beneficos et liberales experti sumus, jus pascendi in eorum terris obtinuerunt, accepta Charta ipsorum in nos amorem et existimationem stillante.

AMBRONIACENSES BENEFICI ERGA MAJORÆVEN. CARTUS.

« Ismio Ambroniacensium humilis abbas totusque Conventus, dilecto Fratri Stephano Majorævi Priori cunctisque Fratribus in ejus Domo Christo Domino devote famulantibus, pacem æternam et salutem a Domino. Omnes qui ad perpetuam pacem supernæ unionis tendunt, pacis amatores et sectatores esse oportet. Verum illi præcipue paci et quieti operam debent impendere, qui orationi et divinæ legis meditationi insistendo, studiosius atque sincerius Deo desiderant servire. Quapropter, dilectissimi, quoniam audivimus et legimus ob pastorum schismata, haud minima suborta fuisse mala inter viros etiam perfectos, ut inter Abraham et Loth, multaque ejusmodi pateant exempla, paci vestræ providentes ac quieti, neve unde pacis bona debent procedere lites inde oriantur, pro voto et petitione vestra in facie nostri Capituli omni favente Conventu solemniter et gratanter, quia et majora facere vellemus, omnia pascua nostra vobis ac successoribus vestris in perpetuum concedimus, etc. Huic autem donationi interfuerunt Hungrinus Portarum Conversus, et Arbertus atque Wido Conversi Majorævi. Gesta sunt

Cartul. Majoræv.

ANNUS 1142

hæc IIII Nonas Februarii, Luna III, Indictione V, Incarnationis vero Domini anno MCXLII, Pontificatus Domini Innocentii II anno XII. »

Nota in his literis annum designari Incarnationis, licet inchoatus fuerit a Januario.

GUILLELM. ARELATEN. ARCH. MORITUR.

Sammarth. in Arch. Arelatens.

VI. Circa præsentem annum beate decessit Guillelmus archiepiscopus Arelatensis, monachus quondam Cartusiæ Montis Rivi et ejusdem Prior ab anno 1123 ad an. 1133, quo assumptus est ad Arelatensem Metropolim verbo et exemplo regendam post mortem Bernardi. Legationis Apostolicæ officio functus est sub annum duodecimum Pontificatus Innocentii II. Eodem tempore, Bernardo Arausicensi episcopo et Arnoldo sacrista præsentibus, quærelam inter Canonicos Arelatenses et Massilienses Canonicos, pro ecclesiis sanctorum Honorati, Romani, Petri de Fayrabregol et Cæsarii de Villanova ab Abbate injuste detentis, composuit; præsente Ugone Amelio decano Arelatensi, anno 1141, die 9 Novembris.

BUSCODUNENSES CALESIENSIUM INSTITUT. AMPLECTUNTUR

Nostri Hugonis opera.

Sammarth. in abbat. Boscodun.

Chorier in abb. Boscod.

Guigo mon. Calesien. fit primus abbas.

Durbonen. Cart. amicus.

VII. Sub idem tempus quidam viri Religiosi apud Buscodunum, diœcesis Ebredunensis cœnobium, sub Regula sancti Augustini ab aliquot annis viventes, audita Calesiensium monachorum pietatis fama, eorum institutum Guillelmi Ebredunensis archiepiscopi nostrique Hugonis Gratianopolitani præsulis opera et autoritate amplexi sunt. Bernardus abbas tunc Calesiensis, qui vitam cœnobiticam autore sancto Hugone ejusdem et nostri Ordinis protoparente primus in Calesium induxerat, rogatus a loci fundatoribus quosdam e suis monachis cum Guigone in Superiorem nominato Boscaudunum misit, qui novos tyrones sui Instituti regulas doceret. Præerat tunc Boscaudunensibus Canonicis regularibus Guillelmus de Lionne. Quo mortuo præfatus Guigo novorum monachorum abbas effectus, per multos annos commissum sibi gregem sapientissime rexit, Cartusiensium Durbonensium quos frequenter invisebat, et præsertim Ottonis ejusdem cartusiæ Prioris et Bertrandi illius successoris postea episcopi Sistariensis sanctis adjutus consiliis. Deinde Lurensem ab-

batiam ducta e Boscauduno monachorum colonia fundavit; tandemque ad matrem suam Calesiensem abbatiam gubernandam translatus, non solum disciplinam quam ibi solutam reperit pristino rigori restituit, verum etiam renovata inter cætera ejusdem Instituti monasteria prima societate, cunctisque velut in unum corpus recollectis Capitulum generale, Cartusiensium adinstar, apud Calesium singulis annis celebrandum instituit. Sed de his omnibus fusius suis locis acturi sumus. ANNUS 1142

JESU CHRISTI

ANNUS 1143.

Innoc. PP. II. Ann. 14. Cœlest. PP. II. Ann. 1.	Ord. Cartus. Ann. 60.	S. Antelmi Pr. Cart. Ann. 5.

INNOCENTIUS II MORITUR.

I. ANNUS Redemptoris millesimus centesimus quadragesimus tertius sequitur, Indictione sexta, quo Innocentius Papa octavo Calendas Octobris in pace quievit. Quantum affectus fuerit erga Ordinem Cartusiensem experti sumus, tum ex confirmatione Consuetudinum Guigonis quem etiam sua familiaritate honoravit, tum ex privilegiis quæ nascentibus Domibus concessit. Elapso ab ejus obitu die, Guido Tuscus natione, de castro S. Felicitatis, cardinalis tituli S. Marci creatus est Papa, nominatus Cœlestinus secundus, qui post aliquot menses Innocentium secutus est.

Cælestinus II.

STEPHANUS PRIOR MAJORÆV. OBIIT.

Ex ejusdem Domus Cartular.

II. Quatuor circiter ante Innocentii decessum mensibus, quarto decimo Calendas Junii, in cœlum, ut pie credimus, evolaverat Stephanus, secundus nomine et quartus ordine eremi Majorævi moderator. Habitum Ordinis a B. Pontio de Balmeto sub Majorævi fundationis initium susceperat, et ab eo ad episcopatum evecto Procurator Miloni Priori datus est; cui defuncto suffectus, patris sui Pontii Pater fieri meruit. Ille enim abdicata pontificali dignitate apud Majorævum se recipiens, « ad exequenda, ut legitur in ejus Vita, Cartusiensis vitæ Instituta, D. Stephano quarto Majorævi Domus Priori, miræ patientiæ et admirandæ simplicitatis viro, se subdebat. » Tantæ etiam Stephanus fuit æstimationis apud circum vicinos Magnates, ut Humbertus de Grandmont Ge-

nevensis episcopus ad eum scribens, sic se ejus commendarit precibus : « Vestra quoque nimirum charitate confisi, nostris infirmitatibus et tribulationibus ad præsens credimus vestris orationibus juvari ; post decessum vero ut memoriale nostrum vobiscum maneat, diligenter quæsumus. » Multas quoque possessiones intra Majorævi terminos, sive dono sive pecuniis, tum Procurator tum Prior comparavit, quibusdam inde ortis controversiis per amicos compositis. ANNUS 1143

Quidam præfato Stephano epistolam Prioris Majorævi ad Petrum Venerabilem adscribunt, voluntque literam H quæ in ejus fronte legitur, significare humilis. Verum quia Stephani successor vocabatur Hugo, eum potius spectare credenda est, et conjicitur ex horum temporum more, quo sæpius nomen proprium per priorem ejus literam tantum designabatur. Hac autem epistola, quam tardius quidem, sed incerto anno scriptam putamus, Hugo Petrum rogat, quatenus imperet D. Petro Viviano monacho Cluniacensi, ut citius ad Majorævum remittat libros quos jam per viginti annos retinuerat, et ab eo exigit, ut juxta promissionem Majorævensibus monachis multoties factam, eos visitare dignetur. Est autem talis : *Hugo ejus successor scribit Petro Cluniacensi.*

« Petro venerabili et honorando, Dei gratia, Cluniacensium abbati, F. H. Pauperum Majorævi Prior vocatus, cum eisdem Pauperibus æternam a Domino salutem. Noverit vestræ paternitatis dulcedo, Domnum Petrum Vivianum duos de libris nostris habere : glosulas videlicet continuas super Matthæum et beati Joannis Evangelium glosulatum. Et quia satis eos retinuit, per annos scilicet viginti circiter, obsecramus humiliter vestram charitatem, ut dignetur ei præcipere, quatenus sine dilatione illos nobis procuret reddere. Memorem nostri Paternitatem vestram divina gratia incolumem diu custodiat. Sciatis denique quia si essetis Abbas alter quilibet, et non tam celebris ac famosus, fracti fœderis ac frustratæ promissionis quam de visitatione nostra vestra dignatio multotiens fecit, aperta fronte quæreremus satisfactionem. » Petr. Cluniacen. Lib. 6. Epist. 23.

ANNUS 1143

PETRUS HUGONI RESPONDET.

Ubi sup. Epist. 24.

III. Hugoni sic respondet Petrus:

« Carissimis et magnifice honorandis servis Dei apud Majorævi eremum Christo servientibus, Frater Petrus humilis Cluniacensium abbas, salutem cui se totos devoverunt æternam. Cantat Deo Propheta in Psalmis: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo. Possum et ego non mentiens scribere vobis, quod longe dulciora sunt melle verba vel literæ vestræ mihi. Nam semper supremam arcem pectoris mei vobis vestrique Ordinis viris servavi, Instituta Cartusiensia universarum Religionum Institutionibus prætuli, a primis pene adolescentiæ annis sincero affectu sacrum Religionis vestræ propositum colui. Unde quando vacare potuit, quædam antiquiora vestri Ordinis loca adire frequenter non pigritavi, inaccessibiles pene nivibus et a glacie altissimas rupes non abhorrui; Fratres inter illas montium et rupium angustias omnipotenti Domino servientes videre, visitare, atque cum eis in Domino jocundari dulce habui, hunc saporem quo cum adhuc testa rudis essem imbutus sum, diu et per gratiam Dei etiam huc usque servavi, non quidem vos videndo, quod, ut volui, hactenus non potui; sed vos vestraque omnia charitate non ficta diligendo, colendo, venerando. Sed de fracto fœdere ac frustrata promissione, qua vos visitare multotiens (ut dicitis) promiseram, arguor et a tantis amicis dure convenior. Audio quod si essem Abbas alter quilibet, et non tam celebris ac famosus, aperta fronte de his digna quæreretur satisfactio. Sed ago gratias Deo, quia non sum Abbas quilibet, sed tam celebris atque famosus, ut nemo vestrum audeat me aggredi, nec aperta fronte de fracto fœdere et frustrata promissione quærere satisfactionem. Si enim non tantus, sed alter quilibet Abbas essem, certum est quia impune non evasissem. Quis enim aliter credat? Nam a tam veracibus non aliter res quam sermo procederet. Sed tamen, ut amicis, et hoc intimis satisfaciam, libens majoris nominis factum depono, et me Abbatibus licet inferioribus, si tamen inferiores sunt, compono. Eligite quem vultis de toto Orbe minorem, et de me, ut de illo, si reus

esset, fracti fœderis pœnas sumite. Parcius tamen, ut vel parum pro parte mea agam, pœna sumenda est; quia mala fide fractum fœdus non est. Obstiterunt multa, quæ fœdus initum et visitandi promissionem servari non permiserunt: negotia infinita, hyems supra solitum horrida, corporis multiplex incommodum, quo plusquam per dimidium annum natura laborat, nec adhuc plene hostem tamdiu sibi infestum vincere potest. Ea de causa mitius, ut mihi videtur puniendus est qui quod dicit, quod promittit, quod maxime vult implere non potest. ANNUS 1143

« Habeo inde de re simili mecum et pro me agentem magnum Apostolum. Voluit ille venire ad Corinthios ut secundam gratiam haberent, voluit et per eos transire in Macedoniam, voluit et iterum a Macedonia venire ad eos et ab eis deduci in Judæam; voluit hoc, sed ut voluit non potuit. Excusat ipse seipsum, et excusando, non tantum se sed et me etiam contra vos, secum excusat. Numquid, ait, levitate usus; aut quæ cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me est et non? » Quis loquitur? Magnus Apostolus. Si interroges, quis magnus? Respondeo: non est interrogandum. Ubi Apostolo magnus additur, Paulus intelligitur. Hic ergo Apostolus et magnus, astruit se non esse levitate usum si aliquando dixit, est; aliquando dixit, non. Intellexit enim semper servandam esse veritatem verborum; sed non idcirco minus esse veracia verba, si ea mutari cogeret multiplex varietas diversarum causarum. Quod et indicant verba sequentia: Fidelis autem Deus, quia sermo noster qui fit apud vos, non est in illo est et non, sed est in illo est. Quod nullatenus veritate salva dicere posset, si verba simplici ex corde prolata, absque falsitatis nota, rerum necessitate cogente, mutari non posse videret. Verum ergo quod dixi, veniam ad vos: sed certa et rationabilis causa me impedivit ut non venirem ad vos. Hac ergo de causa non fuit in ore meo est et non, sed fuit in illo est. Excusatum ergo me esse arbitror, et nisi plus nimio duri exactores esse velitis, satisfecisse me æstimo. De libris a Fratre Petro Viviano diu et præter voluntatem (ut in literis

ANNUS 1143

vestris legimus) retentis, rescribo quod si Deus permiserit, hominem conveniam ; et prout officii mei ratio postulat, ut justum fuerit vestra vobis restitui faciam. De reliquo vos Deo cui servitis, me autem nostrosque Ipsi vobisque commendo. Quod tardius vobis scripsi, nolite imputare negligentiæ meæ, quæ in casu isto non est ; sed imputate infinitæ importunitati causarum, quæ fere semper mihi molesta est. Hæc si saltem brevi temporis spatio, ne dicam momento, me mihi vacare permisisset, jam oculus vester ante duos aut tres menses epistolam meam vidisset. » Hactenus Petrus ad Priorem et Majorævi monachos.

EPISTOL. JOANN. PORTAR. AD HUG. NEPOTEM.

IV. Eodem Hugone Majorævensibus præsidente, quidam Bernardus ejusdem Domus professus, piis Joannis de Montemedio Portarum monachi (sui vel patrui vel avunculi) hortationibus e seculo ad Religionis portum quondam deductus, cum per aliquot annos satis prospere vias Domini ambulasset, gravi tactus infirmitate cœpit retro aspicere, et nisi Joannes vulneri ejus prompte remedium attulisset, in salutis discrimen brevi se illaturus erat. Morbo namque corporis ingravescente menteque debiliori effectus, non solum jejunia Ordinis ad sublevandam infirmitatem, ut par erat, minuit ; sed etiam de statu suo mutando et de transitu ad alteram Religionem cœpit serio cogitare. Aperta tamen Hugoni suo superiori tentatione, machinas Diaboli hoc pacto licet nesciens subvertit. Cum enim Joannes nepotis periculum ab Hugone audiisset, subsidio accurrens naufragium facientem in portum reduxit, scripta præclara illa epistola emolliendis adamantinis cordibus idonea. Ex qua præstantiora quædam tum ad lectoris ædificationem, tum ad prædictorum probationem aptissima libet hic adjicere.

Joan. Port. Mon. Epist. 5. in Manual. solit. Chifflet.

« Frater Joannes Domus Portarum qualiscumque monachus, Bernardo dilectissimo secundum spiritum filio et secundum carnem nepoti, debitam in divino famulatu perseverantiam et profectum. Audivi quod a proposito, ad quod te Christi gratia vocaverat, vis recedere et ad alium Ordinem migrare. Hæc persuasio non est ex eo qui te vocavit,

sed serpens qui seduxit Evam astutia sua, te quoque vult seducere et ab angusta via quæ ducit ad vitam, per quam cœperas ambulare, te cupit ad latam et spatiosam viam quæ ducit ad perditionem reducere. Audi ergo potius Deum dicentem : Contendite intrare per angustam portam. Non ait tantummodo intrate, sed contendite intrare, quia profecto magna contentione et pugna, magno conamine et conflictu opus est contra infirmitatem et mentis et corporis. Tu animadverte quæ circa te sunt, et cave ne a serpente seducaris. Pater namque qui quos diligit corripit, et flagellat omnem filium quem recipit, te per corporalem quam sustines molestiam cœpit flagellare. Si ergo durum tibi videtur quod flagellat, incomparabiliter amplius tibi dulce esse debet quia recepit, et gratias agere debes si tanquam filius mereris flagellari..... Audi ergo non serpentem, sed Apostolum dicentem : in disciplina perseverate, id est in flagello perseverantiam nolite perdere. . . . . . . si serpenti credideris, inter inimicos Dei reputaberis. . . . . . si enim quod in die professionis tuæ spopondisti irritum feceris, voti atque mendacii coram Deo et hominibus reus eris. Non solum autem tibi nocebis, sed etiam multis efficieris petra scandali ; et multo pluribus nocebis scandalo, quam potuisti prodesse exemplo. Igitur non tantum de tua apostasia, sed de illorum pernicie judicaberis. . . . . . Job scatens vermibus et percussus vulnere pessimo a planta pedis usque ad verticem dicebat : Justificationem meam quam cœpi tenere, non deseram. . . . . Tu vero corporali, quamvis tolerabili molestia correptus, animo defecisti. . . . . . Igitur resipisce et pete a Deo mecum, instanter et devote, ut det tibi in suo famulatu perseverantiam et semper ad meliora profectum ; et in corporali ægritudine ita faciat tecum secundum suæ gratiæ clementissimam dispositionem, sicut ipse novit tibi expedire et salutare esse ; et hoc orando, crede quia vel sanabit vel sublevabit vel citata morte finiet eam. Nam fortasse hoc novit Satanas, te scilicet citius moriturum, et ideo ita importunus est, ut tibi perseverantiæ bonum tollat. Novimus enim

ANNUS 1143

Luc. 13, 24.

Hebr. 12, 7.

Job. 27. 6.

ANNUS 1143 de Domo in qua es, et de Cartusiensi, et de nostra et de aliis hujus Propositi particulares exiisse quorum nonnulli post paucos dies, aliqui vero post paucos menses obierunt. . . . . Hæc ergo et similia meditando, confortare in Domino et viriliter age. Si non potes jejunare quantum alii, jejuna quantum potes : certissime sciens quia non potest in aliqua virtute esse perfectus cui gulæ vitium dominatur. Nam ut consueta jejunia omnino dimittas, crede mihi, non expedit adolescentiæ tuæ. Noli ergo temporalem et momentaneam corporis sanitatem præponere saluti æternæ animæ. . . . . Noli esse inutilis et remissus in tuis operibus, sed spiritualia quanto studiosius et devotius poteris, corporalia vero suo tempore impigre, et quanto utilius et melius valebis invocato semper auxilio divino prosequere. . . . . . si sic egeris, mox Spiritu principali confirmatus, Deo gratias agendo exultabis et inimicis tuis inculcabis dicens : Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt et ceciderunt, etc. Vale, ora pro me. Saluta mihi Dominum Priorem, et alios nominibus suis. »

Psal. 26, 4.

Tantæ fuerunt efficacitatis Joannis oratio et exhortatio, ut Bernardus totus a semetipso mutatus novum induerit hominem. Spretis itaque corporis infirmitatibus, omnes Ordinis observantias asperiores studiose quantum sibi per Superiores licuit, amplexus est. Aliquot post annis a Guitfredo Priore in Sacristam, ac deinde in Procuratorem institutus, utroque munere cum omnium applausu functus est. Plures discordias inter Majorævenses et vicinos Nobiles ortas dissipavit ; quosdam agrarios laterculos inter Domus limites dono aut pretio comparavit. Procuratoris munus bis aut ter abdicavit, ut charæ solitudinis deliciis frueretur; sed ab Humberto Priore, qui præerat tempore quo S. Antelmus sedem Bellicensem gubernabat, ad exteriora negotia revocatus; cum ejus industria toti Ordini pateret, a Basilio Matris Cartusiæ moderatore primus Domus Boniloci in Burgundiæ comitatu erectæ Pastor designatus est. In hoc loco positus, sæpe ad difficiliora aliarum Domorum negotia procuranda mittebatur. Controversiam quæ inter nostros Portenses et S. Rufi

Cartular. Majorævi.

Ex Archiv. Vallis clusæ.

Ordinatios versabatur, aliquando composuit in socium assumptus a S. Antelmo Bellicensi et Hu. Maurianensi Præsulibus. Majorævum, Vallem clusam, suis adjuvisse consiliis ex earumdem Domorum cartulariis discimus. Denique post jacta apud Bonumlocum Cartusiensis Instituti fundamenta, decessit circa nonagesimum præsentis seculi annum.

ANNUS 1143

Ex Cartul. Portar.

V. Hoc anno S. Antelmus Cartusiæ Prior, secundum tenuit totius Ordinis Capitulum generale ubi multa circa divinum officium fuere disposita, de quibus sic habet Montis Dei codex :

SECUNDUM CAPITULUM GENERALE.

Item Capitula alterius Conventus

« Capitulum primum continet quod Passiones Domini sicut cætera Evangelia cantentur.

« Secundum capitulum habet, quod quando Nativitas Domini quarta feria evenerit, sequenti dominica Responsorium sicut in die Nativitatis Domini cantetur ; in Missa *Puer natus est nobis*. Oratio, *Concede quæsumus omnipotens Deus ut nos Unigeniti*. Epistola, *Apparuit benignitas*. Evangelium, *In principio :* et cætera sicut in dominicali Missa Nativitatis.

« Tertium capitulum est, quod in ea Dominica in qua est Evangelium *Erat Joseph,* cantetur antiphona *Erat Joseph* in sabbato ad Vesperas, eademque repetitur ad Benedictus. Idemque contingit in Dominica post Ascensionem, ut videlicet antiphona de Evangelio, et ad Vesperas in sabbato, et ad Benedictus cantetur.

« Quartum capitulum est, quod sexta dominica post Epiphaniam quæ præcedit Septuagesimam, cantetur Evangelium *Confiteor tibi Pater, Domine cæli et terræ ;* et antiphonæ ex eodem Evangelio : *Tollite jugum meum super vos* ad Benedictus, *Jugum enim meum* ad Magnificat.

« Quintum capitulum est, quod repetitio Responsorii *Ego dixi Domine : sana animam meam, quia peccavi tibi.* Eademque repetatur post *Gloria*.

« Sextum capitulum est, ut illa quæ emendata sunt in Psal-

ANNUS 1143 terio, emendentur in Responsorio. Verbi gratia: *Si mei non fuerint dominata, ipse liberabit me,* et *exultabo mane misericordia tua :* ac *in generationem et generationem.*

« Septimum capitulum est, ut post *Venite* cantetur *Æterne rerum conditor;* ad Laudes *Splendor paternæ gloriæ;* ad Vesperas *Deus Creator;* ad Completorium *Christe qui lux es.*

« Octavum capitulum est, ut ab Octavis Pentecostes usque ad Adventum Domini, omnibus ferialibus diebus, exceptis festis, dominicales dicantur Orationes ad Vesperas et ad Laudes.

« Nonum capitulum est, ut in Responsorio unius Martyris in tertio nocturno dicatur versiculus, *Lætabitur justus in Domino.*

« Decimum capitulum est, ut in festo beati Andreæ si in Adventu contingat, semel tantum comedatur; sed nihilominus ad Collationem veniatur. Statutum est etiam ut pro charis in Conventu aliquid facere, in ordinatione Prioris et sui Capituli arbitrio consistat. »

Hactenus codex in quo cum nulla acta reperiantur, præter ea de quibus anno præterito, et ea quæ modo exscripsimus, statimque sequantur in eodem codice acta Capitulorum sub Basilio celebratorum : hinc conjicimus ea non fuisse continuata sub Antelmo, eo quod forsan omnes Priores non tam cito potuerint literas consensionis ab Episcopis Ordinariis obtinere, aut certe propter aliquas rationes nobis hactenus ignotas.

JESU CHRISTI

ANNUS 1144.

Lucii PP. II.	Ord. Cartus.	S. Antelmi Pr. Cart.
Ann. 1.	Ann. 61.	Ann. 6.

I. MILLESIMUS centesimus quadragesimus quartus annus, Indictione septima, sequitur, quo Cœlestinus Papa, ubi sedisset mensibus quinque et diebus decem et tribus, obiit octavo* Idus Martii, cui sequenti die suffectus est Gerardus Camerarius presbyter cardinalis, tituli sanctæ Crucis in Jerusalem, ex Ordine Regularium Canonicorum, dictusque est Lucius II. Ab eo statim post ejus exaltationem Hugo Prior Majorævi confirmationem obtinuit transactionum inter Nantuaci Monachos et suum Conventum factarum. Qui Hugo industria usus Girardi sui Procuratoris, plures paginas terræ ad conficiendos Domus terminos necessarias a vicinis Nobilibus, præsertim a Dominis de Balmeto et Rubeomonte comparavit. Sub ejus regimine viguit regularis disciplina, eam maxime colentibus Latoldo (ad quem extat Joannis de Montemedio epistola), Humberto, Jancelino, postea Prioribus et aliis monachis nostræ observantiæ promovendæ studio ardentibus, quibus et merito adjungendi sunt ex Conversis Odo, Bonusfilius et Garnerius de Balmeto, viri olim in seculo nobiles, et in nostro Ordine sui status amantissimi.

COELESTINUS DECESSIT.

Lucius II. ejus successor.

**Al.* septimo.

Ex Cartular. Majorævi.

II. Hoc anno Cartusia Vallis S. Mariæ in Delphinatu, apud Bovantium prope Pontem Royanesium in diœcesi Diensi, fundatur a Guigone comite Delphino hujus agnominis secundo, Guigonis et Mathildis Reginæ Calesiensis abbatiæ

CARTUSIA VALLIS S. MARIÆ FUNDATUR.

V. sup. ad an. 1110.

ANNUS 1144

Guigo IX fundator.

Molin. in hist. ms. Ord. Cart.

Catalog. mss. Ord.

fundatorum nepote. Ejus pater fuit Guigo, qui primus omnium vivente patre Delphini nomen accepit. Ad tam pium opus exequendum a Margarita Burgunda matre sua, religiosissima fœmina, post patris obitum inductum fuisse credimus. Ad novæ plantationis dotem terram Bovantii consentiente eadem Margarita primum concessit ; postea vero, anno videlicet hujus seculi quinquagesimo primo, magnum adjecit montium, sylvarum et rupium tenementum ; cujus donationis instrumenti annus male exaratus a quibusdam perperam signatus fuit millesimus centesimus primus. Unde varii errores apud nostrarum rerum Scriptores irrepserunt.

Ejus hæredes ejusdem Domus fautores.

Hugo III Dux Burgundiæ præfati nostri Fundatoris gener, hanc Domum exemit ab omni pedagii jure, cum Beatrice uxore sua ; quod etiam post utrumque fecit Guigo Andreas eorum filius, qui anno 1228 quædam dedit Majori Cartusiæ bona.

Amalricus filius Simonis Montisfortis Tolosæ comitis, Beatricis præfati Guigonis Andreæ filiæ maritus, ad ejus instantiam Domum hanc liberam fecit ab omni subsidio, datis anno 1212 literis.

Guigo Andreæ Guigonis filius, Majoris Cartusiæ Benefactor fuit et Sylvæ Benedictæ, et omnia confirmavit quæ prædecessores ejus Valli Sanctæ Mariæ dederant. « Concedo, inquit, leidas et alia cujuscumque generis servitia et omnem exactionem, atque omnia usagia per totam terram nostram et per aquas districtus nostri, quæ nobis pro omnibus bonis suis, et pro his quæ deferent aut alicubi ement, aut alio quolibet modo acquirent, facere et solvere tenebantur. Actum apud Herbosum anno MCCXLI. » Hinc fuit quod generosus ille Princeps omni data occasione favens Cartusiensibus preces per universum Ordinem obtinuerit, ut ex variis Capitulorum generalium Chartis apparet : « Pro Dalfino et uxore ejus dicatur una Missa de Spiritu Sancto in singulis Domibus Ordinis. » Et iterum post octo annos : « Pro Dalfino et Dalfina, et Domina de Turre, et pro Baronibus et pace Ecclesiæ. » Et biennio post : « Pro Dalfino et Dalfina et liberis

Ex Ch. 1258.

Ex Ch. 1266 et 1268.

eorum, et pro Domina de Camera et filio suo, et Domina de Turre. » Domina de Turre de qua hic fit mentio erat Anna præfati comitis Guigonis filia, Humberti de Turre uxor, quæ Monialium Saletarum cartusiam fundavit. Domina vero de Camera videtur esse Helena, nupta Richardo comiti de Camera, ejusdem Guigonis soror, quam Chorerius non novit ; sed ejus meminit Honoratus Bouche in *Provinciæ Historia*. Porro idem Guigo sepultus est in Monialium Pratimollis cartusia quam Beatrix Montisferrati mater ejus ædificaverat, constatque illum jam obiisse anno septuagesimo seculi tertii decimi quo Beatrix illius uxor, die 24 Junii, confirmat donationes Majori Cartusiæ factas « ab Antecessoribus Domini G. comitis Albonis et Viennensis quondam mariti sui. » Sepultus est in Domo Melani nostri Ordinis ab uxore condita. ANNUS 1144

Humbertus de Turre Pini a quo stirps tertia Delphinorum, maritus Annæ de qua supra, Saletarum Fundatricis, cuncta hujus Domus privilegia confirmavit ; et præterea multa dedit Majori Cartusiæ, tandemque in habitu Cartusiensi decessit V. an. 1387. anno septimo seculi quarti decimi, ut ibidem fusius dicemus ; sicut et alibi passim de ejus successoribus, quorum ultimus Humbertus, hujus nominis secundus, insignis benefactor et velut alter Fundator Saletarum, in avi sui memoriam omnia renovavit et confirmavit quæ Valli Sanctæ Mariæ dederant prædecessores, ut patet ex literis ab eo datis « in Galea super mare prope Massiliam, die 11 Septembris anno MCCCXLV, in consilio assistentibus Dominis Guillelmo de Varey Priore de Sayssen, et Fratribus Joanne de Revolli confessore Domini, Humberto de Saletis et aliis. »

Idem Humberti privilegium confirmavit Carolus VII Rex Franciæ diplomate apud Montillum Ademari dato, die secunda Februarii anno trigesimo sexto quinti decimi seculi. Et post eum usque ad hæc nostra tempora successive Reges Franciæ similes confirmationis literas concessere. Inter præcipuos Benefactores etiam annumerandi sunt, qui sequuntur :

PRÆCIPUI BENEFACTORES.

III. Ademarus de Poitiers, comes Valentinus, hanc Domum

ANNUS 1144

Vide Duch. in geneal. Com. Valent.

ab omni pedagio exemit: « Nihil servitii, inquit, sive usagii, sive pulveragii in prædictis sive donatione, sive confirmatione nobis aut nostræ posteritati retinentes, nisi tantummodo ut pro nobis Deum interpellent. Et sub nostra protectione recipimus et defensione dictam Domum, personas Fratrum, sive familiam, et omnes alios, qui ad ipsam Domum perrexerint in eundo et redeundo. Actum in claustro Vallis S. Mariæ, in festo Purificationis, anno MCCXXXVII, imperante Friderico.» Idem precibus, quas Capitulum generale indixerat pro Comitissa Sabaudiæ, « associatur, inquit Charta, Dominus Aimarus de Poitiers cum uxore sua. » Unde liquet quod fuerit singularis Ordinis amicus.

Sanctus Ludovicus Rex Franciæ, anno 1240, Carcassonæ et Bellicodii senescallis mandat : « ut multum defendatis Eremitas Vallis S. Mariæ, ne unquam per totam terram nostram vel per aquam solvant lesdam, pedagia seu alias servitutes, sed immunes sint de corio, de pilo, de lignis, pastibus, sale et aliis omnibus, etc. Datum Parisiis, mense Junio. » In Chartis Capitularibus benefactores designantur : « Nobilis[a] Dominus Paulus Laudini. Reverendus Dominus Joannes[b] Rodulphi Protonotarius et Canonicus Gratianopolitanus qui appellatur antiquus amator et fautor Ordinis ac benefactor Vallis S. Mariæ. Illustrissimus et Reverendissimus Dominus[c] Sebastianus de Lionne Canonicus Ecclesiæ Sancti Bernardi Romanensis, et Prior S. Stephani de Nacon, singularis benefactor » hujus Domus, qui habuit Anniversarium perpetuum per totum Ordinem sub die obitus sui qui fuit 13 Septembris.

[a] Ex Chart. 1499.
[b] Ex Chart. 1560.
[c] Ex Chart. 1648.

Adversos temporum casus monachi in hac Domo sæpissime experti sunt, maxime circa ejus Instrumenta, quorum magna pars quaterno excidio et incendio periit. Ultima vero conflagratione ab Hæreticis post quadringentos et triginta a fundatione annos excitata tota Domus combusta est, quibusdam etiam ex ejus Monachis occisis, bonisque illius diu per quemdam calvinistam non sine illorum diminutione administratis, ut suo dicemus loco.

V. ad an. 1574.

JESU CHRISTI

ANNUS 1145.

Eugenii PP. III Ann. 1. | Ord. Cartus. Ann. 62. | S. Antelmi Pr. Cart. Ann. 7.

I. CHRISTI Domini et Dei nostri anno millesimo centesimo quadragesimo quinto, Indictione octava, Idibus Februarii Lucius Papa ex hac vita migravit. Eodemque die ob tumultuantes Romanos successor electus est Bernardus, abbas trium Fontium Ordinis Cisterciensis, sancti Bernardi Claravallensis discipulus, vir probitate insignis, Eugenius III appellatus : quem annis sequentibus videbimus erga Cartusienses propensissimum ; qui et hoc ipso suæ electionis anno egregium ad Hugonem nostrum Gratianopolitanum episcopum scripsit epistolam, quam Chorerius vidit in camera Computorum Delphinatus.

LUCIUS II MORITUR.

Baron. ad hunc an.

Eugenius III succedit.

Ex mss. Nic. Chorier.

II. Hoc pariter anno obiisse dicitur Uldricus sive Odolricus quondam Diensis episcopus. Hic vivente S. Brunone jam Ecclesiæ Gratianopolitanæ Canonicus, Decani postea munere per plures annos ibidem præclare gesto, sedem Diensem solis suis meritis ascendit. In ea dignitate non se extollens, sed modestior humiliorque effectus, Canonici regularis veste a sancto Hugone, suo quondam Præsule et Magistro jamjam morti propinquo, indui voluit. Rem narrat noster Guigo his verbis : « Diensis episcopus, Dominus Odolricus, unus ex ejus alumnis, et in Ecclesia Gratianopolitana per omnes honores usque ad Decanatum (qui post Episcopatum major ibidem est dignitas) ab ipso provectus, vitæ regularis habitum

ODOLRICUS EP. DIENS. OBIIT.

V. ad. ann. 1084. v. et 1129. XII.

Vita. S.Hug. Gratianop.

ANNUS 1145

per reverendas manus sanctissimi senis desiderans sumere, devotus advenit, ipso jam multa, morbis ingravescentibus, debilitate gravato. Cujus adventus causa, ministris indicantibus, Vir beatus audita, tanto exultavit gaudio tantaque protinus est repletus lætitia, ut oblitus infirmitatis, venienti occurrere gestiens, pene se de lectulo præcipitaverit. Accedente autem illo, osculatus est eum, et præ gaudio lacrymas fundens : Exuat, inquit, te Deus veterem hominem cum actibus suis, et induat te novum, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis ; memoria, ut jam dictum est, ad communia ultra fidem deficiente, ad divina solito nonnunquam amplius exuberante. Nam et post multa sanctissima et saluberrima monita cum abiret necdumque atria cuncta transisset, id etiam mandare curavit, ut de caligis pedules abscinderet, quatenus præter pedes totus jaceret vestitus. Dolebat enim nonnullos in religioso habitu, ad sanctitatis injuriam, tibiis dormire nudatis. Post hæc juvantibus ministris, in planum descendit solum, prostratusque in faciem, magnas Deo pro eo quod factum fuerat cum lacrymis gratias obtulit : his indiciis, quantum salutem desideraret humanam, pene jam defunctus ostendens. »

An fuerit nostri Ordinis.

In hoc Vitæ S. Hugonis loco quidam volunt, per « vitæ regularis habitum » a Guigone designatum fuisse vestem Cartusianam qua Odolricus a S. Hugone indutus fuerit. At verba hæc intelligenda esse de amictu Canonicorum Regularium, satis indicant quæ alibi diximus de Airaldo Maurianensi præsule, quem laudatus Guigo in eadem Vita per « vitam et habitum regulares » distinguit a monacho Cartusiensi : si igitur Odolricus vestem Cartusianam nostrosque mores unquam induerit, id certe exequi non potuit nisi post abdicatas infulas ; quod videntur innuere hi qui dicunt eum præsenti anno defunctum esse, nam alius jam sedebat anno superiori. Beati titulo a recentioribus cohonestatur, et locum obtinet in martyrologiis Canisii et Saussæi ad 16 Calend. Januarii.

V. supra ad an. 1134.

Sammarth. in Ep. Dien.

Jo. Columbi de Ep. Dien.

MONIALES PRATIBAJONIS FIUNT CARTUSIENSES.

III. Circa hæc tempora sanctimoniales abbatiæ Pratiba-

jonis sancto Andreæ dicatæ, se suumque monasterium sancto Antelmo tradidere; factæque supra sexum fortes nostrum Institutum quantumvis asperum generose amplexæ sunt. Sita est hæc Domus, quæ fuit primus nostri Ordinis parthenon, in Provincia et episcopatu Vasionensi, una tantum leuca Arausione distans. Eam fundatam volunt ineunte septimo Christi seculo a Germellia sanctæ Radegundis paulo ante defunctæ consanguinea, quæ prima etiam illius abbatissa creata, austeram disciplinam sibi suisque Sororibus præscripsit et post viginti et amplius annos non sine sanctitatis opinione mortua est, videlicet trigesimo secundo ejusdem seculi anno. Ei successit Armanda, et huic Virginesia vergente jam seculo præfato defuncta. Sicque continuata serie aliæ aliis successerunt, donec nostram Regulam professæ magnificum Abbatissæ titulum in modestiorem Priorissæ appellationem commutarint, quam etiam, post excussum licet jam ab aliquot seculis jugum Cartusianum suis delicatis impar humeris, adhuc retinent. Ferunt ejusdem cœnobii Instrumenta Moniales diu in Pratobajonis multis obnoxias incommodis stetisse propter continuas aquarum colluviones ; ac deinde alium locum cui nomen Sancti Andreæ de Rameriis, priori proximum ab Abbate et Monachis Montis Majoris, multo antequam se nostro Ordini devoverent, pretio comparantes, illuc agente Guillerma abbatissa se transtulisse. Utriusque tamen loci nuncupatione hunc parthenonem jam factum nostrum, indifferenter designatum fuisse ex inferius dicendis animadvertere erit. Quonam vero tempore quave occasione, aut qua ratione nostrum Institutum hanc in abbatiam inductum sit, præcise dici non potest. Nobis solummodo constat illam nostro Ordini jam eo tempore adscriptam fuisse, quo B. Joannes Hispanus in Montis Rivi cartusia tum privatus tum Prior morabatur, nempe ab anno 1140 ad annum 1149. Nam hic Beatus vir in dicta Montis Rivi cartusia constitutus, nostras consuetudines ad usum Monialium ejusdem parthenonis scripsit, teste Vitæ ejus autore his verbis : « Libris autem authenticis scribendis aut emendandis magnum stu-

ANNUS 1145

Ex mss. ejusd. domus.

Consuetudines recipiunt a B. Jo. Hispano.

Vita ms. B. Joan. Hispani.

ANNUS 1145

dium præbuit; nec non sanctimonialibus Pratibajonis consuetudines, quas ab eo postulabant, nobili stylo edidit. » Factus vero Repausatorii domus Prior, « historiam, ait laudatus autor, quam ipse manibus suis scripserat optimam sanctimonialibus virginibus supradictis, Deo sibi inspirante, ante suum obitum impendit. »

EARUM TRANSLATIONEM APPROBAT SEDES APOSTOLICA.

IV. Earum ad nos translationem approbaverunt Eugenius III et Alexander III, suisque bullis novum Cartusiensem parthenonem in Sedis Apostolicæ tutelam accepere. Abbatem quoque et Monachos Montis Majoris Arelatensis diœcesis translationi consensisse, docent ejusdem abbatiæ documenta (ut ex memorialibus e cartusia Durbonensi ad nos missis discimus). Eorum vero consensus necessarius ideo videtur, quod inter pacta venditionis (de qua supra) loci S. Andreæ de Rameriis, aliquot frumenti et cicerum sarcinas census annui in jus dominii sibi retinuissent, quem censum postea in obolum aureum commutarunt. De his ante aliquot annos a nobis interrogatus R. P. Franciscus de Centenariis Ordinis Sancti Dominici, earumdem Monialium tunc confessarius, ea vera esse per literas respondit, et in veritatis fidem asseruit se vidisse bullam Gregorii IX anno Pontificatus illius primo qui fuit Christi 1227 datam, qua « Moniales Sancti Andreæ de Rameriis » eximit a solutione præfati census oboli aurei: et ab eo tempore nihil de obolo Montimajorensibus persolvisse, licet aliquando monachi illum repetere tentaverint. Alia, quæ a Durbonensi Domo, ut dicimus, missa sunt documenta, dicunt exemptionem hanc sive census abolitionem factam fuisse a Gregorio VIII anno 1187, monachis Montis Majoris extinctioni consentientibus. Denique Clemens IV anno 1265 cunctas donationes et suorum decessorum privilegia confirmans, jus et potestatem sibi eligendi Priorissam concessit Monialibus, quarum cœnobium in hujusmodi bullis solum « sancti Andreæ de Rameriis » nomen habere asserit laudatus earum confessarius: licet constet Pratibajonis appellationem frequenter alibi reperiri. In Cartulario Montis Rivi « Frater Bonuspar Conversus Pratibajonis recensetur inter

Ex cod. ms. Cart. Durbon.

Consentiunt monachi Montis majoris.

Ex epistola Franc. de Centenariis.

Ex Cartul. dom. Montis Rivi.

testes qui donationi interfuerunt factæ a Petro de la Roca et fratribus ejus anno MCLXX, VI Kalendas Septembris. » Octodecim post annis Adalaidis Arnaldi Flotte conjux dedit « Deo et B. Mariæ et sanctimonialibus S. Andreæ de Pratobajone territorium Bertaudi » ad construendum nostri Ordinis parthenonem. Guigo Berengarii magnus benefactor Majoris Cartusiæ, testamento anno MCCXXIV mense Septembris condito legavit « domui Pratibajonis medietatem vaccarum suarum, et domui de Bertaud aliam medietatem. » Porro utrumque nomen simul ei datum fuisse alibi videbimus. Harum Monialium Benefici fuerunt Bertrandus de Balcio et fratres ejus Domini Arausicani, qui videntur in earum gratiam toti Ordini privilegium concessisse, tunc constituti « in monasterio Sancti Andreæ ex ipso Ordine dependente », ut aiunt in suo diplomate. Raymundus quoque comes Tolosæ hujus nominis septimus, anno 1248 suum condens testamentum, largitus est « centum marcas sterlingorum monasterio Monialium S. Andreæ Vasionensis diœcesis. »

ANNUS 1145

V. infra ad an. 1188.

Ex Archiv. Maj. Cart.

V. infra ad an. 1292.

V. infra ad an. 1182.

Catel. lib. 2. hist. Com. Tolosæ.

V. Dum viguit in hoc cœnobio nostrarum Consuetudinum observatio, commendabantur ubique illius Moniales ob egregiam suam pietatem; cujus odore illecta Adalaidis Flotta jam superius nominata, aliud virginum monasterium in loco Bertaudi fundavit. Illustrissima quoque matrona Margareta Balgiaca Poletense gynæceum suis sumptibus extructum, volens vivis spiritualis ædificii lapidibus firmare, sacrum e Pratibajonensi Domo virginum cœtum assumpsit. Plures sanctitatis opinione celebres sanctimoniales hoc parthenium peperit; quarum gesta cum tempus edax et invidiosa vetustas consumpserint, quarumdam tantummodo memoriam ab interitu vindicare potuimus. Harum vero ista sunt nomina: Agnes protopriorissa quæ in quibusdam monumentis sat vetustis, ut noster Molinus asserit, dicitur miraculis claruisse. Victoria, nobili stirpe, eamdem domum prudenter rexit, humilitate et patientia prædita. Margareta claro Montimororum sanguine procreata, Priorissæ munus laudabiliter gessit, et post exhibita singularis exempli specimina migravit ad Do-

PIETAS INTER EAS VIGET.

Nic. Molin. in hist. ms. Ord. Cartus.

ANNUS 1145

minum anno 1193, die 8 Novembris. Tres istas Moniales, quia citatus Molinus noverat primo Ordinis seculo floruisse, Domus Excubiarum quam falso putavit eodem tempore fundatam, professas fecit; sed eas inter Pratibajonenses Moniales annumerandas esse censeo, quod istis temporibus nullum præter Pratibajonensem parthenonem in nostro Ordine exstitisse constet. Claudina Montemauresia, quam Molinus asserit in ipsa infantia mortem patris et fratris prædixisse. Alizia virgo humilis, erga B. Virginem Mariam sancte affecta. Jana de Villanova sanctissime vixit et obiit anno 1230, cujus postea corpus post quinquaginta annos exhumatum, sine læsione aut notula aliqua corruptionis repertum est. Altera Agnes Priorissa anno 1153 moriens, magnam de se opinionem sanctitatis reliquit. Cum per centum et quinquaginta circiter annos, tot virginum floribus omni genere virtutum florentibus, obducta fuisset hujus prati facies; sæviente disciplinæ solutionis Aquilone, cœpit paulatim marcessere ita ut pratum illud sentibus undequaque obsitum opus tandem fuerit incultum relinquere. Præstat modo de Monialium Cartusiensium statu et de differentia quæ inter nos interest quædam subjicere, cum locus aptior alibi de eis disserere non occurret.

Vide ad an. 1292 et 1336.

SIMILITUDINES ET DIFFERENTIÆ MONACHOS INTER ET MONIALES.

In vestitu.

VI. Hæ quoad vestitum a Monachis non discrepant, præter cilicium quod sine licentia speciali induere non possunt, et cucullam sive scapulare quod quidem cum vittis gestant sed sine caputio, cujus loco fasciam pectoralem, velum et alia capitis integumenta habent cunctis sanctimonialibus communia. Vittis caruerunt usque ad tertii nostri Ordinis seculi initia, tunc enim per quamdam Chartam Capituli generalis: « Statuimus, inquiunt Patres, quod Moniales habeant in scapulariis suis vittas more Monachorum, Conversæ vero non. » Juxta illud decretum Guillelmus Raynaldus suis in Statutis præcipit, ut « Moniales professæ habeant vittas in scapularibus suis. » Præter magnam cucullam parvis etiam utuntur cum quibus dormiunt, juxta hanc in quibusdam Comitiis generalibus factam declarationem: « Declaramus quod Moniales

Ex Ch. 1291.

Stat. No. p. 3. c. 4. nu. 20.

Ex Ch. 1320.

jaceant cum cucullis et quælibet sola » ; quod etiam jubent aliarum sanctimonialium Regulæ. Eas aliquando caputia ferre voluisse non est levis conjectura, siquidem laudatus Guillelmus Raynaldus prohibet « ne aliqua caputia Priorissæ et cæteræ Sorores, ullo unquam tempore portare permittantur » ; licet id non fuisset sine aliquo antiquitatis exemplo, nam cucullatas fuisse S. Pachomii Moniales observat Nebridius ; attamen verisimile non est in præfata prohibitione de nostro agi aut de alio aliquo humili caputio, sed potius de fastoso quodam capitis ornamento, quod in acumen instar caputii desinens, multæ diversorum Ordinum sanctimoniales festis solemnioribus deferunt. Hujus igitur caputii usus tanquam Cartusianæ contrarius simplicitati, nostris Deo sacratis virginibus interdicitur ; ad sacram tamen sinaxim accedentes pallio majoris ergo modestiæ circumvestiuntur eoque albo, quod « mantellus simplex et sine foratura » in Statutis appellatur. Usque adeo Ecclesia detestata est in Monialibus vestium splendorem, ut ipsum ne in accessu quidem ad Religionem admittere voluerit, quantominus post vota emissa. Quamobrem juxta sacrorum Canonum mentem, vetant nostræ constitutiones ne « Moniales portent caudas in vestibus suis, nec tunicas in quibus sint scissuræ vel manicæ inhonestæ. »

ANNUS 1145

Reg. S. Donati.

Stat. No. ubi sup. n. 18.

Nebridius Epist. 148.

Ubi supra num. 22.

Synod. Quinisext. et Concil. Carthag. 4. canon. 11.

Ubi supra.

VII. In victu eumdem nobiscum servant rigorem, etiam cum privatione carnium in extrema ægritudine. In eo tamen illud discrimen est, quod nos diebus ferialibus in cellis nostris soli semper comedimus ; illæ vero nunquam solæ, sed in communi refectorio quotidie vescuntur.

IN VICTU.

Silentii ac solitudinis non tam strictis legibus tenentur ut Monachi, ne impari sexui gravius pondus foret par in his præceptum, licet aliorum Ordinum sanctimonialibus in utroque longe adhuc austeriores sint. Hinc est etiam quod singulis diebus, ut jam observavimus, idem refectorium frequentent tum in prandio et cœna, tum in illa cœnula, quam jejunii diebus « collatiunculam » dicimus. Semel etiam in die recreatio, qua monachi diebus ferialibus privantur, Monialibus

In silentio et solitudine.

ANNUS 1145

In recreatione.

conceditur sicut aliis sacratis Deo virginibus etiam rigidioribus. In ea tamen juxta Statutorum mentem tempus utiliter terere debent, religiosos secum sermones conferendo. Cæteris vero diei horis conclavi se continent silentio. Cellas separatas non habitant ut Monachi sed simul in uno, distinctis cubiculis, dormitorio quiescunt.

In cellis.

IN OFFICIO DIVINO.

VIII. Officium divinum exceptis brevioribus, quas e breviario assumunt, Matutinarum lectionibus, instar Monachorum diu noctuque persolvunt; una e Monialibus benedictis, cui vice sua contingit, horas incinente et Evangelium absentibus Monachis post nocturna cantante. Omnes fere horas B. Mariæ in ecclesia, si volunt, binæ recitant. In majori Missa sacerdos ad *Confiteor,* post fratres addit et *sorores :* quod mirum quibusdam fortasse videbitur, cum id in Ecclesia inusitatum sit illudque verbum « fratres » sexum utrumque complectatur. Hunc tamen non audemus morem penitus arguere, quem ratione et autoritate possunt tueri. Ratione quidem : quia sicut apud nos Monachos, ita et apud Moniales nostras sacerdos confessionem hanc alta voce facit solis sæpe audientibus, et quod singulare est, respondentibus ipsis Monialibus ; quod nusquam in tota Ecclesia factum fuisse puto. Autoritate vero : nam legimus in missa Latina a Matthæo Illirico edita, sacerdotem inter oblationes orare ad Deum « pro me peccatore et nostræ Congregationis salute, et pro omnibus in Christo fratribus et *sororibus* nostris » ; et conversum ad circumstantes his verbis uti : « orate pro me peccatore fratres et *sorores* », cui omnes tam viri quam fœminæ respondebant « suscipiat, etc. » Idem in Ecclesiis Remensi et Laudunensi observatum fuisse a Belloto discimus. Et in vetusto missali ms. Gratianopolitanæ Ecclesiæ, orationi « Deus veniæ largitor » additur « nostræ congregationis fratres et *sorores.* » Similia habentur in sacramentario Gallicano, quod vulgavit clarissimus vir P. Mabilonius, inter orationes quæ in Vigilia Paschæ solebant recitari.

In missa Majori.

Bellot. de ritib. Eccles. Laudunen.

Mab. tom. 1. musæi Italici.

Legunt epistolam.

Præterea ipsæ Moniales Epistolam in majori Missa legunt ; neque res est adeo stupenda, quandoquidem in sua consecra-

tione stolam et manipulum accipiunt, quæ sunt Diaconorum et Subdiaconorum insignia; daturque eis ab Episcopo potestas « incipiendi horas canonicas et legendi officium in ecclesia », quibus verbis videntur horæ Canonicæ ab officio distingui, licet majorem illius partem constituant. Hic igitur officii nomine præter Horas canonicas, ea etiam comprehendi videntur quæ non habent ordinem ad sacerdotium, et citra altaris ministerium fiunt: ut sunt in majoribus Missis Introitus, Responsoria et alia id genus, inter quæ lectio Epistolæ censeri potest, quæ ideo in ruralibus parœciis, ubi deest ministrorum copia, a laico cantatur nullis sacris Ordinibus initiato. Cum igitur satis frequenter accidat ut in nostris partheniis, quorum pleraque solitariis in locis sita sunt, duo tantum aut tres Monachi sacerdotes commorentur, e quibus sæpe unus solus, ob aliorum absentiam, adest qui hanc missam celebret, ecquidnam indecori esse potest si sanctimoniales ab Episcopo consecratæ Epistolam legant, quam, ut diximus, legunt etiam laici? Nonne aliquid magis insolens faciebant sanctimoniales Diaconatu insignitæ (quarum loco consecratæ virgines successerunt), quæ non solum viris laicis sed etiam quibusdam clericis prælatæ erant ab antiqua Ecclesia, quæ ipsas immediate post Diaconos, ante vero Subdiaconos ordinavit et recensuit?

ANNUS 1145

V. infra ad an. 1315.

Morin. in Commentar. de sacr. Ecclesiæ Ordinationibus.

IX. Præter Moniales sunt apud eas Conversæ et Donatæ, sicut apud nos sunt Conversi et Donati. Conversæ panno albo, Donatæ cinereo vel castaneo Donatorum nostrorum adinstar induuntur. Fuerunt etiam olim inter eas Redditæ Sorores ut ex quadam Charta capitulari discimus, in qua « injungitur Monialibus Domus Brugensis, ut numerum quinquaginta sex tam Monialium quam Redditarum et Conversarum, sine licentia Capituli generalis vel R. Patris non augeant. » Et sicut inter nos erant duo genera Redditorum, unum clericorum et alterum laicorum, ita et inter eas erat duplex gradus Redditarum. De laicis non est ambigendum. De clericis perspicuum est ex alia Charta ubi reperitur obitus « Annæ Tortseret clericæ Redditæ » ejusdem domus Brugensis, sed

IIDEM APUD MONIALES PERSONARUM GRADUS, QUI ET APUD MONACHOS.

Ex Ch. 1425.

Ex Ch. 1424.

ANNUS 1145

dicet aliquis quid clericatui et mulieri? Quod ut rite intelligatur, sciendum est quod secundum Statuta Antiqua olim fuerint in monasteriis tam monachorum quam Monialium, clerici Redditi monachis quidem inferiores sed Conversis superiores. Similiter erant Redditi laici inferiores Conversis, sed qui Donatos præcedebant. Sicut igitur in nostris partheniis Moniales Monachos referunt, Conversæ Conversos, Donatæ Donatos; sic ad omnium statuum similitudinem in sexu fœmineo exprimendam, erant apud ipsas Redditæ, quarum aliquæ Conversas præcedentes clericorum nomen et vicem gerebant quantum sexum decebat; aliæ vero quæ Conversas sequebantur, laicos Redditos repræsentabant. His omnibus una præficitur Priorissa, quæ a prima Monialium nostrarum institutione, debet « obedientiam promittere Capitulo generali pro se et domo sua », et singulis annis misericordiam sive absolutionem ab officio, sicut Priores, petere ab eodem Capitulo generali. Mortua vero vel absoluta Priorissa, Moniales idem jus habent eligendi quod monachi; sed Vicarius in hac electione primam habet vocem, licet alii monachi apud eas degentes ab ea excludantur. Nulla porro eligi potest minor quadraginta annis, aut saltem quæ trigesimum ætatis suæ annum non excesserit, et quinque annis post professionem laudabiliter non vixerit. Porro pro sacramentis administrandis, pro negotiis gerendis aliisque id genus præstandis quæ fœmineum sexum non decent, instituitur Vicarius, cujus electio non ab ipsis Monialibus sed a generali Capitulo et aliis Ordinis Superioribus pendet. Hic quibusdam monachis et Conversis vel Donatis ad eum in utroque statu juvandum deputatis comitatus, sejunctisque in ædibus cum eis habitans, quod sui est officii juxta earum necessitatem ipsis opportune impertitur.

Reguntur per Priorissam,

Stat.An.p.3. c. 34. n. 1.

Nov. Collect. Stat. p. 3. c. 23. numerus 1 et seqq.

Et per Vicarium.

X. Pratibajonenses Moniales quando ad nostrum transierunt Institutum, per clericos seculares Episcopo subditos directas fuisse, illos vero et vitam et vestem regulares juxta formas sibi a Patribus præscriptas simul amplexos fuisse, verisimile est. Id non absurde colligimus ex decretis Capituli

OLIM PER CLERICOS REDDITOS REGEBANTUR.

Ex codice ms. Cart. Majoris.

generalis Basilii et Jancelini Cartusiæ Priorum temporibus emanatis, inter quæ unum legimus quo Patres jubent ut « Clerici Pratibajonis cum habitu suo et capa nigra in ecclesia et refectorio recipiantur. » Plerique horum clericorum erant sacerdotes ad sacramenta administranda, unde et Capellani Redditi dicti sunt ; sic enim vocantur a nostro Bosone cum de diversis Religiosorum apud Cartusienses statibus loquitur. « Alii sunt, inquit, Capellani Redditi cum Monachabus dicti Ordinis commorantes. » Et iidem erant ac Patres spirituales, quos aliarum Monialium Regulæ presbiterorum nomine designant, « qui raro nisi de confessione et animæ ædificatione loquerentur. » Præter Clericos sive Capellanos nullus his temporibus monachus in partheniis nostris demorabatur, sed dabantur eis Conversi qui res domesticas procurarent. Adeo enim Patres animum ab omni fœminarum consortio alienum semper habuerunt, ut nullum monachum nostri Instituti professum permitterent, etiam apud ipsas sanctimoniales degere vitam. Sed ne earum directionem negligere viderentur, Visitatores præponebant, qui bis vel ter quolibet anno ad eas accedentes earum statui spirituali maxime providerent. Ita constitutum fuisse ex citatis decretis discimus, nam ibi præcipitur ut « Moniales semper recurrant ad Visitatores suos, et ipsi habeant plenam potestatem a Capitulo generali ordinandi in omnibus de eis quibus committitur cura animarum earum, et Clericorum et Conversorum earum. » Quæ postea Rifferius suis Statutis inseruit. Sic igitur nostræ Moniales per centum et viginti annos a Clericis Redditis gubernatæ fuerunt, donec Patres, justis de causis moti, monachum eis præficere coacti sint ut suo dicemus loco. Idem regiminis modus quoad Visitatores et Conversos apud aliorum Ordinum Moniales tunc tenebatur, ut licet colligere ex verbis Humberti Ordinis Prædicatorum Ministri generalis, qui in tractatu *de Prædicatorum eruditione,* sermonem ad quarumcumque Religiosarum mulierum Conversos scripsit, ex quo patet parthenones hujus temporis a Visitatoribus quoad spiritualia et a Conversis quoad temporalia regi solitos

ANNUS 1145

Boso in tract. ms. de orig. et verit. perfectæ Religionis.

SS. Aug. et Aelredi Regulæ.

Sub potestate Visitatorum.

V. ad an. 1260.

ANNUS 1145

fuisse. « Notandum, inquit, quod sicut in operibus naturæ fecit Deus mulierem in adjutorium hominis, ita in tempore gratiæ ordinatione ejus factum est ut mulieribus Religiosis darentur modo viri Conversi in adjutorium earumdem, sicut Beatæ Virgini eadem de causa datus est sanctus Joannes et Joseph. . . . . . Debent igitur Conversi in adjutorium prædictum assumpti, juvare hujusmodi mulieres in terrenis, pro eis in proprio corpore diligenter laborando, et bona earum diligenter custodiendo : item in corporalibus quantum ad victum et vestitum et habitacula et hujusmodi necessitates. In spiritualibus pro religione earum zelando, Visitatoribus, quæ corrigenda viderint, fideliter indicando. »

CLERICI ET CONVERSI PROFITENTUR IN DOMIBUS MONIALIUM.

XI. Conversos suos clericosque Redditos primum e seculo fugientes, ad novitiatum et professionem, sicut hodie Donatos, olim nostræ Moniales in suis domibus recipiebant. Id nobis noster Rifferius innuit agens de potestate Priorissarum « quæ, inquit, de recipiendis Dominabus et Clericis possint si velint, non tamen teneantur, consilium requirere a Conversis. » Cum igitur hoc loco Monialium et Clericorum receptio non distinguatur, videtur agi de receptione ad habitum sive ad professionem. Neque aliud concludi potest ex aliis ejusdem Rifferii verbis, quibus monet quod « Conversos et Clericos Monialium nostri Ordinis sine earum licentia recipere non debemus. » Et prius permiserat ut « Clerici quoque Monialium nostri Ordinis et Conversi possint intrare ecclesias nostras, clerici cum clericis, et laici cum laicis tam in Cartusia quam alibi. » Quæ certe ita disponere non opus fuisset, si præfati Clerici et Conversi professionem non emisissent in eisdem parthenonibus. Neque contrarium ullo jure decernitur imo videtur expediens, ut qui debebant Monialibus servire, apud Moniales agerent annum probationis. In illo enim vitæ genere probari debent quod debent profiteri, modo tamen vota emittant in præsentia Superioris vel Visitatoris vel ejus commissarii ; nam fœminæ sive sint Priorissæ sive abbatissæ, cum spirituali autoritate careant, solæ non possunt quampiam religiosam personam recipere ad professionem. Porro

Stat. Ant. p. 3. c. 34. n. 2.

Ibid. p. 2. c. 23. n. 33.

C. 9. n. 20.

Caramuel in Reg. S.Bened. disputat. 38.

præfati Monialium clerici Redditi et Capellani, qui a Guillelmo Raynaldi aliquando vocantur sacerdotes Redditi vel clerici Presbiteri, in victu et vestitu cæterisque sui status observantiis, erant prorsus similes clericis Redditis qui apud Monachos postea recepti sunt.

CUM QUANTA CURA NOSTRÆ MONIALES REGUNTUR.

XII. De consecratione, dote, clausura, et aliis hujusmodi observantiis Moniales Cartusienses spectantibus, plura passim in his Annalibus dicenda occurrent ex actis Capitulorum generalium, ex quibus facile innotescet nihil inter eas observari, quod non reperiatur antiquis sanctimonialium ritibus vel sacris canonibus aut Sanctorum Patrum dictis maxime consentaneum. Unde et mirabilior illustriorque fiet jugis illa prudensque sollicitudo quam veteres Nostri juxta monitum a Rifferio Antiquis insertum Statutis circa earum salutem et perfectionem adhibuerunt. « Provideant, inquit, Diffinitores sollicite quod tale consilium apponant circa salutem et bonum statum Monialium, quarum curam susceperant, ne ex aliqua circa hoc negligentia graviter remaneant obligati in die judicii, coram sponso earum Domino Jesu Christo. » Nihilominus cum animadverterent hac fœminarum cura monachos ab arcta quam profitemur solitudine abstrahi, tum hanc ob rationem, tum propter alias utiles et honestas causas quas præviderunt, decreto solemni ab annis fere trecentis et quinquaginta prohibuerunt, ne ullius parthenonis fundatio deinceps admitteretur ; tale decretum a Guillelmo Raynaldi velut irrevocabile his verbis renovatum est : « Statuto perpetuo et irrefragabili ordinamus ne amodo in Ordine nostro domus novæ Monialium recipiantur aut incorporentur, sed tantum nobis cura sufficiat susceptarum. » Henricus Calkar agens de nostris Monialibus ejusdem prohibitionis meminit : « Habentur, inquit, decem domus Monialium, quarum propinquior nobis et ultima, prope Brugis est in Flandria. Noluit Ordo plures recipere, quia gravis est fœminis vitam talem ducere. » Cistercienses eodem spiritu animati, olim pariter sanciverant ut « nulla monasteria Monialium sub jurisdictione sui Ordinis de

Stat.Ant. p. 3. c. 34. n. 10.

Novorum parthenonum receptio prohibetur.

Stat.Nov. p. 3. c. 4. n. 29.

Tract. mss. de orig. et progr. Ord. Cartus.

Distinct. 15. cap. 1.

ANNUS
1145

Oblati a Principibus respuuntur.

cætero construantur, et qui procuraverit illa puniatur. »

A fundatione itaque Brugensis parthenonis, qui fuit ultimus, ut optime laudatus Calkar observavit in Ordine receptus circa medium seculum quartum decimum, etsi plures Principes novos construere proposuerint, eorum tamen petita æque constanter ac modeste Patres semper denegarunt. Hanc Patrum constantiam experta est serenissima princeps Maria Medicea Galliæ Regina, quæ cum quoddam monasterium Parisiis Cartusiensibus vellet virginibus assignari, humilem cum maximis exhibitæ bonæ voluntatis gratiis repulsum pie passa est. Nuper etiam nobilis quædam matrona se suasque facultates novo sanctimonialium nostri Ordinis cœnobio cupiens adscribere, a R. P. Joanne Pegone Cartusiæ Priore piis desideriis exclusa est. Denique exterarum Monialium, quæ Instituti nostri non sunt, regimen jubentibus Summis Pontificibus aliquando inviti suscepimus ; sed oblata post aliquot annos opportuna occasione illud excussimus. Virgines quoque Carmelitanæ, quarum sanctitas non parum Ecclesiæ quotidie offert splendoris, ubi primum in nostram Franciam adductæ fuerunt, directioni Cartusiensium submitti totis viribus tentarunt, adhibitis Pontificum et Principum precibus et autoritate, sed frustra ut cum admiratione suo exponemus loco.

JESU CHRISTI

ANNUS 1146.

Eugenii PP. III.	Ord. Cartus.	S. Antelmi Pr. Cart.
Ann. 2.	Ann. 63.	Ann. 8.

I. SEQUITUR Redemptoris annus millesimus centesimus quadragesimus sextus, Indictione nona, quo vel circa quem decessit aut abdicavit Airaldus Maurianensis episcopus, quondam Monachus, non vero Prior Cartusiæ Portarum. Ejus obitus variis in Calendariis ponitur ad 4 Nonas Januarii. In Majorævensi sic legebatur : « obiit Airaldus monachus, episcopus Maurianensis. » In Arveriensi : « Airaldus monachus, episcopus » ; nulla facta mentione cartusiæ et Ecclesiæ cui præfuerit. Sed utraque nominatim designatur in Necrologio Lugdunensis Ecclesiæ ante annum 1275 exarato : « obiit Airaldus monachus quondam Portarum, episcopus Maurianensis. » Et eodem die Anniversarium ejus describitur in veteri libro obituum Maurianensis Ecclesiæ. Ejus quoque epitaphium sepulchro appensum monachalis professionis meminit his verbis :

AIRALDUS MAURIAN. EPISCOPUS MORITUR.

Ex mss. Ecclesiæ Maurian.

Monachus Portarum.

Hic jacet Airaldus, claro de sanguine natus,
  Portarum Monachus, Pontificumque decus :
Ecclesiæ lumen, miserorum atque columen,
  Virtute et signis splendidus innumeris.

Ex his satis liquet Airaldum aliquando, ut diximus, vitam fuisse Cartusiensem professum. Sed constanter asseveramus hunc vel alium esse ab Airaldo, cujus Guigo noster in Vita sancti Hugonis honorifice meminit, vel certe si idem est,

Petr. Chifflet Soc. J. in præf. ad manual. solitar.

ANNUS
1146

Cartusiensem vestem tantum induisse post adeptum sive etiam post abdicatum episcopatum, non vero antea. Ex his enim quæ diximus ante duodecim annos, sole clarius apparet hunc ex S. Hugonis Archipresbytero ad eam dignitatem evectum fuisse. Ejus Vita a recentiore quodam autore scripta, multorum in manibus tum Cartusiensium tum alterius professionis virorum habetur, sed tot adjunctis veritati parum consonis referta, ut his eam Annalibus inserere minus æquum duxerimus. Nec etiam tempus censemus terendum in opinione eorum refutanda, qui putant eum ex Domus Portarum Priore Episcopum electum fuisse, et suæ Ecclesiæ ab anno 1145 ad annum 1167 præfuisse. Constat enim ex accurato præfatæ Priorum cartusiæ catalogo nullum hujus nominis ipsam unquam rexisse; præterea Airaldus jam erat Episcopus anno 1143, ut videre est apud Guichenonem. Eamdemque Ecclesiam gubernasse inveniuntur Barnardus anno 1146*, ut legitur in *Bibliotheca Floriacensi* in Privilegio Conradi Romanorum Regis, et post annum 1152 ut colligitur ex Vita S. Petri Tarantasiensis; et Petrus anno 1160 juxta Sammarthanos. Porro nostrum Airaldum, si tamen noster est, inter hujus temporis Præsules meritis celebres annumerat autor Vitæ præfati S. Petri: « In ea, inquit, potissimum regione fœcunda virorum potestas plures sibi pene contemporaneos insignes edidit sacerdotes, sanctum videlicet Hugonem Granopolitanum. . . . . . . Airaldum et Bernardum Maurianenses, etc. »

Olim Sancti Hugonis Gratianop. Archipresbyter.

V. supra ad an. 1134.

Theoph. Rayn. in Stylita Myst.

Inter prob. hist. Sab. p. 34.

**1147. juxta calculum hodiernum.*

Viennæ sacræ pag. 81.

Sammarth. in Episcop. Maur.

Vita S. Petri Tarant. c. 3. apud Bolland.

Anno 53 seculi decimi septimi, die vero Commemorationis S. Pauli Apostoli, reverendissimus et illustrissimus episcopus Maurianensis Dominus Paulus de Milliet de Chales, beati Airaldi motus sanctitate et ut animi sui pietatem et observantiam in præfatum hunc sanctum Antistitem apertius declararet, ad suam Cathedralem duos accersiit Canonicos (quorum unus fuit Dominus A. Remon senior ob pietatem erga hunc Sanctum venerandus), Medicum, Procuratorem ejus ad pias causas, et latomum, ut januis clausis aperiret B. Airaldi sepulchrum. Præstitoque prius ab eis juramento

sub æternæ damnationis pœna se non revelaturos statum ipsius, illud jussit aperiri. Quo aperto inventum est ad medium repletum terra, lucernis vitreis et vasis testaceis fractis, cum alio vase vitreo ad formam calicis formato, non fracto sed integro; et ossibus omnium partium corporis humani staturæ brevis, excepto capite, de quo cranum solummodo repertum est. Quibus cum honore et reverentiali visis et veneratis, et intra ligneam capsulam syndone ornatam reconditis, una cum terra et vasis inventis in sepulchro, ea reponi præcepit idem illustrissimus Antistes. Certe si post abdicatum episcopatum Airaldus Cartusiensis factus est, ad suam Ecclesiam debuit Cleri efflagitatu transportari.

ANNUS 1146

CARTUSIA ANGIONIS FUNDATUR.

II. Hoc anno vel certe ante annum 1149, ut ex Arducii Genevensis episcopi literis inferius exscribendis apparebit, fundata fuit Nostræ Dominæ Angionis Domus, quæ in diversis documentis varie nominatur, videlicet Aljonis per unicam L et tres syllabas, et Algionis, sæpius autem Augionis. Sed in generalis Capituli Chartis semper Angionis dicitur. Ex priore appellatione Alionis, quæ in Antiquis Statutis mss. frequentius reperitur, quidam eam confuderunt cum Domo Allionis, quæ adhuc stat et de qua suo loco dicemus.

Situs ejus.

* Le pays de Vaux.

* Nions.

Sita est Angionis cartusia in agro Latobrigo *, tunc Comitum Genevensium ditionis, non longe Neviduno * quod tribus leucis Geneva distat, inter pagos de *Arzier* et *Saint-Cergue,* in loco ubi nunc constructa est vitraria officina, versus S. Claudii fanum satis notum comitatus Burgundiæ oppidum, a quo una tantum abest leuca ad Orientem. A Dominis Bernensibus heterodoxis modo detinetur, excepta grangia dicta de Sacconay, quam nuper (utinam et totam Domum) receperunt Patres Societatis Jesu. Ejus Instrumenta et Chartæ ab ejus dilapidationis tempore ad Repausatorii Domum transportata, et ibidem diu asservata, ad Majorem Cartusiam nuper transmisit venerabilis ejusdem Domus Prior. In eis desiderantur Fundationis literæ, sed ex quibusdam aliis, Fundatorum hactenus ignotorum notitiam habuimus.

ANNUS
1146

DOMINI DE GENULIACO FUNDATORES ILLIUS

III. Hi fuerunt Domini de Mons et de Genuliaco ejusdem familiæ. Id primum patet ex Instrumento dato anno trigesimo septimo subsequentis seculi a Coeneto de Genuliaco, qui prædecessores suos Domus Algionis Fundatores appellat. Est autem tale instrumentum :

« Ego Coenetus Dominus Genuliaci notum fieri volo universis præsentem paginam inspecturis, quod cum ego malo ductus consilio multotiens mala et damna intulissem Domui Algionis Cartusiensis Ordinis, quam prædecessores mei fundaverant, in qua tamen nullum jus, nullum dominium, aut sibi aut successoribus suis retinuerunt, sive fundationis, sive advocationis causa, vel alio quocumque modo ; tandem pœnitentia ductus, et ab amicis meis correptus super tali malitia quam injuste exercueram adversus Domum prædictam, tam in personis quam in rebus diversis Domus ejusdem, promisi, et super Passionem Domini nostri Jesu Christi et super sanctum altare superioris ecclesiæ Domus ipsius juravi, quod amodo, et usque in perpetuum grangias et terminos Domus quos ego violaveram et violari feceram, immunes et salvos, et liberos, et quietos ab omni violentia, exactione et rapina, per me et per hæredem meum custodirem, et personas et animalia, et mercenarios, et res Domus universas et singulas, ubicumque intra terminos et extra pro viribus ab omni injuriante defenderem, et pro his omnibus in perpetuum fideliter observandis, prout melius ad utilitatem Domus intelligi potest, darem et ponerem eis securitates et fidejussores quoscumque vellent et ego possem. Actum anno Domini MCCXXXVII. Mense Aprili in Ramis Palmarum. Testibus rogatis et vocatis Domino Henrico de Monz, Domino Gerardo de Altavilla, Domino Petro de Versenai Militibus ; Stephano de Roselione et Jaqueto de Arnai Domicellis ; et Joanne Fabro et Amaudrico de Genuliaco, in præsentia Jordanis Prioris et Conventus Algionis, et aliorum multorum. Ad cujus rei pleniorem firmitatem, præsentem Chartam sigillo proprio roboravi. »

Sigillum pendens habet in scuto magnum liliacei floris ala-

bastrum, cum duobus aliis parvis floribus etiam liliaceis inferius ad utrumque latus. ANNUS 1146

In aliis literis idem Coenetus patrem suum nominat Guidonem et duas sorores suas Nicolaam et Isabellam, relictam vero patris sui Julianam. Et Aymo Genevensis episcopus quamdam donationem a Coeneto factam confirmans, ejus prædecessores etiam nominat hujus Domus Fundatores. Idem facit Yblo Dominus de Monz, præfati Coeneti patruus, in literis eodem anno datis, ut sequitur:

« Universis in Christo fidelibus Yblo Dominus de Monz æternam in Domino salutem. Notificamus vobis quod Coenetus nepos noster et Dominus Genoliaci, in præsentia Domini Episcopi Gebennensis et nostra constitutus, et pœnitens super malis et damnis quæ injuste nimis intulerat Domui Algionis Cartusiensis Ordinis, quam quidem prædecessores nostri fundaverant, sed nullum jus temporale nullumque dominium in ea vel sibi vel suis posteris, sive patronatus, sive avocaciæ, sive fundationis causa, seu alio quocumque modo retinuerant, pro recompensatione damnorum illatorum, et pro solutione VII librarum et XV solidorum et bladi plusquam sex modiorum : concessit, dedit et assignavit Domus prædictæ Fratribus octo cuppas boni frumenti ad mensuram de Nions apud homines suos de Genuliaco, libere et quiete annis singulis perpetuo percipiendas, videlicet tres cuppas in casali et tenemento Uldrici Balbi, et tres alias cuppas in casali et tenemento Amodrici de Sozui, et duas residuas cuppas in casali et tenemento Deubordons, scilicet Evrardi, Anselmi et Stephani. Quod si in nominatis casalibus hæres aut possessor non esset ; aut si esset, sed reddere prædictam frumenti summam pacifice atque integre jam dictæ Domui annis singulis nollet ; concessit idem Coenetus ut Domus Algionis supradicta casalia et tenementa libere teneat et possideat, donec ibidem institutus sit hæres qui dictam frumenti summam integre sibi et absque calumnia reddat. Actum anno Domini MCCXXXVII, et ad mandatum et preces tam Coeneti quam Algionensium sigilli nostri muni-

ANNUS 1146 mine confirmatum. Testes : Dominus Henricus de Chavenz frater Domini Aymonis Gebennensis episcopi, Dominus Guericus de Albona, et filius meus Henricus, et plures alii seculares, et Frater Aymo Algionensis Conventus. In castro meo de Monz, mense Martio. »

Joannes Lauzanensis episcopus in literis anno 1244 mense Martio datis, ejusdem Coeneti de Genuliaco majores vocat Fundatores dictæ Domus. Unde hic honor non videtur aliis tribuendus, licet tum in Summorum Pontificum Bullis, tum in Episcoporum Genevensium ejusdem cartusiæ bona et privilegia confirmantium literis, fiat solum mentio eorumdem Dominorum de Monz et Genuliaco tanquam qui terras Cartusiensibus vendiderint, nulla facta Fundatorum tituli memoria.

COMITES GENEVENSES ETIAM DICTI FUNDATORES.

IV. Eamdem etiam fundationis prærogativam sibi arrogavere Comites Gebennenses, quos reperio sub fundationis initium dedisse quidquid hæc Domus possidebat in terra Israel. Hujus donationis notitiam habemus ex subjecto instrumento :

« Ad malum oblivionis vitandum quod per primi hominis peccatum incurrimus, posterorum nostrorum memoriæ scripto relinquimus quod Domnus Amedeus Gebennensium comes, pro salute animæ suæ suorumque parentum, dedit Deo et beatæ Mariæ ac Fratribus de Alione, quicquid in terra de Sancto Israel habebat vel habere videbatur, perpetuo possidendum. Hujus vero donationis testes sunt : Hugo Prior Valonis qui hanc terram quæsivit ab ipso Comite, et per cujus manum prædictis Fratribus de Alione Comes hoc donum fecit; Guillelmus Alpensis Abbas, Petrus Monachus, Guido Conversus, Geraldus de Langins, Guillelmus de Bosco, Giroldus Bardel. »

Istud diploma sub Fundationis initia datum fuisse colligo ex Hugone Domus Vallonis protopriore ibidem designato. Amedeus vero eodem tempore florebat, cujus filius primogenitus Guillelmus nomine, cartusiæ Pomerii conditor fuit. Amedeus alter ejus filius, Gesii* Dominus, multa contulit An-

* *Gex.*

gionensi cœnobio, ejusque munificentiam testantur sequentes literæ genealogis non inutiles futuræ : ANNUS 1146

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Noverint omnes ad quos præsens scriptum pervenerit, quod ego Amedeus Dominus de Jaiz, pro remedio animæ meæ concessi in perpetuum et laudavi bona fide, quæcumque Antecessores mei contulerunt Domui Alionis in pascuis, in nemoribus, in terris cultis vel incultis, et omnes investituras quibus jam dicta Domus investita est, et ea quæ habitatores Alionis acquisierunt infra terminos suos, quæ de dominio meo sunt vel ad dominium meum pertinent. Præterea dedi et concessi in perpetuum habitatoribus Domus Alionis pedagium et venditiones et pascua per omnem terram meam. Hoc donum feci in manu Domni Galcheri Prioris Alionis ante grangiam de la Vigni, XIV Calendas Januarii, præsentibus monachis Bernardo Sacrista, Humberto de Ponte, Bernardo Procuratore, et Petro Converso coquinario; qui omnes testes sunt hujus rei. Sequenti vero die, scilicet XV Calend. Januarii, similiter prædictum donum feci apud Jaiz in aula mea coram hominibus meis et filiis meis Stephano et Amedeo, qui concesserunt et laudaverunt bona fide omnia prædicta. Ego vero Amedeus * Dominus de Jaiz ad confirmationem et testimonium supradictorum, præsentem Chartam sigilli mei munimine præcepi roborari. Volui etiam ut venerabilis Pater noster Bernardus Gebennensis episcopus suum sigillum apponeret ad majorem confirmationem. Testes sunt hujus rei Milites V. Willelmus Boffei, Radulphus de Toiri et Pontius de Pistignie, Willelmus de Chablie et Jacobus de Albona, Falco de Trelai nondum miles, Willelmus dulcis Mestrauz, Hugo cocus, et plures alii. Actum est anno ab Incarnatione Domini MCCX. »

* *Filius videlicet.*

Stephanum præfati Amedei filium non novit Guichenonius in Comitum Genevæ tabulis.

V. Inter præcipuos Benefactores primum locum meretur Fridericus Imperator, qui per has regiones anno hujus seculi septuagesimo octavo transiens, quidquid juris habere poterat BENEFACTORES.

ANNUS 1146

Abbatia sancti Eugendi benefactrix.

ratione Imperii infra hujus Domus terminos, libenter largitus est dato diplomate quod alibi exscribendum curabimus. Post Imperatorem, locum merito obtinet Abbatia Sancti Eugendi Jurensis nunc S. Claudii titulo famosa, cujus abbas Humbertus consentiente Conventu suo multa contulit quæ Ado unus ex ejus successoribus laudavit, ut innotescit ex literis Arducii Genevensis episcopi omnes donationes et acquisitiones hactenus factas confirmantis, ut sequitur :

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Arducius Dei gratia Gebennensis episcopus, Hugoni Priori Alionis ejusdemque loci Fratribus, tam præsentibus quam futuris, æternam in Christo salutem. Ad episcopalem curam pertinet personis ecclesiasticis, et præcipue viris religiosis plurima bona conferre, et collata scripti sui munimine roborare, ne donationes et eleemosynæ factæ pietatis intuitu, vel maligna perversitate mutationem suscipiant, vel per longam temporis successionem delabantur ab humana memoria. Ea propter dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et vestram Domum cum suis terminis, et ea quæ infra ipsos terminos acquisistis vel acquisituri estis, sub beati Petri Patroni nostri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Hæc autem sunt propria ipsorum terminorum vocabula. Ab oriente terminus, fossatum quod subterjacet campo Salomonis. A meridie terminus, Coslona recta via usque ad pratum de Corp. Ab occidente terminus, mons Oisell recta linea usque ad Orbam super lacum. Ab aquilone terminus, Calmes rotunda recta linea usque ad vallis medium, quæ inter ipsam Domum et villam de Bassins. Sane laborum vestrorum quos propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, sicut Dominus Papa Lucius III prohibuit, nullus a vobis decimas exigere præsumat. Possessiones vero, quæ infra terminos vestros vobis donatæ sunt et concessæ, nihilominus concedimus et confirmamus. Videlicet quicquid Domnus Fredericus Romanorum Imperator vobis donavit et concessit suique scripti munimine roboravit; quicquid Dom-

nus Humbertus abbas Sancti Eugendi, laudante communi Capitulo, tam in decimis quam in pascuis dedit atque concessit. Hoc etiam postea Domnus Ado abbas ejusdem monasterii laudavit atque concessit, prædicto Capitulo laudante. Similiter quicquid acquisivistis a Domo Paterniacensi laudante communi Capitulo. Simili modo et eodem tenore confirmamus dona et eleemosynas Amedei comitis Gebennensis, scilicet terram Sancti Israel, et pascua ab Arva fluvio usque castellum de Chamoz, et a Rhodano usque ad Sallevum montem. Dedit autem hæc prædictus Comes, duobus filiis suis laudantibus, Domui Alionis tali pacto ut pascua prædicta, nulla alterius Congregationis animalia depascendi haberent facultatem. Quod si aliquando aliqui præfata pascua vellent depascere, promiserunt se prædictus Comes et filii ejus eos exinde propulsuros, et Fratribus Alionis a cæteris sæpe dicta pascua conservaturos. Similiter etiam confirmamus quicquid Domus Alionis a Domno Ludovico de Monte et a filiis ejus acquisivit, et a Domno Humberto de Prengins et a filio ejus, et a Domno Humberto de Albona et a filiis ejus, et quicquid etiam ab hominibus supradictorum Dominorum acquisivit vel acquisitura est, totum confirmamus et in perpetuum ratum esse decernimus. Decernimus ergo ut nulli omnino non liceat præfatam Domum temere perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ confirmationis paginam sciens contravenire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, ream et excommunicatam, ex parte Dei et beatæ Mariæ semper Virginis et omnium Sanctorum et nostra, se cognoscat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem æternæ pacis præmia inveniant. Amen. »

ANNUS 1146

Hic Ardutius sedit ab anno 1135 ad an. 1185, hasque literas dedit post annum 1181 quo Lucius III Papa in eis nominatus sedere cœpit. Humbertus vero S. Eugendi abbas

Sammarth. in Episc. Genev. et in Abbat. Jurens.

ANNUS 1146

donationis autor, tribus tantum annis præfuit, ab hoc quem agimus anno ad annum 1149. Unde colligimus Angionensem Domum initium jam habuisse. Præter præfatum Humbertum et Adonem in eisdem literis velut benefactores designatos, Bernardus episcopus Bellicensis, Jurensis quoque monasterii simul Abbas, concessit Abboni Alionis sive Angionis Priori, decimas terrarum infra cartusiæ terminos consistentium. Instrumentum concessionis datum est apud S. Eugendum, anno ab Incarnatione 1213, mense Januario.

Episcopi Genevenses etiam Benefactores.

Ex Episcopis Genevensibus, Ardutii successores se se studiosos hujus Domus defensores exhibuerunt ; et præsertim Nantelmus terminos cum licentiis requisitis dilatatos confirmavit præsente Willelmo Gebennensi comite anno 1195, et paulo post quosdam vexatores excommunicationis sententia compescuit. Bernardus ejus successor eleemosynam Guidonis de Mons sua autoritate confirmavit anno 1210. Petrus electus Episcopus ad Hugonis militis de Salanova petitionem, munus ab eo oblatum suo sigillo corroborat sine anno. Aymo Petri successor Monachorum consuetudine delectabatur, et a vicinis Nobilibus multa in eorum gratiam impetrabat. Eos cum Coeneto Genuliaci Domino, de quo supra, reconciliavit ; usus præsertim opera fratris sui Henrici de Chavenz. Similibus beneficiis Lauzanenses Præsules cœnobium hoc locupletarunt. Inter eos maxime annotandi sunt Joannes electus Episcopus (ut habetur in Charta ejus sigillo subsignata) qui anno 1243 donum Raymundi de Cummignia ratum habuit. Petrus ejusdem Ecclesiæ episcopus conservatoris titulum accepit anno a Nativitate Domini 1323, die 10 Martii. Guido quoque Sammarthanis ignotus, judex et conservator ac executor a Sede Apostolica delegatur anno 1386, die 10 Novembris. Joannes abbas Bonimontis Ordinis Cisterciensis inter singulares hujus Domus amicos reperitur, ab anno 1245 ad annum 1249.

Item Lauzanenses.

Infinitus est Nobilium numerus, qui bene de hac Domo meriti sunt, sed paucos sufficiet recensere : Guido de Monz ex fundatorum genere non solum Majorum largitiones con-

firmavit, sed novis eas auxit beneficiis, ut ex Charta anni 1210 data liquet. Eblo ejus filius patris munificentiam imitatus est. Hugo de Salanova miles, pascua per totam terram suam concessit circa eumdem annum. Jacobus de Albona miles, antecessorum suorum beneficia approbans multa addidit anno 1212, et septennio post, casaldum suum vocatum *Mimoreis* contulit, laudante et confirmante Beatrice ejus uxore et sigilla sua apponentibus Bertoudo Lauzanensi et Aymone Gebennensi episcopis; literæ datæ sunt anno 1219. Ipso mortuo Beatrix ejus vidua, Jacobus et Joannes ejus filii, eadem beneficia auxerunt, et anno 1236 quosdam reditus annuales concesserunt « in albergamento Bosonis de Rognon apud Doliacum », quod propterea absolverunt ab omni pelucheria. Guerricus de Albona eorum patruus cum Clementia uxore exemit Domum Alionis ab omni leida et pedagio, vineamque dederunt anno 1239 mense Augusto; testes hujus donationis fuerunt Michael abbas Bonimontis, Jacobus Drocensis archidiaconus ejusdem Guerrici frater et alii. Cæteri denique Benefactores, quos præterire non licet, Petrus, Girodus et Ricardus de Sacconay, qui sub hujus seculi finem villam ipsam de Sacconay largiti sunt. Petrus de Altavilla, Aymo de Amblonay et Radulphus de Oyron qui medio seculo tertio decimo vivebant. Etsi tot beneficos vicinos Angionensis cartusia nacta sit, sanctam tamen paupertatem velut veras Monachorum divitias semper servavit, ita ut vix ex collatis bonis octo Monachos alere potuerit cum tribus aut quatuor Conversis usque ad annum 1536, quo Bernensis civitatis Consilium expulsis ejus habitatoribus illam occupavit.

ANNUS 1146

JESU CHRISTI

ANNUS 1147.

Eugenii PP. III Ann. 3.	Ord. Cartus. Ann. 64.	S. Antelmi Pr. Cart. Ann. 9.

HUGO EPISCOPUS GRATIANOP. FIT ARCH. VIENNENS.

Catalog. Arch. Vien. an. 1239 scriptus.

I. ANNUS incipit Redemptoris millesimus centesimus quadragesimus septimus, Indictione decima, quo Humberto Viennensi archiepiscopo defuncto et in templo S. Petri sepulto, venerandus Hugo Gratianopolitanus episcopus Majoris Cartusiæ olim monachus ad eamdem sedem Metropolitanam translatus est, ut habetur in Viennensium Præsulum catalogo ante quadringentos annos exarato. Ipse suæ translationis meminit in quibusdam literis in Domus Portarum gratiam concessis, quas ideo libet hic subjicere.

Cartular 1. Cart. Portar. fol. 48.

« Ego F. Hugo dictus Viennensis archiepiscopus, præsentis scripti astipulatione cum sigilli nostri impressione ad posterorum notitiam transmitto, quod Fratres Portarum dederunt Bosoni de Briord terram quamdam pro commutatione eorum quæ alibi infra terminos eorum possidebat. Qua commutatione facta, Fratres prædicti rogaverunt eumdem Bosonem ut sylvam. . . . . pro eis defenderet, sive custodiret et pro labore custodiæ pastinationem, id est pretium pro pastu porcorum acciperet, non in perpetuum, sed quamdiu ipsi vellent, exceptis porcis aliquorum amicorum suorum, de quibus ipsi vellent quod gratis pascerentur. Hæc in præsentia nostra gesta sunt, cum adhuc Ecclesiæ Gratianopolitanæ præsiderem. Sed quia schedula quam tunc sigillavi perdita ferebatur, rursum hæc Charta scripta et sigillata est,

cum jam ad regimen Viennensis Ecclesiæ translatus essem. Testes sunt Willelmus monachus de Retortous, Petrus Hugo, Petrus Barnard, et alii multi qui mecum erant. Testes Bernardus Prior Portarum et Boso Procurator Monachi, Bonuspar Conversus, et Gerardus de Briord et alii multi. » Post suam translationem, a quibusdam malevolis apud Eugenium Summum Pontificem accusatus est, quasi qui graviter insectaretur Cluniacenses et Cistercienses. His irritatus Papa asperiores ad Hugonem literas dedit, quæ inter Petri Cluniacensis epistolas reperiuntur in hæc verba:

ANNUS 1147

Pet. Cluniac. Epist. lib. 4. Epist. 8.

INCREPATUR AB EUGENIO III.

II. « Eugenius episcopus servus servorum Dei, venerabili Fratri Hugoni Viennensi archiepiscopo Salutem et Apostolicam Benedictionem. Quanto Persona tua ampliori religioni cognoscitur decorari, tanto gravius ferimus cum per te Religiosi Deumque timentes viri contra justitiam infestantur, et tu super hoc tam a vicinis quam longe positis infamaris. Cum enim tui habitus consideratio te ad religionem diligendam deberet accendere et ad ipsam propagandam studiosius invitare, tu Cistercienses et Cluniacenses Fratres, sicut frequentes querimoniæ indicant, nequaquam protegis sed impugnas; et Cluniacenses Fratres, quos propensius deberes diligere, nihilominus inquietas. »

APUD QUEM SE PURGAT.

III. His ergo acceptis durioribus literis, quas Eugenius circumventus scripserat, Hugo vir innocentissimus, quem calumnia ut sapientem conturbaverat, Petrum Venerabilem amicum suum suæ interpellat innocentiæ testem, modestissime seipsum purgat ab hisce calumniis sibi impositis apud Papam, datis propterea ad eum sequentibus literis :

« Venerabili Domino et in Christo dilecto Petro, Dei gratia Cluniacensium abbati, Hugo Viennensis dictus archiepiscopus salutem et dilectionem. Quanto propensiore studio vos et vestra diligimus quantoque de dilectione vestra confidimus, tanto amplius miramur, imo satis mirari nequimus, si a vobis vel a vestris frequentes adversus nos querimoniæ ad aures Domini Papæ, sicut literæ ejus indicant, priusquam ad nos pervenerint. Si enim in aliquo majestatem vestram nos of-

ANNUS 1147

fendisse præsensissemus, novit Dominus, et ante clamorem et post, nos inde satisfacere paratos. Quod si ut credimus et optamus, non a vobis, sed aliunde falsa suggestione Domino Papæ hujusmodi sunt intimata, Dilectionem vestram quanta possumus precum instantia rogamus, quatenus ea falsa esse, et nos vobis benevolos et propitios, non infestos ei denuntiare non differatis. »

EXCUSATUR A PETRO CLUNIACENSI.

IV. Protinus ut nostri Hugonis literas Petrus Venerabilis accepit, videns tantæ probitatis Archiepiscopum a calumniatoribus ad Eugenium injuste delatum fuisse, cujus vita et conversatio sola satis eum ab hujusmodi maculis immunem testari debuerant, arrepto calamo scripsit ad Eugenium, declarans Hugonis accusatores acuisse linguas suas sicut serpentes, infundendo auribus Sanctitatis ejus tantum mendacii prodigium. Est autem ejus epistola talis ut sequitur :

Idem Petr. Cluniacen.

« Summo Pontifici et nostro speciali Patri Domino Papæ Eugenio, Frater Petrus humilis Fratrum Cluniacensium abbas, sinceram cum devota obedientia voluntatem. Non possum quantum volo gratias agere, quod non solum per nuntios sæpe a me Reverentiæ vestræ transmissos, sed etiam per alios pro suis negotiis majestatem Apostolicam adeuntes, quid erga me vel vestram Cluniacensem Ecclesiam animi geratis, ostendere non cessatis. Inde multa exempla habeo quæ nunc proferre supersedeo. Unum tamen profero de quo sicut multum amoris vobis debeo, ita vos ejus causa (quod filiali præsumptione loquor) contra illud vel similia cautum esse exopto. Novit sapientia vestra, et ex Scriptura Sancta frequenter recitat : Homines in corde et corde loquentes, qui exacuerunt linguas suas ut gladium ; et ut rursus idem qui hæc protulit, ait : Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum. Hos plane, hos tales, magnis hominibus in magnis occupatis sæpe subripere solere, et pro veris falsa, pro antidoto venenum frequenter ingerere.

« De talium numero illi fuerunt qui mentiri non metuentes, auribus Sanctitatis vestræ tantum mendacii prodigium infu-

derunt, ut dicerent et frequentes ad vos querimonias deferrent, quod Dominus Viennensis archiepiscopus Cluniacenses Monachos nequaquam protegeret sed impugnaret, et unde memorabili et amplectendo verbo vestro longe positi supplicamus, quos propensius diligere deberet nihilominus inquietaret. De his ergo ista vobis suggerentibus quid dicam ? Quid dicam nisi quod Psalmus, cujus sententias supra tetigi, dicit : Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde et corde locuti sunt ? Quid dicam ? nisi quod et alibi idem horum prolator ait : mentita est iniquitas. Novit Pater, ut credo, filii cor ; novit, si recordatur, quod ei Antissiodori vel apud Barum secreto suggessi, quod pene idem esset, quantum in libro conscientiæ meæ legere poteram, vobis mentiri quod mori. Unde sciatis me vera dicere, et vobis sicut coram Deo, in Christo loqui : quod manus Domini Viennensis in quantum recolere possum, mundæ sunt a sanguine omnium Cluniacensium, et juxta quod sentio, nisi forte quod non puto fallar, innocens est ab omni Cluniacensi noxa ex quo Viennensis Patriarcha factus est, non solum opere sed etiam verbo. Si quis ergo ei derogare voluerit et aliquid de Apostolici amoris gratia diminuere, quærat alios, quorum prætextu vel occasione hoc faciat, quam nos ; quærat alios quam Cluniacenses vestros ; neque velamine falsitatis iniquitatem suam palliare contendat. Nam ut ista de quibus, ut credo, sat egi dimittam ; oro, Pater, ut tanto homini, tam probato, tantæ vitæ, tanti propositi, qui omnes pene dies suos a puero usque ad senium immolavit Deo, sicut omnibus bonis facitis, deferatis ; et nullum contra ipsum, nisi de re comperta et probatissima audiatis. »

ANNUS 1147

QUO TEMPORE SCRIPTÆ SUNT LITERÆ.

V. Has literas exeunte anno 1148 datas fuisse conjicio ex his verbis : « Novit, Pater, ut credo, filii cor ; novit si recordatur quæ ei Antissiodori vel apud Barum secreto suggessi, etc. » Eugenius enim venit in Gallias anno præsenti et Italiam repetiit circa initium Octobris anni sequentis. Has vero literas ad eum jam extra Gallias agentem scriptas fuisse colligimus ex aliis verbis, quibus dicit : « longe positi sup-

ANNUS 1147

plicamus. » Unde patet Hugonem jam sedisse Viennæ anno sequenti, ac proinde probabile est illuc eum fuisse translatum anno præsenti, ut habetur in citato Episcoporum Gratianopolitanorum catalogo. Porro Petrus Cluniacensis Hugonem vocat Viennensem Patriarcham, quia Callistus II quondam Viennensis archiepiscopus successoribus suis in hac Metropoli concesserat anno 1120, ut Primatum super septem Provincias obtinerent in quibus Romani Pontificis vices agerent, ut videre est apud Baronium.

Baron. ad an. 1120.

Hugo Romam evocatur.

Petr. Clun. Epist. lib. 6. Epist. 44.

Postea Eugenius Hugonem ad se Romam evocans, tantam de ipso habuit opinionem, ut difficilia quædam negotia ejus prudentiæ commiserit terminanda. Quod etiam nobis innuitur ex epistola quam prædictus Abbas ad Eugenium scripsit, in qua rogat eum pro cujusdam viri nobilis conjunctione illegitima notitiam suscipere. Cui respondet Eugenius Viennensem Metropolitanum, qui hujus autor negotii fuerat, mandatum a se in proximo venturum ad suam Apostolicam præsentiam, et super his ipsum conveniendum ; et eo audito congruum illi quæstioni finem se impositurum. De Hugonis in Ecclesia Gratianopolitana successore fusius post biennium agemus.

HUMBERTUS HUGONIS DECESSOR, QUIS.

V. supra ad an. 1110.

Ex Archiv. Eccl. Gratian. et mss. Nic. Chorier.

Fuit canonicus Viennens.

Catal. ms. Arch. Vienn.

VI. Humbertus cui, ut diximus, noster Hugo in Archiepiscopatu successerat, fuit Guigonis comitis et Mathildis Reginæ filius et Guigonis Delphini frater, et cum eis Calesiensis abbatiæ benefactor. Professionem ecclesiasticam amplexus canonicatum Viennæ obtinuit ; nomen ejus subscriptum reperitur in literis ann. 1125 datis, quibus Petrus archiepiscopus cum Willelmo decano cæterisque Canonicis donationem a Guidone suo decessore ecclesiæ S. Ruffi factam confirmat. Deinde in episcopum Aniciensem electus, ad Viennensem cathedram translatus est ubi haud diu post decessit, « sepultus in templo S. Petri cum ingenti luctu », ut legimus in catalogo Viennensium Præsulum quem medio seculo tertio decimo exaratum, in Domo Sylvæ noster Buatius reperit. Quod fuerit e Comitibus Albonensibus et præfatis Ecclesiis sederit, tenemus ex quibusdam literis in Calesiensium gratiam

concessis, quas ideo hic subjiciendas esse censemus. « Regina Mathildis habebat quamdam vineam prope cellarium Calesiensium Fratrum. Hanc donavit prædictis Fratribus pro remedio animæ suæ. Domnus Humbertus tunc Aniciensis episcopus postea vero Viennensis archiepiscopus donavit et laudavit eam eisdem Fratribus, et hoc fecit in Capitulo eorum. Guigo comes, filius Guigonis Delfini, cum matre sua donavit et laudavit eam supradictis Fratribus jure perpetuo possidendam. Cujus donationis testes sunt Magister Othmarus, Raimundus de Grangiis Canonici Gratianopolitani ; Raimundus Berengerius et cum eo quidam miles qui vocabatur Petrus Odo, Frater Landulfus Calesiensis Conversus et Cuthbertus scriba et alii nonnulli. »

ANNUS 1147

Episc.Podien. et Arch. Vienn.

VII. Hoc anno Bernardus quondam Bellicensis episcopus, ne sanctæ jugum obedientiæ excutere videretur, a Bernardo cartusiæ Portarum Fundatore et moderatore rogatus (ne dicam jussus), ejusdem Domus prioratus onus a S. Antelmo sibi impositum ferre non recusavit. Ipsum hoc anno præfatæ cartusiæ Priorem egisse, ex sequenti quod ipse conscripsit instrumento colligimus :

BERNARDUS DE PORTIS PRIOR PORTARUM.

« Bernardus de Portis Portarum Prior dictus, in Christo dilectissimis Humberto Priori Majorævi et Fratribus ejus salutem et omne bonum. Notum sit vobis quod G. de Benuntia laudavit quidquid pater suus vobis perpetuo concesserat in monte de Chevilliaco, ad meam requisitionem cum adhuc Bellicensis episcopus forem. Promisit pariter idem Giraldus vobis omnem fidelitatem et manutentionem cunctis diebus, sicut pater suus promiserat. Hoc autem factum est in ecclesia nostra die S. Thomæ Apostoli anno Christi 1147, coram toto conventu nostro, et Paulo et Antonio les Forts Domicellis, et Petro Mosquet de Latiniaco. »

Ex Archiv. Cartusiæ Majorævi.

Ubi vero noster Bernardus ostendit se obediendi æque ac imperandi arte peritum ; ministrare nihilominus malens quam ministrari, muneris Prioris absolutionem deprecatus obtinuit anno sequenti.

JESU CHRISTI

ANNUS 1148.

Eugenii PP. III Ann. 4.	Ord. Cartus. Ann. 65.	S. Antelmi Pr. Cart. Ann. 10.

GUILLELMUS COMES NIVERN. CARTUSIÆ CONVERSUS MORITUR.

I. MILLESIMUS centesimus quadragesimus octavus sequitur annus, Indictione undecima inchoatus, quo piissime obiit Frater Guillelmus Conversus Novitius Majoris Cartusiæ, olim comes Nivernensis. Vir magni meriti et grandis famæ, qui relicto seculi Principatu, et omni honore calcato Cartusiam petierat anno præcedente, ut habet Guillelmus monachus Altissiodorensis ; ibique digne Deo in humillima paupertate conversans, infra suæ conversionis annum felicem vitæ cursum terminavit. Paulo ante suum in Cartusiam secessum electus fuerat a sancto Bernardo et a Galliæ Optimatibus, ut Rege in Terram Sanctam proficiscente, Regnum cum Sugerio S. Dionysii abbate administraret. Sed a quoquam nullatenus potuit a suscepto sese in Cartusiam recipiendi proposito deduci, prout refert Odo de Diogilo S.Dionysii monachus qui aderat. « Eunt igitur (inquit) ad Concilium, et post aliquantulam moram, cum quod erat melius elegissent, sanctus Abbas præcedens revertentes sic ait : Ecce gladii duo hic, satis est. Te, Pater Sugeri, et Nivernensem Comitem monstrans. Quod valde placuit omnibus, si soli Comiti placuisset. Sed se ille Cartosæ devoverat, quod cito post effectui mancipavit, et nec Regis nec omnium diutinis precibus potuit revocari. Imponitur tandem sibi soli (Sugerio videlicet) onus amborum, quod inconcussa pace tulisti, et hoc esse onus Christi ex levitate sensisti. »

Mon. Altiss. in chronol. ad an. 1147.

De Lud. VII Regis profect. in Orient. l. 1.

ANNUS 1148

Autor Vitæ sancti Hugonis Lincolniensis multa narrans quæ de aliis a S. Episcopo didicerat, præclara de Guillelmo nostro recenset quem defectu forsan memoriæ Gerardum perperam appellat. « Ac in primis, ait, quod inter cæteras virtutum dotes humilitate singulari præradiare consueverat, ac gloriæ inanis præcipuus contemptor extiterat. Qui cum gravitatis et sapientiæ prærogativa omnes excederet finitimos, tam a Christianissimo Francorum Rege, quam a cunctis Regni Optimatibus, quasi unus omnium Parens unico colebatur affectu. Nihil in ejus præsentia, vel etiam ipse Rex ludicrum verbo vel facto proferre audebat. Unde contigit ut tempore quodam Rex ludentibus forte assidens, Consulis adventu comperto, scacharium quod in medio erat summa cum festinatione tolli juberet : timebat enim durius objurgari a viro si se deprehenderet hujusmodi levitati animum intendisse. Quod non aliter quam Rex timoratus dixerat, evenit. Nam superveniens repente Girardus, Regem dissimulare cupientem, nec valentem, quod se ludentibus miscuisset ita increpat : O te, inquit, Principem insignem et populorum Dei strenuum provisorem, qui mentem regiam hujusmodi ineptiis enerviter subigis, cui omne vitæ tuæ momentum vix sufficeret ut ea excogitares quæ te in regimine ne delinqueres, vel ne regni utilitatibus deesses, instruere ac munire potuissent ! quomodo in his vanis implicamentis, et tempus expendis et vigorem mentis indecenter resolvis ? Hic etiam inter Consules ac Nobiles in regia positus Concione, horis solemnibus ad orationem in partem secedere sæpe consuevit ; flexisque genibus ac toto in terram prostrato corpore, cum lachrymis et singultibus divinam implorare clementiam. Quod dum sæpe in campis vel pratis, ac quibuscumque locis publicis sub aspectu cunctorum faceret, et a suis interdum familiariter corriperetur, asserentibus quod hypocrisim ac xenodoxiæ vitium hæc redolere quæ agebat, a plurimis dicerentur ; ad quæ vir constantissimus in nullo penitus movebatur, stillantibus vero per genas ubertim lachrymis, verbum memoria dignum proferebat : Absit, inquiens, absit ut proditoris crimine

Ejus encomium.

Vita S. Hug. Lincoln. ms. lib. 4. c. 12.

A Rege Ludovico dilectus.

Eum libere redarguit.

ANNUS 1148

ullatenus polluar, mihi usurpando gloriam Domini mei, si adoro et exoro Dominum Deum meum, non mihi peccatori, sed do gloriam glorioso et sancto Nomini ejus. »

VIROS SANCTOS SEMPER COLUIT

II. Tantæ virtutis splendore in seculo positus irradians noster Comes, non aulicos solum sed amicos Dei virosque sanctos ita sibi devinxit, ut in causis maximi momenti pietatem spectantibus arbiter eligeretur. Ante annum 1116*, Radulphus de Baugenciaco sanctæ Mariæ ecclesiam Canonicis Regularibus Aurelianensibus restituit, præsentibus, ne dicam jubentibus, Raimberto Senonensi archiepiscopo, Yvone Carnotensi, Gallone Parisiensi episcopis, « Guillelmo Nivernensi comite », et Roberto de Arbrisello Fontis Evraldi fundatore, ut ex literis restitutionis Annalibus Ecclesiæ Aurelianensis a Carolo Saussayo insertis videre est. Cumque anno præsentis seculi vigesimo octavo Concilium Trecis fuisset congregatum ad examinandam Templariorum Regulam, placuit Patribus ut et consilium a viris Nobilibus peteretur, inter quos fuit et noster Comes, qui veritatis amator dicitur in ejusdem Concilii actis, quæ sic habent : « Cæterum vero de non literatis, idoneum nobis videtur ut testes amatores veritatis adducantur in medium ; comes Theobaudus, comesque Nivernensis, ac Andreas de Bondinento intentissima cura quod optimum erat scrutantes, quod eis videbatur absurdum temperantes, in Concilio sic assistebant. »

* *Al.* 1126. sed mendose.

Laborat pro restitutione ecclesiarum.

Annal. Aurel. lib 9.

Consulitur a Trecensis concilii Patribus.

Pro reformatione monachorum.

Deviantibus a recto veræ Religionis tramite Pultariensis abbatiæ in diœcesi Lingonensi sitæ Monachis, ad illos reformandos sanctus Bernardus Clarevallensis abbas Comitis zelum interpellavit. Hinc exacerbatus eorum cœnobiarcha Gerardus, magnas egessit querelas in Virum Dei, qui se nitens adversus iniquam criminationem purgare, inter cætera de Guillelmo sic loquitur : « Scripsisse me aliquid ad Comitem Nivernensem in tuæ personæ accusationem, nec recordor nec verum est. Cæterum si pro ecclesia tua ad eumdem principem misi, hoc non adversum te sed pro te egisse me arbitror. Siquidem audieram ipsum, tuo et assensu et consilio proposuisse venire ad visitandum vos ; ad probandum de

S. Bern. Ep. 81.

tantis malis quæ de domo vestra divulgabantur, an vera essent aut cujus culpa essent, ut quod forte sinistrum reperiret, ibidem ejus et studio et sollicitudine corrigerentur. Cujus tam pium et tam justum propositum si hortatu nostro roborare curavi, cur te inde læsum jure conquereris non video. Puto enim me recte fecisse, si de Domo Dei zelum Dei habens, ejus providentiam qui emendaturus erat commonui. » Occiso Thoma sancti Victoris Priore, Episcopis ad Jotrum congregatis sanguinem ulciscendi gratia, adfuit noster Comes cum Blesensi Principe suo consilio et autoritate Patres firmaturus, ut colligimus ex literis Hugonis Gratianopolitani episcopi et Guigonis Prioris Cartusiæ quas suo loco dedimus, in quibus Nostri eosdem Principes salutant.

ANNUS 1148

Interest concilio Jotrensi.

V. sup. ad an. 1133.

Consiliis arma quoque, cum opus erat, jungebat Guillelmus. Cum enim Ludovicus Crassus Franciæ Rex Ludovici VII pater, Episcopi Claromontensis causam tutaturus collecto numeroso exercitu in Arverniam progrederetur, inter Principes qui suscepta præsulis defensione Regem comitati sunt, occurrit egregius Nivernensis Comes (ut eum vocat Sugerius abbas in Vita Ludovici Crassi), cujus et aliorum Optimatum præsidio subactis rebellibus, Arvernensi Ecclesiæ pax restituta est. Jam antea magnanimitatis signa præbuerat, quando quindecim stipatus militum millibus in Terram Sanctam perrexerat, Balduino Hierusalem contra Saracenos opem laturus.

Armis tuetur Ecclesiæ jura.

III. Anno octavo decimo hujus seculi, Ludovico Rege a Præsulibus contra quemdam prædonem nobilem ac potentem suis grassationibus Carnotensem provinciam devastantem animato, Comes Nivernensis omnium primus furis excommunicati castrum obsedit : sed dum victor rediret, a Theobaldo Blesensi comite tunc Regi rebellante captus, duro diuturnoque carceri mancipatus est ; nec suam potuit libertatem obtinere usque ad annum sequentem quo Ludovicus Rex coram Summo Pontifice et Patribus Remense Concilium celebrantibus, habita oratione adversus Angliæ Regem et Comitem Blesensem, de Guillelmi captivitate his verbis conquestus

PERSECUTIONEM PATITUR.

Carceri mancipatur.

Orderic. Eccles. Hist. lib 19.

ANNUS
1148

Rex Ludov. pro ejus libertate ad Concil. verba facit.

est : « Legitimum bonumque virum Guillelmum comitem Nivernensem, quem bene nostis, remeantem de obsidione castelli cujusdam excommunicati furis, ubi vere spelunca latronum et fossa diaboli erat, comprehendit (Comes Blesensis) et usque ad hodiernum diem carceri mancipavit. Religiosi Præsules Thomam de Marla seditionum prædonem totius provinciæ merito adversati sunt. Ideoque mihi generalem inimicum eum peregrinorum et omnium simplicium obsidere præceperunt, et ipsi mecum legitimique Barones Galliæ ad comprimendos exleges convenerunt, et cum communi collectione Christiani exercitus pro zelo Dei certaverunt. Inde præfatus heros (Guillelmus) cum mea licentia pacifice regrediens captus est, et a Theobaldo comite (Blesensi) usque hodie retentus est, licet eum multitudo Procerum ex parte mea sæpe pro liberatione Comitis suppliciter requisierit, et tota terra ejus ab Episcopis anathematizata sit. »

A viris sanctis in carcere visitatur.

Dum sic detentus eximiam exhiberet patientiam, a duobus viris sanctitate conspicuis, scilicet Roberto de Arbrisellis Ordinis Fontis Evraldi et Bernardo Congregationis de Tironio Ordinis S. Benedicti Fundatoribus, ejus virtutis bono odore illectis meruit visitari. Ex quorum conversatione quantam perceperit consolationem narrat Andreas, autor coævus, in Vita

Vita S. Robert. de Arbriss. cap. 4. apud Bolland. 25 febr.

ejusdem Beati Roberti his verbis : « Carnotensibus itaque pacificatis, fidelis verbi Domini dispensator (Robertus) Carnotensem urbem, nunquam ad eam postea remeaturus, reliquit; conjunctoque sibi Bernardo Tyronii abbate venerabili, cujus societas sibi semper gratissima fuerat, ad castellum quod populariter Blesis dicitur ambo insimul pervenerunt. In eodem vero castello Guillelmus Nivernensis, religiosus comes, incarceratus detinebatur, eo quod Regis Franciæ partes pro pace tenenda adversus Carnoti Comitem ipse tueretur. Hic etiam Guillelmus exigentibus vitæ suæ meritis utrique carus habebatur. Apparet profecto quantæ honorificabilis tunc dignitatis Consul ille fuerit, quem visitare in carcere duæ istæ columnæ Ecclesiæ veniebant. Qui adeo confortatus fuisse narratur, ut diceret : quis non gaudeat se diu incarcerari, ut a

talibus viris possit visitari ? Hæc idcirco dixerim ut ostenderem, quod Robertus noster non segnitiei vacabat, sed modo juxta evangelicum præceptum incarceratos visitabat. Visitato itaque sibi dilecto Comite, atque plusquam carceralis pœna exigebat confortato, duo illi visitatores nunquam posthac in hac vita sese visuri, inseparabiliter, ut ita dicam, sunt separati. » ANNUS 1148

ELEEMOSYNAS LARGITUR VIRIS PIIS.

IV. Hanc autem officiosam ab utroque Sancto sibi exhibitam urbanitatem, pius ac generosus Comes ex collatis antea muneribus meruerat, ut legitur in Vita beati Bernardi Tyronensis, autore Gaufredo Grosso ejus discipulo, his verbis : « Illis itaque (Bernardo et monachis ejus in maxima penuria ex publica fame versantibus) de divina largitate minime diffidentibus, atque precibus et labori perseveranter insistentibus, ille qui misertus famulo suo Danieli per Abacuc de Judæa prandium transmisit in Babyloniam, idem ipse Willermi tunc temporis Nivernensium Consulis animum provocavit, ut viro Dei Bernardo in abditissimi Pertici sylvarum solitudinibus latitanti, quem necdum nisi fama cognoverat, ingens vas aureum de Burgundia mitteret, quo vendito annona comparari posset, quæ Monachis illo in tempore secum habitantibus, necnon et mendicis sufficeret. » Hæc ille, qui postea Cellarum ejusdem Abbatiæ fundatores dinumerans, nostri Comitis non est oblitus. Ejus liberalitatem alia quoque monasteria sensere ; inter quæ sunt Prioratus Sancti Stephani Nivernensis ab avo conditus, et abbatia Molismensis, cujus eleemosynas et alia bona immobilia ab aliis collata confirmavit et auxit. Quam vero erga Majorem Cartusiam contulerit munificentiam alibi retulimus ex Guiberto abbate Novingento. Ex quibus patet, qualis fuerit quamque piarum rerum peritus Princeps ille, qui circumfluens copiis omnibus atque in omnium rerum abundantia et autoritate constitutus, ipsis Monachis perfectionis omnis apicem jam adeptis (quales ex tunc erant nostri Cartusienses) præcepta contra cupiditatem secularem dare noverat.

Capitul. 28. apud Bolland. 24 Aprilis.

V. sup. ad an. 1124.

FIT HUMILIS CONVERSUS.

V. Sed quam ipse prædicabat paupertatem, servare tan-

ANNUS 1148

dem cupiens, disposita domo sua terrenisque penitus despectis, Cartusiam postea rediit statumque humilem Conversorum amplexus est. Guillelmus de Nangis in suo Chronico de ejus conversione hæc pauca habet: « Florebat Guillelmus Nivernensis comes insignis, cujus devotio mira enituit dum de potenti Principe seculi factus est in Cartusia humilis pauper Christi. » Sed hæc fusius enarrat citatus Vitæ S. Hugonis Lincolniensis autor : « Cui, inquit, cum tandem Ludovicus Rex Jerosolymam petiturus, cum consilio magnatum suorum custodiam delegare totius Regni sui disponeret ; ille onus oblati oneris callide refugiens, asserebat se in votis dudum habuisse ut crucem sumeret, et Hierosolymam visitaret. Quo Rex audito hilaris efficitur, non modicum exultans quod tantum virum suæ peregrinationis comitem se invenisse speraret. Præcepit quatenus suis omnibus concite dispositis, votum adimplere maturaret. Qui a Rege dimissus, amicis valefaciens Cartusiam profectus est, ibique balteo in funiculum et serico mutato in sagum, inter Conversos vere meruit computari. Ubi Crucem Domini quotidie tollens et ipsum indesinenter sequens, verus mundi peregrinus non ante destitit de virtute in virtutem ire, quam mereretur in Sion Deum Deorum videre. Ad quem videndum, post multum temporis spatium, filius ejus egregiæ indolis adolescens profectus est ; quem ille parvulum sibique hæreditario jure successurum in patria sua olim dimiserat. Qui veniens Cartusiam patremque videre desiderans et deposcens, didicit eum tunc in superiora montis ad tondendas oves perrexisse. Quem diutius expectatum tandem conspicit in habitu pauperrimo deorsum venientem, ac vellera recenter tonsa cervice onusta deferentem, quem ille minime agnoscebat ; sed accepto a Fratribus qui astabant hunc suum esse genitorem, valde animo compunctus occurrit ei, tenensque vestigia ejus et exosculans præ gaudio cœpit lachrymari. Qui ad Patris amplexus et oscula ab ipso erectus, intuetur sinum ipsius et collum barbionum examine scatere ; quo juvenis viso, nimium exhorruit ac vermes edacissimos tollere cupiens, talia a milite

Guillel. de Nangis ad an. 1138.

Ubi supra lib. 4. cap. 12.

A filio visitatur.

Christi fortissimo audivit : Sine, inquit, fili carissime, istos vermiculos vermi qui non moritur præripere prædam suam. Votivus omnimode et delectabilis est mihi morsus istorum, per quos inexplebilem gehennalium edacitatem vermium me Domino miserante spero evasurum. Multa de hujus viri virtutibus ac gestis et alia referebat, quæ gratia compendii sub silentio compellimur præterire. »

ANNUS 1148

Unum tamen libet adhuc de nostro Guillelmo narrare, quod idem autor superius in eadem Vita retulerat loquens de Conversis qui sub Basilio florebant, et « ignitas, ut loquitur, sciebant ex lectione Sacræ Scripturæ elicere spiritualis intelligentiæ scintillas : sicut et nobilis ille Gerardus comes olim Nivernensium permagnus, tunc Conversus minimus ut ipse reputabat, Cartusiensium. Cum aliquando, eo præsente, conferentibus quibusdam magnis viris de Salomone, utrum constaret an cum sanctis salutem esset consecutus ; cum et ille quid sibi videretur proferre rogaretur, ita sane inquit : Cum enim Dominus Jesus Christus infernum spoliaturus, patrem suum David honorabiliter arriperet secum, non dubium quin de Salomone fratre suo curam habuerit, qui tanta ejus præconia cecinit. Nam pater utriusque David diceret utique ei : Domine fili, hunc talem fratrem tuum ne derelinquas ; sed tecum, ut decet, assumas. Nec dicebat hæc vir piissimus, quia damnatis in gehenna crederet per Sanctorum quorumlibet intuitum absolutionis beneficium provenire, sicut hæreses quædam delirando somniant. Imo plenius a sanctis viris ejus quæstionis solutione instructus, veracis sententiæ rationem tali urbanitate, ut erat per omnia illustrissimus, condiendam putavit. »

Ejus argutiæ circa intelligentiam Scripturarum.

Ubi sup. l. I. c. 10.

Hæc scribebat autor ille annis saltem sexaginta post Comitis mortem. Et ut diximus, ea referebat quæ tantum a B. episcopo Hugone narrante acceperat. Unde non mirum si circa aliquas circunstantias labente memoria erraverit, ut verbi gratia quando illius meminit inter Conversos qui Basilio Priore floruerant ; et cum dicit filium ejus, quem mundo valedicens parvulum in patria olim dimiserat, eum post

ANNUS 1148

multum temporis spatium invisisse: constat enim nostrum Guillelmum intra suæ conversionis annum sub Antelmi regimine obiisse, filiumque suum non parvulum, sed jam adolescentem armis aptum, imo, ut videtur, jam conjugatum reliquisse; qui et debuit anno superiori patrem suum statim post illius secessum ad visendum adire, antequam et ipse ad Terram Sanctam cum Rege proficisceretur.

Quo tempore mortuus.

Mortis illius tempus omnes ad præsentem annum referunt; diem vero 21 Augusti designat Andreas Duchenius in *Genealogica Principum Burgundiæ Historia*. At melius Guido Coquilleus ponit in *Historia Nivernensi* diem ejusdem Mensis vigesimum. Convenit enim cum Calendario Majoris Cartusiæ, in quo ad 13 Calend. Septembris legitur « Guillelmus Novitius. » Vincentius Bellovacensis in *Speculo Historiali* Monachum Altissiodorensem secutus, recte dicit eum anno 1147 Cartusiensem habitum induisse, et infra conversionis suæ annum vitam cum morte commutasse.

EJUS MEMORIA AB AUTORE COÆVO FALSO INFESTATUR.

VI. Post tam illustria, tot gravium autorum de beato Comite superius prolata testimonia, unum reperio qui splendori ejus labem aspergere ausus est. Hic est Hugo Pictavinus abbatiæ Vezeliacensis Notarius, autor coævus, qui Guillelmi ad nos transitum mordaci calamo sic describit: « Igitur postquam signum Dominicæ crucis Rex piissimus Ludovicus junior Hierosolymam profecturus suscepit, plures facti hujus fama et exemplo incitati, transmarinam peregrinationem arripuere. Inter quos duo filii Nivernensis Comitis, videlicet Guillelmus et Renaldus regio comitatui sese conjungentes, eamdem profectionem susceperunt. Ipse quoque pater eorum desiderio alterius priorem vitam commutans, habitum Religionis et vitæ finem apud Cartusiam accepit. Sed quia venerabilis dilectricis ac famulatricis Dei Mariæ Magdalenæ sepulchrum gloriosum et religione sanctissimum injuste vexando afflixerat, pœnam criminis ipse a cane (num potius a pediculis ex pœnitentia in sinu enutritis) devoratus excepit, et injustitiæ vindictam suis reliquit hæredibus. » Hactenus Vezeliacensis Historicus. An vero a cane devoratus sit nusquam legimus.

Histor. Vezel. lib. 3.

Imo Monachus Altissiodorensis fere synchronus asserit eum felicem vitæ cursum terminasse. Sed esto, demus rem ita se habere, ut narrat Pictavinus. An ideo quis potest ejus sanctitati merito detrahere? Nonne et quosdam Sanctos simile fatum a feris legimus expertos fuisse?

ANNUS 1148

Unde orta calumnia.

Causam tantæ præfati autoris in Comitem invectionis duplicem invenio. Prior altius est deducenda. Vezeliacensis abbatia a Gerardo de Roussillon comite Nivernensi nono Christi seculo constructa, ab eodem Sedi Apostolicæ fuerat immediate subdita. Sed temporis successu, regulari disciplina collabante, Cluniacensibus illam abbatibus Romani Pontifices commiserant, et sub eorum quoque potestate, licet antiquiorem, stare præceperant, ut ex Paschalis II literis ad Altardum abbatem Vezeliacensem anno tertio præsentis seculi datis, probat Duchenius in notis ad Epistolas Petri Cluniacensis. At Vezeliacenses monachi jugum Cluniacensium detrectantes, rursus ab Innocentio II eisdem subesse compelluntur, instituto autoritate Apostolica in Abbatem, anno 1130, Alberico Cluniacensi suppriore. Hunc cum illi etiam armata manu recipere recusarent, accurrit Nivernensis Comes monachosque Summo rebelles Pontifici novo Abbati cogit obedire. Hinc Pictavinus exulceratum habens animum rem sic explicat: « Hanc siquidem libertatem (Abbates eligendi) cum per trecentos fere annos ab ipso suæ fundationis principio, Vezeliacensis ecclesia quiete et absque calumnia obtinuisset tamque de suis, quam de aliorum Fratribus monasteriorum, sibi Patres indifferenter præfecisset, Cluniacenses longe post exorti per surreptionem sibi vindicare nisi sunt; assensum quidem primum, deinde vero jus electionis sibi arrogantes, mentientes utique a Paschali traditam sibi curam Ordinis ecclesiæ Vezeliacensis, ob quam prorsus causam eadem ecclesia sub Innocentio II Papa grave scandalum pertulit, reclamando libertatem ingenitam, dum per violentiam ejusdem Innocentii et Comitis Nivernensis intruso a Cluniacensibus quodam Alberico, fere omnes sæpe fati monasterii Fratres vinculis colligati, et per Provinciam, Italiam, Ger-

Duchen. in lib. 2. Epist. 28.

Mabill. in notis ad Ep. 158 S. Bern.

ANNUS 1148

maniam, Lotharingiam, Franciam et Aquitaniam hac illacque ignobiliter dispersi sunt, alienigenis subintroeuntibus...... Ob insolentiam denique Cluniacensium, non solum in hac parte imo etiam in toto corpore, libertas ecclesiæ Vezeliacensis periclitabatur. Nam adventitii præfati Comitem Nivernensem induxerunt, et sub specie familiaritatis materiam ei dederunt inconsuetæ tyrannidis et inusitatæ consuetudinis. » Hæc ille ; cujus prava animi affectio in Comitem per seipsam detegitur. Quid enim mirum si de Principe seculari tam dure loquatur, eumque tyrannum vocet ; quandoquidem nec Sanctis nec ipsi supremo Pontifici parcens, hunc violentiæ insimulat, illos vero (Cluniacenses dico sive potius sanctum Petrum eorum tunc Abbatem) insolentiæ reos facit. Sed testem locupletem cujus fides nulli sit suspecta, S. Bernardum Clarevallensem proferamus, qui Innocentium de multis congratulans, de Vezeliacensium facto sic commemorat : « Quæ eminuit in infirmitate, in sublimitate virtus succumbet ? Quam nempe in manu valida ordinatum est nobile illud monasterium Veziliacense ? nec insanis profecto tumultibus armatæ plebis, nec effræni furentium atque obstrepentium vesaniæ monachorum, nec quod his fortius fuit, copiis mammonæ cedendum putavit vel ad modicum Apostolica celsitudo. »

S. Bern. Ep. 150.

ALTERA CALUMNIÆ CAUSA.

VII. Alteram causam cur ita indigne nostro Comiti irascitur Pictavinus, ex ejus Historia deprehendimus. « Pia, inquit, Vezeliacensium Abbatum sollicitudo, ob crebras impiorum hominum infestationes, Comitibus Nivernensis civitatis liberalissima indulgentia frequenter spontaneum impendebat obsequium, quo devotius contra omnes adversantes præsidium ferrent ecclesiæ. . . . . . unde factum est ut Guillelmus qui postmodum effectus est Cartusiæ monachus*, dum Nivernensis civitatis consulatum gereret, salariis atque aliis Ecclesiæ beneficiis insolenter abusus, nonnullas ab ea consuetudines, non solum pacis sed etiam libertatis inimicas per vim tyrannidis exigere nitebatur. Monachis igitur de Comite apud Paschalem II conquerentibus, Pontifex qui sciebat eum

* *Conversus.*

non parvam piissimi Principis laudem habere, paterne ut molestiam monasterio non afferat ipsum admonet, datis sequentibus literis : ANNUS 1148

« Paschalis, etc... Guillelmo illustri viro, Nivernensium comiti, Salutem et Apostolicam benedictionem. Non parva de te apud nos fama est, et nos ita credimus et credidimus quod timorem Dei habeas et amorem, quod justitiam diligas et quod in cæteris, sicut decet tantum virum, per Dei gratiam honeste te habeas. Monemus igitur ut vicinas tibi ecclesias ab oppressionibus liberas facias, nec aliquas eis molestias irroges, illis maxime quæ ad B. Petri tutelam aut patrocinium pertinent, quemadmodum Vezeliacense cœnobium, etc. » Acquievit tunc religiosus Princeps, sed mortuo Alberico abbate, de quo supra, litem redintegravit; electis pro arbitris sancto Bernardo Clarevallensi et Hugone de Tilio, tota controversia ab utroque feliciter composita est paulo antequam Guillelmus mundo valediceret.

Sed eo inter nos mortuo, Ida comitissa querelas renovavit, ad quam propterea S. Bernardus sequentem hoc anno scripsit epistolam, in qua perquam laudabiliter de nostro Converso jam defuncto loquitur :

A S. Bernardo ejus memoria laudatur.

« Dilectæ in Christo filiæ Nivernensi Comitissæ Fr. Bernardus, etc. Conqueritur venerabilis Abbas Vezeliac. quod vos et clientes vestri, mercatores et cæteros Vezeliacum volentes ire prohibetis : quod, quia Guillelmus Comes bonæ memoriæ et filius ejus in præsentia Domini Antissiodorensis et nostra penitus refutavit tamquam impium et iniquum, monemus et rogamus ne id deinceps ullo modo faciatis. »

Post hæc, Guillelmo nostri Comitis filio pristina jurgia de integro persequente, contra eum Eugenio Papæ scribens sanctus Bernardus de nostro Guillelmo hæc iterum honorifice subjungit : « Comes, inquit, Nivernensis viam patris non ambulat ; adversatur tum huic, tum omni bono. Incubat terris bonisque ecclesiarum. »

Ipse quoque Eugenius eidem Comiti scribens, objicit ei patris pietatem et erga sedem Apostolicam devotionem, quo

ANNUS 1148

illum deterreat ab infestatione Vezeliacensis monasterii. Cujus epistolæ sive bullæ priorem partem, quia pro apologia nostri Comitis contra Pictavinum esse potest, hic esse subjiciendam duximus :

A summo Pontifice ut sanctus habetur.

« Eugenius, etc. Dilecto filio, nobili viro, Guillelmo Nivernensi comiti Salutem et Apost. Benedict. Quanta devotione pater tuus Apostolicæ Sedi semper adhæserit, et quæ ad eam pertinere noverat, quam studiose dilexerit et fovere ac manu tenere curaverit, notitiam tuam latere non debet. Propterea B. Petrus eum, dum vixit, honoravit, provexit et ampliavit terris, atque circa finem hujus labentis vitæ in consortium sanctorum virorum susceptum, reseratis ei regni cœlestis januis cum Sanctis agminibus in æterno palatio feliciter, sicut credimus, collocavit. Prædecessores etiam nostri ipsum affectione debita dilexerunt, et in suis necessitatibus efficaciter adjuverunt ; nos quoque temporibus nostris personam et Domum tuam, sicut specialem B. Petri familiam, paterna benignitate dileximus, honoravimus. »

QUI DE EO SCRIPSERINT.

VIII. Utinam Pictavinus, qui hanc epistolam integram lib. 1 suæ Historiæ inseruit, ad hæc verba animum paulo attentius intendisset ; procul enim dubio de tanto Principe, quem etiam Summi Pontifices venerati sunt, honorificentius fuisset locutus. De eo quoque laudabilem faciunt mentionem Morigniacenses in suo Chronico, lib. 3 ; Sugerius abbas in Vita Ludovici Grossi ; et ex recentioribus Nicolaus Vignerius licet tunc hæreticus, Belleforestius, Renatus Chopinus, et alii, inter quos quidam stemmatum Barri Ducum concinnator vix citandus, allucinatur scribens « Vidonem Nivernensem comitem », præfati Guillelmi filium et hæredem, « pariter Cartusianorum monasterium ingressum » fuisse. In quibus verbis duo occurrunt emendanda. Primum quod eum vocet Vidonem seu Guidonem ; in hoc secutus autorem gestorum Ludovici VII in eorum recensione qui crucem apud Vezeliacum cum Rege an. 1146 susceperunt, inter quos enumerantur Guido comes Nivernensis, et Reginaldus ejus frater comes Tornodorensis. Duplexius quoque eum vocat Guidonem,

Vigner. Biblioth. Hist. ad an. 1140.

Bellefor. lib. 3. Annal. cap. 44.

Chop. l. 2. de Sac. pol. tit. 3. num. 20.

Franc. Rosieres tom. 6. Stemmat. Duches. Barri.

Tom. 4 Scriptor. Franc. Duchesnii.

Duplex. Hist. Franc. ad an. 1146.

citatque Willelmum Tyrium et Sugerium abbatem : sed ejusdem Ludovici Regis Historiæ autor, apud eumdem Duchenium, facta simili recensione Principum crucigerorum, Willelmum appellat; Pictavinus pariter in Historia Vezeliacensi, res Nivernensium Comitum non ex aliorum relatu, sed quas propriis intuebatur oculis referens, diversis in locis filium et successorem nostri Conversi, Guillelmi nomine designat. Errat præterea citatus familiæ Barrensis Genealogus, cum dicit Vidonem Reginaldi fratrem (seu Guillelmum) effectum fuisse Cartusianum ; quod falsissimum fuisse deprehenditur ex eodem Pictavino, qui de morte ejus sic loquitur : « His diebus (circa an. 1160) Nivernensis Comes Guillelmus, filius Guillelmi Cartusiensis. . . . . . gravi morbo correptus calicem divinæ ultionis prægustabat. Ut ergo audivit filius ejus Guillelmus quod Vezeliacenses Abbatem elegissent... » Deinde idem autor postquam multis narravit quantas molestias novus Comes patre mortuo, novo Abbati creaverit, sub libri finem addit : « Post hæc verba comes Nivernensis Guillelmus, filius Guillelmi (hic est qui ab aliis vocatur Vido) Altissiodorensis, filii Guillelmi Cartusiensis, filii Renaldi. . . . . accepit apud Caritatem signum vivificæ Crucis, gratia Hierosolymitanæ peregrinationis. » Hæc ille, qui, semper unicum Guillelmum facit Cartusianum, sicut et Duchenius in Genealogia Comitum Nivernensium, et Guido Coquilleus in Historia Nivernensi ; qui præfatum Guillelmum dicunt mortuum anno 1160, die 21 Novembris. Sed annus sequens signatur a Guillelmo de Nangis qui ad an. 1161 de Comitis obitu hæc pauca habet : « Guillelmus comes Nivernensis filius Guillelmi Cartusiani obiit, cui successit Guillelmus filius ejus. » Hunc ultimum Guillelmum Duchenius et Coquilleus dicunt mortuum an. 1168, 24 octobris, cui successit juxta Coquilleum, Raynaldus frater ejus et huic Guido alter ejus frater ; quo mortuo, anno 1176, Agnes filia ejus unica et hæres nupsit Petro de Courtenay. Hanc vero refero præfatorum Comitum successionem, ut ostendam nullum e Comitibus Nivernensibus Cartusiensium induisse habitum præter

ANNUS 1148

Hist. Vezel. lib. 3.

Pictav. ubi supra lib. 4.

ANNUS 1148

nostrum Guillelmum, qui a pluribus scriptoribus, post autorem vitæ S. Hugonis, Gerardus male nominatur.

S. BERNARDUS ET ROGERIUS ESLANTII ABBAS APUD MONTEM DEI CONVENIUNT.

Ex ms. Montis Dei.

IX. Hoc anno Manasses comes Registensis, Witerii filius et successor, ædificare cœpit Eslantium sive Ellantium Ordinis Cisterciensis abbatiam non longe a nostro Monte Dei, quæ licet Cistercium Matrem agnoscat filiationis jure, magna tamen adminicula et subsidia a S. Bernardo Clarevallensi habuit; qui cum in Monte Dei hospitaretur aliquando ad Ellantium pergebat, cum sanctissimo Rogerio (primo illius abbate) multa pro sui incremento Ordinis collaturus; viceque versa B. Rogerius ad Montem Dei divertebat, tum ut B. Bernardum inviseret, tum ut inter primos hujus Eremi Patres quanto secretius, tanto libentius conversaretur. Cujus vitam multis conspicuam virtutibus Ellantii Monachi, Bernardi de Monte Gaillardo Aureæ Vallis abbatis interpositu, e Montis Dei bibliotheca ante sexaginta annos mutuo acceperunt. Rogerii successor vocabatur Hugo, qui fuit unus ex deputatis ad distinguendos Montis Dei terminos anno 1185. Alium hujus Abbatiæ fundatorem Sammarthani nominant, nempe Hugonem Registensem comitem qui videtur tantum fuisse Fundatoris filius; iidemque meminerunt præfati Rogerii Proto-Abbatis quem dicunt extitisse miraculis celeberrimum.

S. HUGO FIT CANONICUS REGULARIS, POSTEA MONACH. CARTUSIÆ.

Quinam ejus Vitam scripserint?

V. ad an. 1401.

Bohic. in annal. mss. Ord. Cartus.

X. Hoc etiam anno S. Hugo ex Cartusiano quandoque Lincolniensis Episcopus evasurus (unde ipsum ad aliorum distinctionem Lincolniensem semper vocamus), factus est Regularis Canonicus, cum esset tantum octennis, aut ad summum decennis. Ejus Vitam plures edidere. Duorum meminit Molanus, et post eum Joannes Balæus acatholicus in Britanniæ Scriptorum Catalogo. Hi sunt Sylvester Giraldus Cambrensis qui claruit ineunte seculo tertio decimo, et Adamus Cartusianus Doctor Theologus de quo alibi dicemus. Tertius, et is quidem Sylvestri Girardi coævus, a nostro Bohicio inducitur, cujus codicem invenit in cartusiæ Parcensis bibliotheca sub hac epigraphe : « Vita S. Hugonis episcopi Lincolniensis edita a Domno Stephano de Longothona Cantuariensi archiepiscopo. » Sed inscriptionem hanc a quodam

ANNUS 1148

amanuensi corruptam putat Bohicius, suamque sententiam confirmat ex ipsius autoris verbis in Prologo sic loquentis : « Igitur divinæ dignatio pietatis, sanctum et electum suum, piæ recordationis Hugonem hujus sanctæ Lincolniensis Sedis Episcopum, Fratres carissimi, tam in vita quam etiam post vestem mortalitatis exutam, ut audistis, insignium miraculorum multitudine illustravit. Et licet aliorum multorum multiplici miraculorum eventu Dominus eum decoraverit, quæ pro sui multitudine non possent sub brevitate narrari; ea sola præsenti tractatui duximus inserenda, de quibus constat per inquisitionem exactissimam, ex præcepto Domini Papæ Honorii tertii, a venerabili viro Stephano Cantuariensi archiepiscopo, cujus laus est in scientia, vita et doctrina in universa Ecclesia, et a prudenti viro Abbate de Fontibus, postea Eliensi episcopo, per testes idoneo juratos et examinatos diligentissime factam. Qui quidem miracula eadem apertissime probata, vitam quoque sanctam et mores commendabiles Viri sancti interserentes, præfato Summo Pontifici juxta mandatum ipsius fideliter rescripserunt. » Ex quibus verbis recte concludit Bohicius Stephanum de Longothona ejusdem non esse operis autorem; sed perperam credit hunc esse Archidiaconum illum cujus meminit Sutor, qui postquam præcipua S. Hugonis acta breviter compegit, ea profitetur se non ulterius progredi « præsertim, inquit, cum ea ipsa in voluminibus multis, præsertim in eo quod Archidiaconus Lincolniensis de sanctis mirandisque actibus ejus ac miraculis confecit, contineantur passimque habeantur. » Hujus enim Archidiaconi opus, a tractatu cujus Bohicius usus est, penitus diversum esse ex utriusque lectione animadvertimus.

Sutor, lib. 2. tract. 3. cap. 5. ante medium.

XI. Hic Archidiaconus S. Hugonis Vitam scripsit, quæ *Magna Legenda S. Hugonis* dicitur, et passim reperitur in Ordinis Domibus, cujus etiam exemplaria duo præ manibus habemus; quorum unum sic incipit : « Dominis et amicis in Christo carissimis R. Priori et qui cum eo sunt sanctis Withamiensibus Monachis, servorum suorum minimus, F. A.

QUIS ILLE VITÆ AUTOR A QUO S. HUGONIS ACTA EXCERPTURI SUMUS.

ANNUS
1148

Molanus in not. ad Usuard. 17 Nov.

Baronius in not. Martyrol.

vitæ quæ nunc est et futuræ gaudia. Silentium mihi Patres dilectissimi et Domini in Christo plurimum Reverendi, si nihil aliud, etc. » Hanc Vitam vidit Molanus, initiumque Prologi retulit ut supra, sed pro « R. Priori, » legit G. mendose tamen; nam constat S. Hugoni in Episcopum assumpto successisse in Prioratu Bovonem Cartusiæ monachum; Bovoni Robertum paulo post S. Hugonis mortem, ut ex eadem Vita anno 1201 videbimus; Roberto circa annum 1217 Philippum; et huic anno 1232 Guillelmum, quadriennio post, eo in munere defunctum. Autor vero præfatus hanc Vitam (ut probabitur ex his quæ dicemus anno 1204) conscripsit aut absolvit circa annum 1212, quo tempore Robertus erat Prior cui procul dubio eam dicavit. Hoc opus quinque libris distinguitur, quos in epithomem coegit Surius; nec enim eam quam contexuit Vitam ab alio mutuatus est, ut optime censet Baronius, sed ab ipso de quo nunc agimus Scriptore, ut ipsemet Surius indicat hac observatione : « Vita S. Hugonis Lincolniensis episcopi, excerpta fere a quodam cujus nomen latet, ex illis quinque Libris quos de beatissimi hujus Viri Vita scripsit Anonymus quidam, qui aliquot annis vixit cum eo familiariter. Nos stylum, ubi visum fuit, nonnihil correximus. » Ecce habes autorem, quo usus est Surius, Vitam S. Hugonis quinque libris fuisse complexum, eumque cum S. Episcopo per annos aliquot convixisse. Quæ quidem vera sunt de nostro Archidiacono, qui opus suum quinque distinxit libris, quique in secundi Libri procemio de se sic loquitur: « Cum Lincolniensis Ecclesiæ Præsulatum, annis jam Hugo bissenis, diebus quinquaginta tribus, gloriosissime administrasset, placuit sanctitati suæ parvitatem meam de vitæ claustralis dulcedine, in sollicitudinum suarum qualecumque solatium assumere suoque inseparabiliter lateri sociare; a quo tempore per annos tres et dies quinque, quamdiu scilicet in corpore postea vixit, nunquam nisi per unam solam octem ab ejus convictu recessi. » Ex quibus verbis emendandus est Petreius cum hunc autorem dicit adhæsisse S. Hugoni circa annum Domini 1190, cum potius signandus sit

annus 1197; quandoquidem autor ipse asserit se in socium a S. Præsule assumptum tribus annis ante illius obitum qui accidit anno 1200. Præterea multa nostri Archidiaconi verba, phrasesque integras, apud Surium satis frequenter deprehendimus, ita ut nullus restet ambigendi locus eumdem prorsus esse autorem eademque Acta. Anonymus vero a Surio dicitur, quia in quibusdam apographis duæ priores lineæ, quas superius exscripsimus, quæque primas nominum autoris et Prioris Withamiensis literas continent, desiderantur in Prologo quem exscriptores tantum inchoarunt ab his verbis : « Silentium mihi Patres dilectissimi », et cætera ut supra. Ab aliis, ex prioris ejus nominis exarata litera A, nominatur Adamus. Unde forsan post Balæum erravit Molanus qui in notis ad Usuardi Martyrologium perhibet, ut diximus, S. Hugonis Vitam ab Adamo Cartusiano fuisse conscriptam, quæ non videtur alia ab ea de qua loquimur; aut certe si alia est, nulli hactenus nota fuit.

ANNUS 1148

XII. Denique ex verbis autoris superius allatis, satis apertum fit eum fuisse S. Hugonis Archidiaconum et Monachum quidem, non Cartusiensem tamen ut quidam arbitrati sunt, sed vel Cluniacensem vel Benedictinum. Quod nostrum non sit professus Institutum, liquet ex capite nono Libri 4 ubi de se et de Hugone loquitur : « Et hæc quidem ad ædificationem nostram, qui ei (Hugoni) candidis induto adhærebamus in schemate nigro, referre solitus erat. Adjiciebat (Hugo) Ordinis sui tenorem sancitum habere antiquitus, ut licitum sit professoribus suis, si observationes illas suis probaverint viribus aut moribus non satis congruere, ad istorum (Cluniacensium) Instituta convolare. » Hæc ille, qui si Cartusiensis fuisset, alia certe ratione de Ordine nostro verba fecisset, nec aliis quam S. Hugo usus esset vestibus. Ex eisdem vero verbis quamvis conjici posset eum fuisse Cluniacensem Monachum, alibi tamen de Cluniacensibus ita loquitur, ut non videatur ejusdem esse Instituti. Unde ex nigro habitu potius concluderem ipsum extitisse monachum nigrum Benedictinum, et ex assidua cum Hugone consuetudine ac episcopalium sollici-

FUIT S. HUGONIS ARCHIDIACONUS.

ANNUS 1148

tudinum communicatione, Archidiaconum egisse, ut Petreius post Sutorem credidit. Nam olim in Anglia monachi primas in plerisque Cathedralibus dignitates obtinebant. Ab hoc igitur autore quidquid annis sequentibus referemus de S. Hugone mutuabimur, quibusdam etiam ex Parci codice additis quando visum fuerit necessarium. His ita prælibatis ad gesta hujus sancti Patris enarranda accingamur, servata, quantum commode fieri poterit, temporum ratione. Et primum de illius genere, et apud Regulares Canonicos ingressu, qui accidit anno præsenti sic disserit :

INITIA S. HUGONIS.

Acta ms. S. Hugonis, lib. I. cap. I.

XIII. « Illustris sobolis clarissimi progenitores ea ratione splendidius justiusque exornant signum tituli liberorum, si a quibus ducitur linea generosæ propaginis, ab ipsius materia virtutis incrementum ducatur probitatis. Eo quippe omisso, stemmata, ut quidam ait, quid faciunt ? Quid enim confert generosum quemlibet in hujus mundi lucem prodiisse, et in mundo degenerem vixisse ? cum satius sit natalibus quam moribus extitisse obscurum, et non nasci quam non fieri præclarum. Suos itaque genitores, simul etiam germanos, viri sanguine clari sed clarissimi sanctitate Hugonis antistitis præconia jure insignia collustrant; dum ab illis sanctæ Institutionis prælibavit exordium, ab istis actionis percepit adminiculum. Verum ista procedens sermo manifestius locis absolvet opportunis. Et genitricis quidem solatio, cum primæ necdum metas ætatis attigisset, orbatus est; collegioque Regularium Clericorum una cum genitore in brevi postmodum sociatus. Erat fere octennis cum militiæ spiritualis tirocinia subiit ; boni quippe parentis salubriter pro eo invigilavit solertia, ut prius doceretur militare Deo, quam disceret vivere mundo..... Ab illius ore veridico quæ sequuntur audivimus. : Ut enim fuit reverenda gravitate affabilis et sanctitate singulari accedentibus ad se, secumque viventibus dulcissimus et communis, familiariter cum suis sæpius agens talia de se ipso simpliciter referebat : Revera, aiebat, ego mundi hujus gaudia nunquam attigi ; jocos nunquam didici, nunquam scivi. Consequenter primæ institutionis suæ, seu educationis

in hunc modum ordinem retexebat : Pater, inquit, meus, cum pueriles annos ingressus elementa jam prima literarum percepissem, patrimonium liberis suis in funiculo distributionis partitus est ; portionem vero quæ inter fratres me minimum contingebat, Regularium Canonicorum collegio contulit ; nec diu moratus, omnia quæ mundi sunt funditus abjiciens Christi militiam subiturus, tiro in castris cœlestibus, in mundanis jam emeritus, repente efficitur. Nec enim emeritorum immunitas sibi potuit esse amori ; quæ etsi fatigatis militia indulget quietem, sed defunctos militia non absolvit etiam post mortalis vitæ expletum laborem. Vitæ igitur Regularis, cujus jam olim gessit mentem, suscepit habitum, et quod sibi concessum non fuisset medullitus gemebat in ipso mundi ingressu de mundo egredi ; quæ mundi sunt nescientem facile persuadens mihi, me secum pariter spiritualis militiæ consortem adscivit. Est ecclesia in territorio Gratianopolitano canonicæ professionis Clericos fovens numero ad minus septem. Spectat quoque, cum suis incolis, locus ipse ad matricem et cathedralem Gratianopolitanam Ecclesiam, quæ et ipsa ejusdem professionis nobili pollet examine. Hanc semper affectu coluit speciali genitor meus, quæ et suis castellis ac terris situ confinis erat ; et ipse ut filius devotus Majoris Ecclesiæ gratiam in filiæ ejus reverentiam se complecti gaudebat. Inter Canonicos illius loci senior quidam religione celeberrimus, scientia quoque spectabilior cæteris habebatur. Hic mihi etiam sacras literas inter ipsa rudimenta summopere ingerens, blandimentis quibus posset et monitis, teneros animos ad solidioris spiritualisque amorem doctrinæ accendere nitebatur : ab jocandi vero ludendique vanitate, varia mentis meæ intentionem arte suspendens, honestis implicabat cujusque rei exercitiis ; coævis autem et sodalibus pueris frequenter ex more ludentibus, etiam mihi talia leniter instillabat paternæ dulcedinis hortamenta : non te, inquit, dulcissime fili, stolida alliciat vagaque levitas sociorum ; sine illos ; sorti tuæ istorum studia minus conveniunt. Addebatque : Hugonete,

ANNUS 1148

ANNUS 1148

Hugonete, ego te Christo nutrio; jocari non est tuum. »

QUO ANNO NATUS FACTUSQUE CANONICUS.

XIV. Erat Hugo sexagenarius quando obiit anno 1200. Unde perspicuum fit eum natum fuisse circa annum 1140, ac proinde hoc anno præsenti Canonicis Regularibus adscriptum siquidem tunc erat octennis, ut habetur supra, et legitur in omnibus ejus Vitæ codicibus. At codicis Parcensis autor, sub Stephani de Longothona nomine, scribit decennem fuisse. Sed hæc levia sunt. Qualis vero in Prioratu, sive collegio, professus fuerit, non hic dicit autor; sed alibi vocat Canonicum Villæ Benedictæ, prope Avalim castellum patrium, quæ est Prioratus subditus. . . . . Pergunt Acta :

Ubi supra lib. 5. cap. 14.

Ubi sup. lib. 1. c. 4.

« Annum vero ætatis ingressus nonum decimum, petente omni cœtu Fratrum, per venerabilem Gratianopolitanum Antistitem, gradum invitus et coactus ascendit Leviticum; erat jam illi sensus pro canis, et vita immaculata pro senectute. Unde non immerito muneri et honori tanto cunctorum hunc sententia et idoneum censebat et dignum. Indutus vero sanctitatis amictum, tunicam polymitam, et stola jucunditatis redimitus, candidus ipse et rubicundus facie quidem et veste; sed multo eminentius spiritu et mente, lotis inter innocentes manibus circuibat altare Dei cum summa reverentia et devotione; pronunciabat Evangelium angelica voce, divinis observiens mysteriis cum metu et ferventissima oratione. Cœpit mox etiam sanctæ prædicationis studio plebem informare, ad amorem cœlestis patriæ torpentium corda instantius excitare. Peccantes publice coram omnibus arguebat; prorsus cunctis quibus poterat scientiam salutis, quam uberius fuerat assecutus, in commune dabat. Venter ejus musto geminæ dilectionis cum spiritu scientiæ et pietatis ad summum usque repletus, eructabat ex hoc in illud. Coarctabat eum præterea spiritus uteri sui; comedebat eum zelus domus Domini, videntem messem multam, sed operarios nullos aut paucissimos. Unde cum verecundia quidem et tremore, fluenta putei sui, jubente Prælato, petente populo, in plateis dividens, sentiebat ipse dum divideret, sentiebat populus dum biberet aquam cisternæ suæ, quam præ timore quasi

gelidam cœpisset propinare, accedente inter ministrandum fiducia fervoris vini effectu calescere, tamque ministrum quam bibentes salubriter inebriare. Complebatur namque in fideli pigmentorum spiritualium pincerna quod ait Scriptura : Qui inebriat et ipse inebriabitur. Taliter quoque potati in voce psalmi undique clamabant : Calix tuus inebrians quam præclarus est ! Benedicebant vero verum Joseph, qui in ore sacci fratris sui minoris posuerat scyphum suum.

ANNUS 1148

XV. « Gaudebant universi in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ejus ; sed præ cæteris Prior ejus vir religiosus et pius qui eum educaverat, qui et ut animam suam eum diligebat. Hinc corde lætissimo alumnum suum cum sublimitate vitæ sublimari cernens verbo gratiæ, contendit etiam ipse ad altiora eum attollere. Vicinam igitur Cellulam, quam vocant Sanctum Maximum (eo quod ejus basilica est S. Maximo regentium nobili patrono consecrata), ei committit regendam, quam ille quidem rebus necessariis pene vacuam, quia recusare obedientiam obedientiæ addictum legibus fas non erat, suscepit bonisque in brevi ubertim implevit. Loci illius possessiunculæ vix unico ad honestam videbantur habitatori sustentationem, cum familia parva, sufficere. Verum Hugo sciens melius esse duos simul quam unum, noluit esse solus ne sibi quandoque dici potuisset : Væ soli, quia si ceciderit non habet sublevantem. Sciens quoque juxta viri doctissimi sententiam, sicut junioris jucundiorem, ita cohabitationem senis esse tutiorem, presbyterum concanonicum annis et moribus gravem in socium accepit. Agelli vero curam et vinearum rusticis timoratis commendans, ipse lectioni et orationi vacabat ; cogitatum quoque in Domino jactans, et sollicitus quæ Dei sunt, quomodo placeret Deo, nihil de crastino sed de hodierno multum sollicitus, psallebat cum fiducia : Propter nomen tuum, Domine, dux mihi eris et enutries me. Unde et Dominus sui et suorum qui secum erant propter ejus fidem benigne sollicitus, omnem gratiam abundare faciebat in eis ; ipsi quoque abundanter, exemplis pueri junioris, ad omne opus bonum sobrie, pie et juste viventes, egenis alimoniam

FIT PRIOR CELLÆ SANCTI MAXIMI.

Ubi supra cap. 5.

ANNUS 1148

subministrabant, divitibus honorificentiam exhibentes. Sic quoque factum est ut in brevi, loci incolæ rerum et morum stipendiis ditati, celebrem opinionis bonæ circumquaque famam obtinerent. Sanctæ vero exhortationis studio non solum ecclesiolæ suæ parochianos, verum etiam confluentes undique turbas populorum ad audiendum verbum Dei instantius edocebat, monens unumquemque pro status sui conditione, irreprehensibilem se catholicæ traditionis et piæ per omnia conversationis sectatorem exhibere. » Hactenus Acta.

ZELUS EJUS PRO SALUTE GREGIS.

Part. 3. de sacris Ordin. exercitat. 9. cap. 3. sect. 10.

XVI. Quod autem Hugoni tunc Levitæ concessum sit parœciam regere, singularis quidem prærogativæ fuit; sed non sine exemplo et autoritate, ut probat doctissimus Morinus. Sed ad Acta redeamus. « Erat autem inter creditas curæ suæ oviculas, ovis quædam morbida, erratica, lupinis ultro se morsibus ingerens. Crimine siquidem adulterii quidam ex parochianis ejus pertinacius laborabat. Verum quid curæ, quid sollicitudinis, quid instantiæ impenderit boni Pastoris sequipeda bonus, ejusdem verbis absolvere dignum duximus. Nam vice quadam plurimis consedentibus viris literatis contigit, ipso præsente et cum eisdem plura familiariter conferente, a quibusdam Canonicis necnon etiam civilis juris peritis quæstionem istam proponi, qua Dominus Petro dicit : Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te et ipsum solum. De his vero quæ sequuntur, scilicet de adhibendis secum duobus vel tribus testibus, seu de forma dicendi Ecclesiæ peccatum fratris, aliis sic, aliis vero sic diffinientibus sed in eamdem assertionem minime accedentibus, (Hugo tunc erat Episcopus quando hæc quæstio ventilabatur) demum quid sibi videbatur protulit, suamque sententiam exempli hujus prosecutione astrinxit. Dum, inquit, adolescentulus quondam mihi creditæ parochiæ regimen ipse administrarem, ipse quidem Diaconus (simplici sacerdote quodam, quod erat sui officii in sacramentorum seu officiorum Ecclesiasticorum celebrationibus vel collationibus exequente), notam, imo et quod deterius est, etiam noxam adulterii quemdam ex parochianis meis contigit incurrisse. Comper-

Ubi supra cap. 6.

tam ego famam mali ægre satis tuli, rem diligentissime inquisivi, inventam et agnitam cooperante Domini nostri gratia, hanc progressu temporis emendavi. Conveni virum inter me et ipsum solum, dixi quæ pro loco et negotio dicenda putavi. Ille e contra reatum suum pertinaciter inficiari cœpit et irasci; et quatenus ausui mentis cæca obduratio suggerebat, etiam conviciari mihi et comminari. Abscedens demum tam me tristem reliquit, quam se incorrigibilem ad tempus ostendit. Præcepti vero hujus evangelici memor, duobus primum ac postea tribus testibus qui rem æque noverant mecum adhibitis, hominem corripui, correctionem persuasi, veniam correcto mediante satisfactione repromisi. Distulit ille correctionem polliceri; nec criminis vero nec suspicionis materiam sustinuit aboleri. Tandemque ejus reatum jam omnibus manifestum media in ecclesia quodam die solemni palam argui, immanitatem flagitii cunctis audientibus denotavi, tradendum eum Satanæ in interitum carnis, si non ocyus resipisceret, terribiliter denunciavi. His ille territus et confusus vehementer in medium prosiliit, peccato suo non sine gemitu et imbre lacrymarum renuntians, pœnitentiam egit, veniam correctus et reconciliatus accepit. Hæc vir sanctus de his quæ præsenti historiæ idcirco inserenda putavimus, quatenus ex his manifestius pateat lectori quid sollicitudinis et zeli, quid discretionis et studii circa salutem animarum, vir Deo plenus ab ineunte ætate habuerit et exhibuerit, ut non immerito supra multa Domini sui bona in modico repertus fidelissimus, tempore demum opportuno videatur constitutus. » Hactenus Acta. Ex tam præclaris initiis jam conjicere est qualem Hugo ad sanctitatem postea faciet progressionem, cum Cartusiensis monachus effectus fuerit.

ANNUS 1148

JESU CHRISTI

ANNUS 1149.

Eugenii PP. III Ann. 5.	Ord. Cartus. Ann. 66.	S. Antelmi Pr. Cart. Ann. 11.

NATALIS PORTARUM MONAC. ELIGITUR EPISC. GRATIANOPOL.

I. SEQUITUR annus Redemptoris millesimus centesimus quadragesimus nonus, Indictione duodecima, quo saltem exeunte, Canonici Gratianopolitani post Hugonis nostri ad Viennensem sedem translationem, jam a biennio Pastore orbati, Natalem quemdam cartusiæ Portarum monachum sibi depoposcerunt et elegerunt. Cujus electionis occasione nostros inter Patres nonnihil zizaniorum disseminavit inimicus homo, sed quæ non creverunt usque ad messem. Totius negotii hujus seriem ex clarissimorum tunc Abbatum, Petri videlicet Cluniacensis et beati Bernardi Clarevallensis epistolis, quasi in tabella lectori proponemus. Ac primum quidem Petri Cluniacensis ad Eugenium Papam epistola, qua simultatem inter Cartusienses exortam ob præfatam electionem significat, talis est ut sequitur :

Inde discordiæ inter Cartusienses.

Pet. Clun. lib. 6, Epist. 14.

« Summo Pontifici nostro et speciali Patri, Domino Papæ Eugenio, Frater Petrus humilis Fratrum Cluniacensium abbas, cum sincero affectu devotam obedientiam. Importunus quidem sæpe vobis scribendo sum; sed et ipsam importunitatem frequenter excusando, magis importunus esse formido. Quid igitur faciam ? si tacuero, mihi multisque nocebo; si locutus fuero, fastidiosus, ut dixi, videbor. Sed de his duobus alterum eligo. Malo vobis, salva pietate paterna, loquax vel nimius apparere, quam plurima vobis non celanda tacere. Non pertinet quidem, quod dicturus sum, ad proprium nego-

tium. Sed quomodo alienum est, quod vestrum quolibet modo est? Est autem vestrum totius Ecclesiæ Dei in hac valle lachrymarum peregrinantis causas audire, auditas discutere, discussas judicio Apostolico diffinire. Et licet Persona vestra constituta sit super gentes et regna, ut evellat et destruat et disperdat, et dissipet et ædificet et plantet : tamen quia nec Deus nec Hieremias propheta, cui hoc dictum est, estis, potestis falli; potestis ab his, qui ea quæ non Jesu Christi sed quæ sua sunt quærunt, decipi. Hoc ne fieri possit, oportet ut fidelis si quis fuerit filius, quæ sibi nota, vobis forte ignota sunt, Patri fideliter pandat; et ne hi de quibus legitur : venenum aspidum sub labiis eorum, sinceritatem vestram suo toxico inficere valeant, modo quo potest præmuniat. Nam non est parvum Dei munus a talibus liberari, maxime cum Psalmus solemnis dicat: Domine, libera animam meam a labiis iniquis et a lingua dolosa. Sed quid? Forte rursum nimis effluo, et quod excusaveram adhuc incurro. Reprimo ergo stylum et unde multa dicere voluissem, et ut æstimo debuissem, breviter dico ad quid ista præmisi. Una quidem causa est, sola tamen non est. Hanc ad præsens dicam; reliquas suo tempori reservabo.

ANNUS 1149

Jer. 1. 10.

Ps. 13. 3.

Ps. 119. 2.

II. « Cartusiensis Ordinis et Propositi instituta quantum dilexerim, quantum diligam, quantum veneratus sim, quantum amplectar noverunt multi; ego vero magis, Deus autem maxime. Nam si mens mea me non fallit, si conscientia mea mihi quod verum est attestatur, si tandem vera est divina sententia quæ dicit: Nemo novit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est. Agnosco me Cartusiensium a triginta jam fere annis, hoc etiam antequam præesse inciperem, præ cunctis pene mortalibus amasse religionem, coluisse sinceritatem, amplexum esse veritatem. Intellexi, nec me falli putavi, cunctorum Latinorum Institutis eorum propositum præferendum, nec esse eos de illis qui liquant culicem et camelum glutiunt : hoc est qui irritum faciunt mandatum Dei propter traditiones hominum, et decimantes mentam et anetum et cyminum et, juxta unum Evangelistam,

QUANTI FECERIT CARTUSIENSES PETRUS ABBAS.

1. Cor. 2, 11.

Matth. 23. 24.

Idem 15. 6.
Id. 23. 23.

ANNUS 1149

Luc. 11. 42. omne olus; dimittunt autem quæ sunt graviora legis, judicium et misericordiam et fidem. Non enim præcipue in cibis, in potibus, in vestibus, in laboribus vel similibus regnum Dei consistere putant, licet hæc discretive facta multum eidem regno Dei militent, sed in pietate illa, de qua ait Apostolus : 1. Tim. 4. 8. Corporis exercitatio ad modicum utilis est, pietas ad omnia utilis, promissionem habens vitæ quæ nunc est pariter et futuræ. Epulantur vere Sancti illi in mensa sapientiæ, deliciantur in ferculo veri Salomonis, non in superstitionibus, non in hypocrisi, non in vanitatibus, non in fermento 1. Cor. 5. 8. malitiæ et nequitiæ, sed in azimis sinceritatis et veritatis. Magni ergo sunt, amandi sunt, amplectendi sunt. Et quid dicam? Invitus profero quod sentio; ratione coactus dico quod nolo. Videor tangere arcam Dei, et eam manu præ- 2. Reg. 6. sumptuosa, ut quondam Oza, bobus lascivientibus, sublevare. Sed non sum præsumptor, non sum, quantum ad hunc casum pertinet, dignus morte ut ille, quia securum me faciunt verba illius qui dixit : Si oculus tuus fuerit simplex, totum Matt. 6. 22. corpus tuum lucidum erit. Dicam ergo nec jam ultra morabor. Audiat Pater æquo animo verba filii; nec in illis aliquid vafrum vel subdolum latere existimet. Ut enim aliis literis Sublimitati vestræ nuper mandasse memini, idem esset mihi vobis mentiri, quod mori.

Ex electione Natalis turbatus Ordo Cartusiens.

« In causa de qua adhuc agitur Gratianopolitanæ electionis, videtur mihi quod Cartusiensis Ordinis serenam diem inopinus turbo infecerit, et splendorem hactenus cristallinum nubecula nescio unde exorta fuscaverit. Divisa est inter se, et quæ usque ad hæc tempora specialius aliis unum in Christo fuerat, hac de causa invicem Congregatio sancta compugnat. Hinc Cartusia, Excubiæ, Durbonum; hinc Portæ, Majorævum, Sylva, Alverium; et si qua sunt alia ad sacrum illum Ordinem pertinentia loca, velut diversos parietes statuunt : et tam hi, quam illi se juxta Prophetam pro Domo Israel ascendere ex adverso, et stare in prælio in dies Domini profitentur. Dicunt hi non debere electum episcopari, et causas quasdam, quas non est nunc meum dicere, prætendunt. E

converso alii : Quid, inquiunt, ad vos ista. Cartusiensis Ordinis Institutio est mala, si qua noverint, his ad quos spectat nota facere, non autem et litigare. Eorum est simpliciter quod sentiunt dicere, non autem palatia ad causandum intrare. Non est Eremi nostræ judiciis astare; non est eorum qui mortui mundo videntur, in publicis negotiis actores vel defensores existere. Nihil simplicitati nostræ cum astutia seculari; nec decet ut qui in seculo eremum eligimus, nunc de eremo ad seculum redeamus. Quod si non decet ut illuc etiam tracti redeamus, decet ut sponte cunctis nolentibus et reclamantibus judicum nos tribunalibus ingeramus. ANNUS 1149

« Hæc est causa non quidem litis apertæ, sed simultatis occultæ Sanctorum hominum, quæ expressius nota Patri fieret, si Majestati vestræ non solo scripto sed et verbo mihi loqui liceret. Nam sunt quædam quæ literis tradere nolo : ea tamen, quia scribere non fuit consilii, in ore dilecti fratris nostri et filii vestri Arnaldi vobis intimanda reposui. »

QUO ANNO DATÆ LITERÆ PRÆFATÆ.

III. Hanc epistolam hoc anno datam colligimus ex his Petri verbis : « ut enim aliis literis Sublimitati vestræ nuper mandasse memini, idem esset vobis mentiri quod mori. » Literæ vero de quibus hic facit mentionem, sunt illæ quas ante biennium probavimus scriptas exeunte anno superiori aut saltem præsente ineunte. In his enim suam Eugenio sinceritatem iisdem ferme verbis contestatus fuerat dicens : « Novit Pater, ut credo, filii cor; novit... quod pene idem esset, quantum in libro conscientiæ meæ legere poteram, vobis mentiri quod mori. » Cum igitur in præscripta epistola dicat, « Sublimitati vestræ nuper mandasse memini » ; hinc patet non multum temporis intercessisse inter utriusque epistolæ scriptionem. Ac propterea Natalis electionem ad præsentem annum esse referendam; vel etiam citius, ut ex verbis sequentibus conjicimus : « In causa, inquit, de qua adhuc agitur. » Nam per adverbium « adhuc », indicat causam illam jam ante agitatam; nondum, cum scriberet, esse decisam.

V. sup. ad an. 1147.

Porro ex eadem epistola causam habemus exortæ discor-

ANNUS 1149

Impeditur electionis effectus.

Lib. 6. Epist. 5.

S. Bern. Ep. 354.

diæ; nempe quosdam Cartusienses non solum Natalis electionem improbasse, sed illius effectum impediisse; alios vero primorum condemnasse zelum, quasi qui se in rem non sui juris interponerent. Ejusdem negotii rursum idem Abbas meminit scribens ad sanctum Bernardum, ubi in fine ita loquitur : « De electione Gratianopolitana contra quam nostri Cartusienses agunt, quid sentiam : in ore carissimi mei vestrique fidelis Nicolai vobis retegendum diligenter reposui. Ipsum audite, et quæ ab ore meo vobis retulerit, absque hæsitatione vel minima verum esse credite. » Huic autem respondens S. Bernardus : « Gaudeo, inquit, quia de Gratianopolitano negotio veritatem cognovi. Illud autem scitote, quia multum incaluit cor meum ad verba communis filii, quæ ex parte vestra retulit mihi. » Sed de hoc negotio iterum anno sequenti.

CARTUSIA MONT. RIVI VEXATUR.

Ex Vita ms. B. Jo. Hisp.

B. Joannes Prior locum deserit.

IV. Circa idem tempus Joannes Hispanus Cartusiæ Montis Rivi in Provincia Prior, facinus fecit viro Apostolico dignum. Quodam enim viro nobili eidem Domui vicino, et ut verisimile est eorum qui locum dederant hærede, de pacifica, qua Cartusienses hactenus ibidem potiti fuerant, possessione cum eis disceptare volente : post varias ab eo Montrivensibus monachis illatas injurias et vexationes, maluit piissimus ac sapientissimus Prior adversario totum locum cedere quam sibi suisque illum litigando asserere. Assumptis itaque secum cunctis vel saltem aliquot e suis fratribus quietis et pacis studio ardentioribus, ad Matrem Cartusiam confugit ubi a S. Antelmo, qui viri sanctitatem optime noverat, benigne susceptus, fere per biennium commoratus est; donec ad incolendam novam sub titulo Repausatorii inchoatam cartusiam cum suis exulibus mitteretur. Hæc autor Vitæ illius ita narrat. « Ejus felicibus actibus hostis invidens antiquus, excitavit contra eum quemdam hominem, quem suæ veneno diræ potaverat iræ. At vir discretus plus timens recentium discipulorum detrimentum, quam formidans excitatæ iræ perfidi provocamentum, ac juxta Dominicam vocem : Si persecuti vos fuerint in una civitate fugite in aliam, duobus annis cum di-

midio Prioratu prudenter administrato, discessit inde venitque Cartusiam cujus regimen eo tempore tenebat Nantelmus, et huic antea jam fuerat notus, a quo et tunc et benigne est susceptus, atque humaniter manens secum per aliquod tempus tam illi quam universis amabilis. » His in verbis nulla quidem fit mentio utrum Joannes sui exilii socios habuerit, sed id ab eodem autore inferius innuitur, cum dicit S. Antelmo cogitante « quid illi et sociis facere posset, » Aymonem de Fulciniaco monachos petiisse qui Repausatorium incolerent, illucque nostrum Joannem missum fuisse, cui et « memoratis hominibus sociis videlicet plurima vestium, nummorum librorumque beneficia » S. Antelmus impertiit. Sed de his biennio post paulo fusius.

ANNUS 1149

Ad Cartusiam perfugit.

V. ad an. 1152.

Haud diu habitatoribus caruit Mont-Rivensis eremus, si tamen penitus eis caruerit; nam reperio eam hoc præsenti anno habuisse Priorem nomine Benedictum qui, Summi Pontificis ac Raimundi Berengarii Provinciæ comitis autoritate implorata, exagitatorum hominum malitiam compescuit ac præterea immunitatem a decimis ab Eugenio obtinuit hac bulla:

Benedictus ejus successor Papæ et Comitis auctoritate vexatores compescit.

« Eugenius, etc. Dilectis filiis Benedicto Priori monasterii Montis Rivi, ejusque Fratribus Salutem et Ap. Bened. Religiosis desideriis dignum est facilem præbere consensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Hujus rei gratia, dilecti in Domino Filii, vestris postulationibus clementer annuimus, et ecclesiæ vestræ quieti et utilitati imposterum providere volentes, Apostolica autoritate prohibemus ut laborum vestrorum quos.... propriis manibus aut sumptibus colitis, nullus omnino a vobis decimas exigere præsumat. Si quis autem hanc nostræ confirmationis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonitus si reatum suum congrua satisfactione non correxerit, indignationem omnipotentis Dei et B. Petri et Pauli Apostolorum ejus incurrat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Datum Vetrallæ. »

Ex Cartul. ejusd. Cart.

Anno vero sequenti idem Benedictus literas tutelares a

ANNUS 1149

Principe impetravit, in quibus inter cætera sic loquitur Comes : « Ego Raimundus Berengarii comes Barchinonensis, Princeps Aragonensis, Tortosæ Ilerdæque Marchio, et dux Provinciæ, accipio ac pono in tuitione, protectione ac defensione mea domum Montis Rivi cum habitatoribus suis, qui ibidem die noctuque Deo militare et in ejus laudibus assidue assistere videntur. Ita scilicet pono eos in securitate mea, ut si qua persona, eorum sanctissimum, vel sua auferendo vel ibidem aliquam injuriam faciendo, vellet propositum interponere: homines atque amici mei ita eorum damnum quærerent atque vindicarent, ac si meum esset proprium. Factum est hoc XII Kalend. Aug. apud villam quam vocitant *Lambesc,* anno ab Incarnatione Dom. C L post millesimum Hujus rei testes sunt Arnaldus de Lercio, Rajmundus de Villa Mulorum, Bernardus de Belloloco, Guillelmus Raimundi Avenionens., Gaudefridus de Massilia cum fratribus suis Ugone et Bertranno Rostangni Tarasconi, Guido de Fos et multi alii boni homines ; Guillelmus Gerundensis Ecclesiæ Caput scolæ*. Ego Andreas scriptor, sub jussione Domini mei Comitis hanc Cartam scripsi, et hoc signum feci. »

* *Scholasticus.*

GUILLELMUS ABBAS S. THEODOR. MORITUR.

V. Hoc præsenti anno vel circiter obiit B. Guillelmus monachus Signiacensis, Ordinis Cisterciensis, antea S. Theodorici Ordinis S. Benedicti Abbas, autor verus ac certus egregii illius Tractatus de Vita solitaria ad nostros Domus Montis Dei Cartusienses. Laudabilis ejus memoria habetur in chartophylacio ejusdem Montis Dei his verbis : « Domus Montis Dei cœpit anno 1136, post cujus inchoationem S. Bernardus vixit annis 17, tanto illo tempore devotus et specialis amicus dictæ Domus, cum socio suo Guillermo alias Abbate S. Theodorici nigri Ordinis prope Remos, qui postea fuit humilis monachus Cisterciensis Ordinis in Signiaco. » Et alibi iterum de eo legitur : « Circa tempora Remensis Concilii sub Eugenio habiti, vivere desiit recolendæ memoriæ Willelmus quondam abbas S. Theodorici, sed postea monachus Signiaci, qui una cum B. Bernardo huic Monti tantopere devotus erat, ut relicto ad tempus Signiaco, vitæ solitariæ

Ejus elogium ex antiquis mss.

ANNUS 1149

ibidem se totum daret. Inde Signiacum rediens, in gratiam hospitalitatis monachis Montis Dei omnia opera sua dicavit. » Dies obitus illius signatur 8 Septembris in ejusdem cartusiæ et abbatiæ Signiacensis necrologiis. Ejus elogium noster Franciscus Ganneron Montis Dei cartusiæ professus satis fuse conscripsit. Multa quoque ejus in laudem congesserunt Bertrandus Tissier in sua Bibliotheca Cisterciensi, et Joannes Mabillon in Notis ad S. Bernardi Epistolas. Ex quibus patet eum fuisse virum sanctum, quem ideo Henriquez suo Menologio merito asseruit.

Ex mss. Cart. Mont Dei.
Mab. in not. ad Ep. 86.
Menol. Cister. ad 18 Januar.

Autor tractatus ad Fratres de Monte Dei.

Hunc diximus verum ac legitimum parentem insignis hujus *de Vita solitaria* operis, nostris de Monte Dei Cartusiensibus inscripti. Quam tamen gloriam visi sunt multi diu ei subripere. Alii enim a medio seculi decimi tertii sanctissimo Clarævallensi abbati Bernardo; alii non ita pridem Petro Cellensi illud tribuere. Fuerunt etiam qui persuadere conati sunt Tractatum hunc ad Fratres Carmelitas de Monte Dei Oreb in Arabia sito missum fuisse, eisque ab autore nuncupatum, non vero Cartusiensibus de Monte Dei in Galliis; nisi forsan, ut ipsi suspicantur, « Fratres illi ad quos autor scribit, e monte Oreb in Occidentem adventantes, nostrum de Monte Dei locum prius incoluerint quam in ipsum Cartusienses admitterentur. Diversas horum opiniones non incongruum duximus discutere, ut inde clarius appareat hunc honorem esse Willelmo jure restituendum. Scimus quemdam id jam ante nos effecisse : at cum ejus editio rara sit, nec cuncta diluerit argumenta quibus quidam e Nostris, cujus opus in plerisque Ordinis Domibus habetur, ante annos octoginta hunc tractatum S. Bernardo absolute tribuendum esse contendit; hinc hujusmodi dissertationem in gratiam solummodo Cartusiensium libenter aggredior, et eorum maxime qui Domos a Gallia nostra remotas incolentes, citatam haud facile possunt editionem sibi comparare.

Tissier. Biblioth. Cisterc. tom. 2.

Petrejus in notis ad Dorl. c. 29. lib. 6.

ANTE ANNOS 400, S. BERNARDO TRIBUITUR A QUIBUSDAM.

VI. Ac primo quidem, quod hic tractatus jam medio seculo tertio decimo Bernardi fuisse creditus sit, ex variis colligimus ac prope innumeris autoribus qui eum cum nomine

ANNUS 1149

sancti istius Abbatis citant; ut sunt S. Bonaventura [a], Vincentius Bellovacensis [b], Guillelmus Peraldus [c] Lugdunensis Ecclesiæ Propontifex, qui florebant circa nominati seculi medium; Joannes Gerson [d] celeberrimus Universitatis Parisiensis cancellarius multis in locis, S. Antoninus [e], Philippus Bergomas [f], Hieronymus Platus [g], et alii multi quos recensere superfluum est. Plures quoque ex Nostris idem senserunt, inter quos inveniuntur Boso Cartusiæ Majoris Prior ad Clementem V scribens, Henricus [h] Calkar, Petrus, Dorlandus [i] Dominicus [k] Trevirensis et quidam alii, qui omnes, ut diximus, opus illud Bernardo tribuunt. Sed cum id simpliciter faciant, vulgari potius adhærentes opinioni quam ex professo sanctum Abbatem asserentes germanum illius autorem; eorum sententia, quantumvis alias virorum gravium, non tanti apud omnes ponderis fuit quin plures dubitarint an esset S. Bernardi. Imo quidam etiam S. Bonaventuræ coætanei Willelmum de quo agimus, nempe S. Theodorici abbatem, hujus fœtus parentem agnoverunt; quod ex Humberto de Romanis quinto Prædicatorum Ordinis Generali probamus. Hic enim in Tractatu de Modo prompte cudendi sermones de quibuscumque Eremitis agens, statim atque Bernardum super Cantica citavit, Willelmi Clarævallensis *de Vita solitaria* autoritatem subjicit; et tam in prædicto suo opere, quam in aliis ab ipso compositis eamdem epistolam sæpe laudat, tacito semper Divi Bernardi nomine. Anonymus Canonicus Regularis, Humberto suppar, simile quid scribens ad concionatorum eruditionem (si tamen ejusdem non est simplex Humberti exscriptor), eumdem tractatum ejusque autorem Guillelmum Clarævallensem non semel nominat ac laudat. In vetusto D. Antonii Foy canonici Bellovacensis apographo librarius hanc ipsi præposuit inscriptionem: « Incipit epistola ad Cartusienses, quæ licet intituletur nomine abbatis Guillelmi, tamen Beato Bernardo a pluribus adscribitur. »

Item dicto Guillelmo a S. Theodorico.

Musæi Ital. to. 1. Jo. Mabil.

Idem in præfat. tom. 5. S. Bern.

Ambigitur an sit S. Bernardi.

Deinde seculo quinto decimo, cœptum est serio de vero autore dubitare. Vix eum putat noster Dionysius fuisse

[a] Passim in Opuscul.
[b] in Specul. Histor.
[c] in Summ. virt. et vit.
[d] in Apologetico et alibi.
[e] in sua Histor.
[f] in Supplement. Chron.
[g] de Statu vitæ religios.
[h] de ortu Ord. Cartus. ms.
[i] Chronic. Cart. l. 6. c. 29.
[k] lib. Experient. ms.

S. Bernardum : « Epistola illa, inquit, ad Fratres de Monte Dei communiter Reverendissimo nimiumque clarissimo ac spiritualissimo viro S. Bernardo adscribitur. Nihilominus a quibusdam non sine ratione ambigitur an vere sit ejus » ; suumque dubium quibusdam confirmat conjecturis, ex ipsius epistolæ prologo stylique diversitate desumptis ; tandemque subnexis probationibus Bernardo faventibus, pro aliquo alio, sibi quidem ignoto sed Bernardi pietatem et spiritum referente, ita concludit : « Verum sive Bernardus, sive alius ei forsan contemporaneus illam epistolam compegit, ipsa vere Bernardo adscribitur, ut puta ejus personæ aut alteri in gratia simili, juxta quem modum amicus dicitur alter ego. Sanctissimus quoque Joannes Baptista vocatur Elias, et qui multum sunt similes iidem feruntur. Itaque dicimus, vidistis illum ? illum vidistis, etc. » Joannes Trithemius nostro Dionysio ætate paulo inferior, postquam in catalogo operum Bernardi pro Bernardo stetit, in catalogo operum Guillelmi a S. Theodorico aliter sapere videtur dicens : « Sunt qui dicant hunc Guillelmum, cum adhuc esset abbas S. Theodorici, vulgatam illam ad Cartusienses scripsisse Epistolam, cujus initium est *Fratribus de Monte Dei,* quæ a Beato Bernardo a multis adscribitur. »

Dionys. Cartus. de Præcon. Ord. art. 5.

Trithem. de Scriptor. Ecclesiast.

Joannes Mauburnus, abbas Livriacensis, cujus fama sub nomine *Temporalis* sub initium sexti decimi seculi vigebat, communem secutus opinionem sæpissime et ultra tricies, ni fallor, illam citavit cum Bernardi nomine epistolam ; sed alicubi in gratiam Guillelmi suam apertius sententiam his verbis declarat : « In celebri illa epistola ab omnibus jure legenda, aut potius comparis sui Guillelmi Igniacensis ad Fratres de Monte Dei. » His forsan autoritatibus nixi sunt, qui circa idem tempus typis simul mandantes epistolam ad Fratres de Monte Dei cum Regula Sancti Benedicti et tractatu Hugonis a Sancto Victore *de Modo orandi*, ipsam sub sancti Bernardi nomine non censuerunt evulgandam, nisi cum hac clausula : « ut plures credunt ». Simile quid in antiquis operum S. Bernardi editionibus observatum est, in

Rosetum spiritual. exercit. in prooemio 1. part.

An. 1500.

ANNUS 1149

Editio operum S. Bernard. Parisiis ab Joan. Parvo anno 1517.

quibus post edita quæ ejus credebantur germana opera, hæc conclusio subditur : « Hactenus habes opera a Divo nostro Bernardo composita; nam nonnulla alia, quæ a longo jam tempore ei adscribuntur, sua non sunt; nec ejus stylum minusque spiritum redolent. Ne propterea opus præclarissimum talium inculcatione obtenebretur, peritorum consilio rejecimus, demptis quæ sequuntur paucis. » Statimque sequitur Epistola ad Fratres de Monte Dei, quæ proinde negatur esse sancti Bernardi.

QUI PRO BERNARDO STENT.

VII. Nihil prohibentibus hujusmodi dubitationibus, communis in Bernardi favorem opinio magis magisque quotidie etiam apud Doctores invalescebat; unde nonnulli Cartusienses a paucis non patientes in dubio poni, quod a plerisque per longos annos pro comperto habebatur, pro Divo Bernardo acriter decertarunt. Horum antesignanus est Sutor Parisiensi cartusiæ anno 1517 præfectus, qui de Bernardi nomine et autoritate merito quidem gloriatus, rem tamen absolute nimis decidit dicens : « præsumptuosum esse cornicum oculos configere, et quæ sunt tot seculis hominum auribus inculcata, superba quadam arrogantia citra causam mutare velle. »

De vita Cartus. l. 1. tract. 3. c. 19.

Eorum argumenta referuntur et franguntur.

Alter Sancti Bernardi patronus ipse est Theodorus Petreius Coloniensis cartusiæ professus, qui ab anno 1597 ad mortem usque (quam anno nostri seculi quadragesimo pie obiit), librorum non minus Ecclesiæ utilium quam Ordini nostro decus afferentium, scriptioni et editioni studio indefesso vacavit. Hic igitur suam pro Divo Bernardo sententiam tribus conatur rationibus et argumentis tueri. Primam ex opinione vulgari rationem deducit : « Hanc epistolam, inquit, etsi nonnulli videantur Guillelmo abbati S. Theodorici velle adscribere, tamen et temporis longinquitas, et præstantissimorum scriptorum autoritas aliter postulat. » Deinde S. Antoninum et quosdam alios quos superius citavimus refert, quos, et maxime nostrum Dionysium, in suam vult sententiam inclinare. Sed quo fructu satis patet ex his quæ superius diximus. Huic rationi alteram subjungit ex sancti

In not. ad cap. 29. lib. 6. Dorlandi.

Abbatis cum Montis Dei monachis familiaritate : « Fuisse enim Divum Bernardum istius cartusiæ Patribus valde familiarem liquet ex epistola 290, etc. » Sed nec ullius momenti est hujusmodi conjectura ; cum multi præclari viri, ut sunt Petrus Cellensis, Joannes Sarisberiensis, ipse abbas S. Theodorici Guillelmus, aliique necessitudine arctissima Montem Dei cohonestarint.

ANNUS 1149

Tertium subdit Petrejus argumentum prima fronte satis validum, sed quod attentius examinatum per se ruit. « Quinimo, inquit ille, ipsemet autor (Bernardus) fatetur hanc a se epistolam ad Cartusienses conscriptam, uti libro Bernardinæ Confessionis comprobavimus. » Sic autem in citata Confessione ratiocinatus fuerat : « In eadem epistola ad Fratres de Monte Dei, quos si quis ambigat Cartusienses fuisse, is mihi legat tractatum ejusdem Divi Bernardi *de diligendo Deo,* ubi citando hanc ad Fratres de Monte Dei epistolam, circa finem ita fere ait : Memini me dudum ad sanctos Fratres Cartusienses scripsisse epistolam, ac de ipsis his gradibus in ea inter cætera disseruisse. » Fatemur S. Bernardum in tractatu *de diligendo Deo* dicere se jamdudum scripsisse de charitatis gradibus in sua « ad sanctos Fratres Cartusienses » epistola ; sed in tota ad Fratres de Monte Dei epistola de charitatis gradibus nullo modo agitur, ut minus perspicaces poterunt animadvertere. Non igitur in præfato tractatu de diligendo Deo meminit S. Abbas Epistolæ ad Fratres de Monte Dei, sed alterius nobilis et copiosæ epistolæ quam ad nostrum Guigonem et Majoris Cartusiæ Fratres olim scripserat, in qua distincte agit de gradibus charitatis, ut primus annotavit noster Franciscus Ganneron et post eum Horstius, et ille vir eruditus qui ante triginta annos suppresso suo nomine hunc ad Fratres de Monte Dei tractatum gallice reddidit. Præterea S. Bernardus opusculum de diligendo Deo jam ediderat, quando Apologiam ad Guillelmum scripsit, quam ipse indicat in epistola 18 ad Petrum cardinalem (quæ quidem sub annum 1127 data videtur). Hinc sole clarius liquet mentionem in illo opusculo de Domus Montis Dei Cartusiensibus

Confess. Bernard. lib. 4. pag. 466. ed. an. 1606.

Tract. de dilig. Deo, cap. 12.

Epist. 11 editionis Horstianæ.

Epist. ad Frat. de Monte Dei gallice edita an. 1656.

Mabil. in præfat. oper. S. Bernardi.

ANNUS 1149

non fieri, cujus fundamenta eo tempore necdum posita erant.

QUI CONTRA BERNARDUM.

VIII. Porro licet ex supradictis appareat nostram hanc ad Fratres de Monte Dei epistolam frustra ab aliquibus S. Bernardo vindicari, libet tamen quosdam hic autores subjicere qui illam Divo Abbati prorsus subtrahunt. Primus est Gaufridus monachus Clarevallensis et ejusdem Beati viri notarius qui, data opera, omnia illius opera recensens, Tractatus de Vita solitaria non meminit. Alter quoque antiquissimus autor (quem prælaudatus Franciscus Ganneron putat ante annum 1200 floruisse), ex omnibus Bernardi operibus flores excerpens nihil plane de tractatu illo extraxit : ne sententiolam quidem, ut etiam annotavit loco citato noster Dionysius ; licet quidam denuo flores eosdem post annum 1500 typis mandans, nescio quo ductus zelo, de illo tractatu cum Bernardi nomine aliquid in Prologo perstrinxerit ; postquam enim Gaufridi superius laudati verba de verbo ad verbum exscripsit, suo marte et judicio quæ ibidem habentur subscripsit, cum tamen in cunctis florum areolis ne verbulum quidem de illa epistola habeatur, ut accurate rem examinanti innotescet. Sed ulterius progreditur Bellarminus. Nam de illo Tractatu loquens, duobus verbis totum hoc negotium ad metam perduxit dicens : « sermonem seu librum de Vita solitaria ad Fratres de Monte Dei non habere stylum, sed habere spiritum sancti Bernardi. » Idem sentiebat æqualis Bellarmino Bruno d'Haffringues Cartusiæ Majoris Prior, vir omnium judicio doctissimus, quem qui ex Nostris noverunt tradunt dicere solitum fuisse : « Epistolam ad Fratres de Monte Dei nihil habere commune cum cæteris Bernardi operibus, ac proinde autorem illius alibi quærendum. »

Lib. 3. Vitæ S. Bernardi cap. 8.

De Script. Ecclesiast.

Qui pro Guillelmo Abbate.

Asservatur ms. apud Montem Dei.

Hunc paulo post sollicite quæsivit ac prospere detexit sæpe laudatus Franciscus Ganneron qui anno 1635, jubente Justo Perroto Brunonis d'Haffringues in Cartusiæ Prioratu successore, luculentam scripsit dissertationem qua doctissime disquirit ac probat tractatum illum nec a Bernardo scriptum fuisse, ac proinde nec ab eo Carmelitis de monte Oreb dica-

tum, sed merito restituendum Guillelmo S. Theodorici abbati, ac certissime spectare ad Montis Dei Cartusienses. Verum tam utili opere inter privatos hujus cartusiæ parietes delitescente, vir quidam eruditus jam superius laudatus, qui epistolam illam de Vita solitaria tacito suo nomine gallice redditam anno 1656 in lucem edidit, sciens jamdiu fuisse de germano illius autore dubitatum, eam Petro Cellensi abbati conjecturis satis gravibus asserere nisus est. In ejus sententiam jam omnes ibant docti, cum Bertrandus Tissier qui nostrum Ganneronem prius consuluerat, sexennio post in Bibliotheca Cisterciensi a se edita, Prologum istius epistolæ vulgavit correctiorem ac integrum, qui cunctis in editionibus tertio tanto brevior hactenus comparuerat. Idem haud ita multo post præstitit Mabilio in posteriori S. Bernardi operum editione, et quidem ex pervetustis codicibus, quibus uterque et ante ipsos præfatus Gannero usi sunt, prout habebantur in diversis bibliothecis : unus in Thuanea, nunc Colebertina, qui quondam nostri Montis Dei fuerat ; alter quoque Montis Dei, quem modo habent Patres Societatis Jesu collegii Parisiensis ; duo in Ligetana et Parisiensi cartusiis ; alius in ecclesia Collegiali Longipratensi in Ambianensibus, cujus exemplar sibi comparavere Cartusienses Monsterolenses ante annum 1300 scriptum ; alii denique plurimi in diversis abbatiis et cœnobiis.

ANNUS 1149

Biblioth. Cisterc. tom. 2. edit. 1662.

IX. Ex hoc igitur Prologo sic redintegrato omnibus dubitandi causa tollitur, ipseque Guillelmus abbas se hujus tractatus autorem palam prodit, ut ex ipsiusmet verbis observabimus, cum ipsum Prologum, ex codicibus quibus Gannero usus est, in Cartusiensium gratiam prius dederimus ; in cujus contextu et in illius marginibus loca ex quibus annotationes ipsi Prologo subnectendæ deducentur, literis alphabeti designabimus. Sic igitur se habet :

VERITAS EFFULGET EX AUTORIS PROLOGO.

« [a] Dominis et Fratribus H. Priori et S. Frater Willelmus sabbatum delicatum. Pene impudenter et plusquam decebat os meum patet ad vos, charissimi fratres in Christo ; non possum tacere, Deus scit. Ignoscite quia cor meum dilatatum a.

ANNUS 1149

est. Dilatamini et vos obsecro in visceribus vestris et capite nos, quia vester sum totus in Eo, in cujus visceribus invicem cupimus vos *. Ideo [b] ex quo recessi a vobis usque nunc, qualemcumque laborem meum quotidianum statui dedicare non vobis qui non indigetis, sed fratri Stephano et sociis ejus Fratribus junioribus, et Novitiis venientibus ad vos, quorum Doctor Deus solus est, ut habeant et legant, si forte aliquid ibi invenerint utile sibi ad solatium solitudinis suæ et sancti propositi incitamentum. Offero quod possum bonam voluntatem, ipsamque a vobis repeto cum fratribus suis. David saltando placuit Deo, non propter saltum sed propter affectum. Similiter et mulier quæ unxit pedes Domini laudata est a Christo, non quod unxit sed quia amavit. Et quia quod habuit, hoc fecit, in eo justificata est. Deinde [c] vobis etiam arbitratus sum dedicandum aliud quoddam opusculum, quod in consolationem suam et in adjutorium fidei * facere me compulit fratrum quorumdam plus anxia quam periculosa necessitas, quorum tristitia plurimum mihi solet facere gaudium, nisi quod eos contristatos videre non possum. Præ magnitudine quippe non solum fidei sed etiam amoris, exosum adeo habent quidquid esse videtur contra fidem, ut si vel ad modicum, seu ex spiritu blasphemiæ, seu ex ipso sensu carnis fuerint super hoc attentati vel pulsati, quasi ex solo auditu vel attactu læsam omnino in semetipsis æstiment conscientiæ puritatem *, et miserabiliter defleant semetipsos quasi reprobos circa fidem. Quibus et contingit, a seculi tenebris ad purioris vitæ exercitia venientibus, quod contingere solet repente prodeuntibus ad lucem a diuturnis tenebris, ut sicut in illis lux ipsa, qua cætera videnda sunt, primo irruens infirmis oculis sit molesta ; sic et isti ad primum fidei lumen cæcutiant nec insolitos novæ lucis radios possunt sustinere, donec ipso lucis amore assuescant *.

« Dividitur [d] autem hoc opusculum in duos libellos, quorum primum, quia planus est et facilis, *Speculum fidei ;* alterum vero, quia rationes et formam fidei, secundum dicta et sensus catholicorum Patrum summatim continere videtur, et est

* *Al.* nos.

b.

2. Reg. c. 6.

Luc. 7.

c.

* *In aliquibus codicibus deest hoc verbum.*

* *al.* pietatem.

* *Ab hac nota ad præfationis finem deficiunt cæteræ editiones quæ usq. ad an. 1662 vulgatæ sunt.*

d.

aliquantulum obscurior, *Ænigma fidei* vocare statui, plus in hujus studio fugiens otiositatem inimicam animæ, quippe quem senium [e] et ægritudo a communi labore jam non ut emeritum sed ut pigrum et inutilem relaxat, quam cæterorum eruditioni insistere, quæ revera non est speciosa in ore peccatoris, et illos tantummodo decet, qui quod docendo plantant, vivendo confirmant. In primo siquidem, quo accedere debeat; in secundo etiam qua cautela incedere rudis auditor docetur. Nam hoc quoque ad discipulos Dominus dicit: Et quo ego vado scitis et viam scitis. Unde et Propheta: Divitiæ, inquit, salutis sapientia et scientia. Nam et in Psalmo, primum dies diei eructat verbum; postea vero et nox nocti indicat scientiam. Sunt [f] præterea et alia opuscula nostra : Tractatus duo, primus de contemplando Deo; alter de natura et dignitate amoris. Libellus de sacramento Altaris. Meditationes pro Novitiis, ad orandum formandis spiritibus non usquequaque inutiles. Et super Cantica [g] Canticorum, usque ad illum locum : Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea. Nam contra Petrum [h] Abailardum, qui prædictum opus ne perficerem, effecit. Neque enim mihi integrum fore arbitrabar tam delicato intus vacare otio ipso foris fines fidei nostræ, nudato (ut dicitur) ense tam crudeliter depopulante. Contra ergo ipsum quod scripsi, quia de fontibus sanctorum Patrum hausi quod dixi, quemadmodum [i] in Epistola ad Romanos, et in cæteris de quibus infra dicturus sum, in quibus aut nihil omnino aut non multum de meo dixi.

« Melius [k] est, si ita placuerit, ut suppresso nomine nostro inter anonyma relinquantur, quam, ut prædixi, quæ non peperi congregare videar. Excerpsi enim ex libris Ambrosii quidquid in eis disseruit super Cantica Canticorum, opus grande et inclytum; similiter et ex Beati Gregorii, sed diffusius quam Beda fecerit. Nam idem Beda, ut nostis, ultimum* in Canticis librum, hanc exceptionem ipsam constituit. Sententias de fide quas de beati maxime Augustini libris extraxi, si vultis transcribere, fortes nimirum et graves sunt, et cum

ANNUS 1149

e.

Joan. 14.

Isaiæ 33.

f.

g.

h.

i.

k.

* Al. *Ultimum in cæteris libris suis hanc ipsam exceptionem constituit.*

ANNUS 1149 supradicto opusculo quod Ænigma fidei intitulari placuit, magis congruunt. Est et aliud opusculum nostrum de Natura animæ, scriptum sub nomine Joannis ad Theophilum, cui ut de toto homine (quasi enim congruere videbatur) perstringerem, præmisi et de natura corporis; hoc ex eorum qui corporibus medentur, illud autem ex eorum qui curandis animis invigilant, libris decerpens. Itaque legite omnia, si non primi, saltem ultimi, si ita tamen videtur, ne si in eorum manus devenerint qui nihil ipsi facientes, aliorum omnia rodunt; ego quoque utpote senex et deficiens, sicut de Isaac legitur, deficiens, inquam, non gressu sed sensu, illæsus non possim effugere. (Genes. 27.) Denique melius arbitror, si inutilia reperiantur, ut ea amicorum non tam judicio quam consilio ultor ignis absumat, quam ut in ea livor irruens detractorum offendat. (*Rom. 12.*) In pace enim nos Deus vocavit, et providenda sunt bona non solum coram Deo ipso sed etiam coram hominibus, ut si fieri potest, quod ex nobis est cum omnibus pacem habeamus. (*Rom. 14.*) Hoc enim summopere monet Apostolus indicandum, ne ponamus fratri offendiculum vel scandalum. Quamquam si quis ea fraterno amore legerit, etsi nullam ex eis consolationem vel ædificationem accipiat, nihil tamen in eis unde scandalizari vel stomachari velut contra præsumptorem debeat, reperturus est. Et ut de ædificatione taceam, qui amicus est sustinebit, et in hoc si qua est insipientia mea, nec sinistro oculo interpretabitur simplicitatem meam, cum maxime propter causam quam superius dixi, quod scilicet forensium prorsus ignarus operum, et non solum ætate sed insuper infirmitate jam fractus, nisi sub hujus studii patrocinio otiositatem quæ, teste Scriptura, multa mala docuit, nullatenus effugere potuissem. »

NOTÆ IN HUNC PROLOGUM.

X. Hactenus autoris Prologus in quem sequuntur Animadversiones.

[a] *Dominis et fratribus H. Priori, et S. frater Willelmus sabbatum delicatum.* H, id est, Haimoni qui fuit Prior ab (Montis Dei mss.) anno circiter 1144 usque ad annum circiter 1157. Per S vult quidam intelligi Stephanum de quo fit mentio inferius

in eodem prologo, sed videtur alius esse. Nam subdit autor, « laborem meum quotidianum statui dedicare non vobis, (scilicet his duobus quos statim sub initium salutaverat) qui non indigetis, sed fratri Stephano et sociis ejus Fratribus junioribus. » Cum igitur dicat se laborem suum non dedicare iis quos salutaverat, sed fratri Stephano et sociis ejus, satis ostendit fratrem Stephanum alium esse ab eo quem cum Priore H. prius nominaverat. Mabilio asserit in omnibus quos viderit libris manu exaratis sic legi : « Dominis et fratribus H. Priori et H. W. » Sic etiam in suis codicibus legit Tissierus. Sed pro secunda litera H quidam autumant legendum esse N sive Novitiis ; quod tamen non mihi videtur ob tactam rationem de litera S., nisi dicamus per illud verbum « vobis », Priorem tantummodo designari. De Stephano plura suo loco dicemus.

ANNUS 1149

Cui dicatus Tractatus.

Nomen autoris ab ipso epistolæ exordio per literam W se prodit esse Willelmi, non Bernardi. Sed quia nomen decurtatum fuerat per V geminatum, postea in quibusdam exemplaribus indiscreto obelo transfixum fuit et fere obliteratum, et pronomine illo miniatis literis exarato, nomen Bernardi atris (malo omine) suppositum. Quod sane ab indoctis quibusdam quamvis non malevolis profectum fuisse, quis non videat ? Denique in illa salutatione « Dominis et Fratribus », licet satis ampla et honorabili sed secundum S. Bernardi stylum minus solemni et fœcunda, aliquid latere videtur quod alium a Bernardo autorem indigitat. Luculentioribus nempe et longe dignioribus titulis Bernardus Cartusienses cohonestare solet, veluti in epistola undecima ad Guigonem et Fratres Cartusiæ, dum ait : « Inter Patres Reverendissimis, et inter amicos charissimis Guigoni cæterisque sanctis, etc. » Et epistola duodecima : « Amantissimo Domino et Reverendissimo Patri Guigoni et sanctis Fratribus adhærentibus ei, etc. » Nec solum ad Primatem nostrum, sed et ad alios Ordinis Priores scribens iisdem titulis utitur ; quemadmodum ad Priorem Portarum (epistola 250) : « Reverendissimis Patribus ac Dominis amantissimis Ber-

Nomen autoris.

ANNUS 1149

nardo Priori Portarum et sanctis qui cum eo sunt, etc. »

[b] *Ideo ex quo recessi a vobis laborem meum statui dedicare, etc.* Ista merito uni Bernardo tribuenda viderentur, si ea tempestate solus in Monte Dei hospitatus esset; sed alii etiam multi sanctitate vitæ et doctrinæ merito illustres, idem fecerunt, ut supra annotavimus. Igitur secundum prædicta verba et alia sequentia, fatetur autor se dedicare monachis Montis Dei omnia opera quæ ab eorum absentia composuerat, quod nullo modo B. Bernardo competit qui nihil omnino scriptorum Montis Dei monachis dedicavit.

[c] *Deinde vobis etiam arbitratus sum dedicandum aliud opusculum, etc.* [d] *Dividitur in duos libellos, quorum primum Speculum fidei; alterum. . . . Ænigma fidei vocare statui, etc.* Hæc et alia opuscula quæ in eadem Præfatione autor sibi vindicat, nunquam Bernardo sed Guillelmo ascripta sunt. Hi etiam Tractatus, nempe « Epistola ad Fratres de Monte Dei, Speculum fidei et Ænigma fidei » unico compacti volumine in bibliotheca Montis Dei reperti sunt, necnon et apud Signiacensem abbatiam et S. Theodorici cœnobium, ut Tissierus asserit.

[e] *Quem senium et ægritudo a communi labore. . . . . . relaxat.* Et inferius : *Ego quoque utpote senex et deficiens.* Quæ verba noster Dionysius putat favere Bernardo, eo quod ille alibi et maxime super psalmum *Qui habitat,* a communi Fratrum labore se exemptum scribat ex infirmitatis debilitate; sed ibi Bernardus tantum infirmitatem causatur non senium, quod nec causari poterat in hoc Tractatu etiamsi illius fuisset autor. Nam cum scriptus fuerit sub Haymone Priore et sub initiis fundatæ Domus Montis Dei, et ut serius circa an. 1145, tunc Bernardus vix quinquagesimum quintum ætatis annum attigerat; quæ ætas non existimatur senium. Hac etiam ratione probatur idem opus non esse Petro Cellensi, sed nostro Guillelmo adjudicandum. Autor enim ut ex citatis verbis apparet, senem se et deficientem declarat; Petrus vero Cellensis, quando obiit Haymo cui dicatur Tractatus, annos ut plurimum triginta agebat.

In præc. Ord. Cartus. ubi supra.

Mabil. in Præfat. ad Petr. Cellens.

[f] *Sunt præterea et alia opuscula nostra, Tractatus duo, etc.* Horum operum quæ hic enumerantur verus autor agnoscitur Guillelmus, non Bernardus nec Petrus Cellensis.

[g] *Et super Cantica Canticorum usque ad illum locum : Paululum cum pertransissem eos, etc.* Hic revelatur totius erroris fovea in quam lapsi sunt qui pro Bernardo steterunt. Nam sanctissimus Abbas ultra tertium capitulum Cantici Canticorum, in quo prætacta verba comprehenduntur, expositionem suam non extendit. Verum non ea verba attigit, sed noster Guillelmus qui super Cantica Canticorum etiam scripsit, ultra Bernardum progressus est, quamvis eum, præter Sanctos Patres quos citat, in ejusmodi opere quasi ductorem habuerit, manu propria excipiens quæ ille viva voce dictabat dum ambo apud Claramvallem ægrotarent ; prout ipse testatur in Vita beati Abbatis his verbis : « Itaque tunc disseruit mihi de Cantico Canticorum . . . singulisque diebus quæcumque super hoc audiebam, ne mihi effugerent, scripto alligabam, in quantum mihi Deus donabat. »

Guillel. in vit. S. Bernar. lib. 1. c. 12.

[h] *Nam contra Petrum Abailardum, etc.* Et hic locus forsan lapis offensionis extitit, in quem impegerunt qui pro Bernardo pugnarunt. Nam constat ex Vita illius a Gaufrido continuata Abailardum Bernardo infensissimum fuisse adversarium, extatque Bernardi Tractatus ad Innocentium II Pontificem de Abailardi erroribus in synodo Senonensi damnatis. Sed hæc nihil obstant ; quia multi etiam contra illum voce et scriptis egerunt, inter quos est noster Guillelmus qui non solum S. Bernardum contra nascentes Abailardi errores animavit, sed insuper multis Scripturæ locis et Sanctorum Patrum non sine labore collectis, præcipua errorum capitula refutavit ; quæ etiam ad S. Bernardum et Gaufridum Carnotensem episcopum destinavit, habenturque Cisterciensis Bibliothecæ tomo quarto edita.

Gaufridus, lib. 3 c. 5.

[i] *Quemadmodum et in Epistola ad Romanos ;* et inferius : *excerpsi ex libris S. Ambrosii. . . . similiter et ex beati Gregorii, etc.* Ex his verbis probat noster Dionysius hunc Tractatum non esse Bernardi ; « Primo, quia in prologo ejus

Dionys. Cartusien. de præconio Ordin. art. 5.

ANNUS 1149

epistolæ autor ejusdem, excerpsi, inquit, ex libris S. Ambrosii, etc. Bernardus autem non consuevit excerptionibus hujusmodi occupari : alia demum scribit ibidem ex quibus idem videtur, in Epistolam, inquiens, ad Romanos, etc. » Hæc Dionysius qui postea concludit, ut vidimus supra. Et revera ipse Guillelmus in S. Abbatis Vita testatur, quod dicere solebat « se Canonicas Scripturas nullis magis quam ipsarum verbis intelligere, et quidquid in eis divinæ sibi elucebat veritatis aut virtutis, in primæ sibi originis fonte magis quam in decurrentibus expositionum rivis sapere. »

[k] *Melius est ut suppresso nomine nostro inter anonyma relinquatur.* Ista sancto Bernardo quamvis humillimo minus conveniunt, qui sua scripta nunquam occultavit aut absque suo nomine prohibuit publicari. Et licet se difficilem aliquando in scribendo exhiberet, postquam tamen ediderat opus aliquod, illud omnium teri manibus non abnuebat ob proximi ædificationem. Sed hæc sufficiant ad probandum S. Bernardum non fuisse verum hujus Tractatus parentem, huncque honorem deberi Guillelmo S. Theodorici Abbati.

AN AD CARMELITAS SCRIPTUS SIT ILLE TRACTATUS.

XI. Nunc vero videamus an hæc eadem epistola scripta fuerit non ad Fratres Cartusienses de Monte Dei in Galliis, sed ad Carmelitas de Monte Dei Oreb. Primus hujus erroris parens, ut puto, videtur fuisse Philippus Ribotus natione Catalaunus qui juxta Labbeum medio quarto decimo seculo florebat. Hic Ribotus, lib. 2 *de Carmelitarum gestis peculiaribus*, cap. 6, Epistolam de Vita solitaria citat tamquam ad Fratres de monte Carmeli inscriptam.

Labbeus in Biblioth. Chronolog.

Alter, qui vivere desiit anno 1587 ut habet Franciscus Swertius, vocatur Joannes de Aquaveteri, alias Palæonydorus, carmelita Mechliniensis. Hic de montis Carmeli Eremitarum antiquitate scribens agensque de Epistola ad Fratres de Monte Dei, dicit sanctum Bernardum scripsisse illam epistolam ad Fratres de Monte Dei qui est desertum Quarentanæ vicinum Carmelo Heliæ. Sed cum nullis suam hanc tueatur argumentis opinionem, uno verbo respondemus hunc Carmelitam quantumvis doctum ex ignorantia geographiæ pec-

Swertius in Athenis Belgici.

casse, cum forsan nesciret locum etiam esse in Campania Mons Dei dictum. Plures alios edidit tractatus Palæonydorus, inter quos extat sed non impressus, ut putamus, Dialogus inter Carmelitam et Cartusianum. ANNUS 1149

Duobus his scriptoribus citatis nimium credens Alphonsus a Jesu Maria, Carmelitarum Excalceatorum Generalis, in libro hispanico *de Periculis et Reparationibus Perfectionis* anno 1625 edito, sic loquitur : « S. Bernardus in quadam epistola quam scripsit Religiosis de Monte Dei, quæ ita consonat nostræ consuetudini ut affirmare possemus, sicut non defuit qui illud assereret, nostris fuisse compositam, eos cohortatus est. » Hæc ille. Verum non solum Carmelitis (ut ipse vult) sed maxime nobis, aliisque Religiosis omnibus convenientissima est. Pag. 2. decursu 3. §. 13.

Petrus Vastelius carmelita, Sacræ Paginæ in Duacensi Academia Doctor, qui post vel circa annum 1630 librum pro sui Ordinis antiquitate contra hujus temporis æmulos edidit, volens, ut ipse fatetur, ex sancti Bernardi scriptis Ordini suo aliquid patrocinii quærere, multis argumentationibus Tractatum sibi arrogare conatur. Sed quid respondisset dicenti sibi ac probanti tractatum de Vita solitaria ad Fratres de Monte Dei nunquam fuisse a S. Bernardo editum, sed a Guillelmo S. Theodorici abbate. Nam licet probasset illum ad Carmelitas dicatum fuisse, nihil prorsus esset quod suo Ordini de Bernardi patrocinio gratularetur. Præterea Vastelii argumenta levia sunt et per seipsa ruunt. Cum enim contendit per Montem Dei intelligi debere montem Oreb, addit posse tamen fieri Fratres illos ad quos scripsit sanctus Bernardus, ex illo monte Oreb in Occidentem advenisse, et prius locum in quo Cartusia Montis Dei fuit ædificata incoluisse. Nam vult Bernardum in ista epistola Institutum Fratrum de Monte Dei ab Instituto Cartusiensium distinguere, cum dicit « salva per omnia Cartusiæ debita sanctitate » ; sed quis non videat his verbis distingui non Ordinem ab Ordine, sed Domum a Domo, id est Cartusiam Majorem a Montis Dei cartusia. Sed etsi Institutum ab Instituto hic discerneretur, nihil inde suæ

ANNUS 1149

causæ æquum Wastelius potuisset colligere, nisi prius probasset Montem Dei fuisse a Carmelitis possessum ante annum 1136, quo jam fuerat Benedictinorum liberalitate Cartusiensibus traditus, scriptis literis quæ satis indicant nullum ibi antea extitisse monasterium. Nec putamus quempiam posthac Wastelii causam suscepturum, si vera est eorum sententia qui tenent Carmelitas, quorum tamen antiquitatem impugnare non intendimus, ante 14 seculum in Europam translatos non fuisse. « Præterea, inquit Wastelius, addit Bernardus Fratres illos ad quos scribit, sui Ordinis in Gallia primos Fundatores et Patres, quomodo ergo Cartusiani? siquidem Cartusiense Institutum in illa plaga annis 16 inchoatum est ante Cisterciense. » Ad hæc respondemus. Fratres cartusiæ Montis Dei vere dici fundatores et Patres Ordinis in Gallia sive potius in Francia; nam Major Cartusia et aliæ cartusiæ quæ ante Montem Dei fundatæ fuerant, non erant tunc sub ditione Regis Franciæ. Sunt et aliæ Wastelii argumentationes in quibus refutandis non est tempus inutiliter terendum, cum quisque lector quantulumcumque sagax ea facile possit diluere. Sed unum ex Ordine Carmelitarum rectius opinantem proferamus, id est Thomas a Jesu Excalceatorum per Belgium et Germaniam Vicarius generalis, qui in *Expositione in omnes Regulas,* cap. 3. sic ea de re loquitur: « Ædificiorum superfluitatem nobis reprehendit Bernardus in epistola ad Fratres de Monte Dei; si verum est id quod noster Palæonydorus docuit, epistolam illam Divi Bernardi fuisse ad Carmelitas qui tunc in eo Monte degebant, rescriptam; quamvis contrarium verius existimem. Constat enim ex ipso epistolæ contextu, eam ad Cartusienses, quibus tunc familiariter utebatur Bernardus, fuisse missam. Sive ergo nostri Ordinis Fratribus sive aliis quibusvis missa sit, ejus tamen doctrina Religiosis omnibus quadrat. » Hæc ille, qui Wastelio potuit esse amicus.

VISIO TUNDALI CELEBRIS.

XII. Hoc itidem anno contigit visio illa admirabilis Tundali militis, cujus hic idcirco mentionem facimus quod eum quidam inter Cartusienses annumerent. Alii quidem hanc ei

ANNUS 1149

factam revelationem referunt ad annum superiorem, sed in quodam cartusiæ Parci manuscripto annus præsens signatur. Ibi enim sic legitur : « Anno Domini MCXXXXVIIII visa est hæc visio. Duæ sunt Metropoles in Hibernia : Ardinacha septemtrionalium Hibernensium, australium Cassellensis de qua ortus fuit vir quidam Tundalus nomine, nobilis genere, crudelis actione, etc. » Deinde ibidem narratur quomodo ab hora decima in quarta feria usque in eamdem horam in sabbato, id est per trium dierum spatium in extasim raptus, mirabilia ac terribilia vidit; tandemque sibi redditus « omnia sua dispersit pauperibus, se signo Crucis signari præcepit, et pristinam vitam funditus se relicturum vovit. » Ejusdem visionis meminerunt Vincentius Bellovacensis in suo Speculo, et post eum S. Antoninus, Trithemius, noster Dionysius et alii. Cæterum quod spectat ad Instituti Cartusiensis professionem quam Eisengrenius et Possevinus eum fecisse asserunt, certum est ex citato manuscripto priusquam ei hæc visio ostenderetur non fuisse Cartusiensem, imo nec hominem frugi. Post eam vero, an fuerit nostri Ordinis, duo sunt quæ obstant, Crucis nimirum assumptio, quæ erat tessera eorum qui votum ultramarinum faciebant ; deinde nullæ tunc erant in Hibernia cartusiæ, nullæ etiam nisi post viginti annos in Anglia. Potest tamen fieri quod post signum Crucis, habitum quoque Cartusiensem in aliqua alia provincia vel regno sumpserit, quod tamen non audemus asserere, cum Eisengrenius et alii qui eum secuti sunt nullum suæ sententiæ autorem protulerint.

Bohic. in Annal. ms. ad hunc an.

Bellov. lib. 28. c. 88.

S. Ant. 2. p. Hist. tit. 17. cap. 1.

Trithem. in Chron. Hirsaug.

Dionys. Cart. de particul. judicio anim. art. 21.

JESU CHRISTI

ANNUS 1150.

Eugenii PP. III	Ord. Cartus.	S. Antelmi Pr. Cart.
Ann. 6.	Ann. 67.	Ann. 12.

QUIDAM CARTUSIENSES ELECTIONEM NATALIS IN EPISCOP. GRATIANOP. TUENTUR.

Bohic. in Annal. mss. ord. Cartus.

I. ANNUS Redemptoris millesimus centesimus quinquagesimus, Indictione decima tertia, sequitur quo nondum sopita quam in electione Natalis in Gratianopolitanum episcopum ortam nostro in Ordine vidimus discordia, quidam Cartusienses, quibus sui commilitonis fama et honor nimium cordi erant, e monasterio sine licentia egressi, causam illius apud quos spectabat tueri ausi sunt. Rejecta paulo post a Summo Pontifice Natalis electione Domum redeunt, pudore quidem confusi, sed audaciæ suæ non satis pœnitentes; quos ideo S. Antelmus recusavit sine culpæ luitione recipere. At illi Patrem communem adeunt, Eugenium dico Romanum Pontificem, quem noxa noxæ adjecta intercipiunt. « Venerunt ad te, inquit S. Bernardus ad Eugenium hac de re scribens, in vestimentis ovium, in habitu sancto; species decepit te. Quid mirum? et tu homo es. » Quam vero frequenter id Summis Pontificibus accideret, alibi insinuat, in literis ad Innocentium II scriptis: « Quique flagitiosi et contentiosi, de populo sive de Clero aut etiam de monasteriis pulsati, currunt ad vos, redeuntes jactant et gestiunt se obtinuisse tutores quos magis ultores sensisse debuerant »; scribensque ad quosdam S. R. E. Cardinales pro Abbate Latiniacensi contra illius accusatores: « A seculo, inquit, non est auditum, quod monachus rebellis, superbus, ambitiosus, privilegium propriæ

Papam circumveniunt.

Epist. 270.

Epist. 178.

Idem Epist. 231.

libertatis ex Apostolica autoritate meruerit. » Licet quidem omnibus ad sanctam Sedem recurrere ; sed ubi quemcumque sibi imposuisse percipit, zelum et justitiam imitatur Lucii Consulis cujus est præclara illa vox ad Ptolemæum Ægypti Regem : « Si qui ergo pestilentes refugerunt de regione ipsorum ad vos, tradite eos Simoni Principi sacerdotum ut vindicet in eos secundum legem suam. » Cum vero istud nondum factum fuisset in hoc de quo loquimur negotio, sed prævaricatores Apostolica autoritate subreptitie decepta suffulti, non præmissa pœnitentia, nec promissa aut proposita emendatione, Cartusiam denuo fuissent ingressi, S. Bernardus ad Eugenium conqueritur quod in hoc Statuta Ordinis violarentur : « Ab ipsa, inquit, fundatione loci et Ordinis non est auditum, ut quis exiens sine satisfactione reciperetur. Qui male exierunt, pejus reintraverunt addentes prævaricationem. »

ANNUS 1150

1 Machab. 15. 21.

Redeunt impuniti.

Epist. 270.

Vidit hæc S. Antelmus, viderunt et alii Cartusiæ Monachi, legemque zelati Cartusiensem libenter aufugissent, si sine nefas potuissent. Ait enim S. Bernardus de S. Antelmo ad Pontificem : « Exire etiam vult ; non potest videre destructionem Ordinis sui, et jam exiisset, si solus exire potuisset. » In quo vero tantum Ordini Cartusiensi creabatur periculum, ut ejus etiam destructio imminere crederetur ? In uno tantum articulo, ut inde magis eluceret Prioris et totius Conventus Cartusiæ zelus in tuendis observantiarum suarum minimis capitibus. At qualis est iste ? Is nempe, quod nullus exiens e Cartusia sine satisfactione esset recipiendus, juxta Guigonis Consuetudines, cum Sancti Benedicti congruentes Regula in qua habetur : « quod Frater, qui proprio vitio egreditur aut projicitur de monasterio, si reverti voluerit, spondeat prius omnem emendationem vitii pro quo egressus est ; et sic in ultimo gradu recipiatur, ut ex hoc humilitas ejus comprobetur. »

Zelus S. Antelmi in eos.

Ubi supra.

Consuetud. Guigon. cap. 77.

Reg. S. Ben.

II. Cum igitur prævaricatores supradicti, e Romana Curia ad Cartusiam reversi essent ab omni pœnitentia absoluti, Antelmusque, ut eos in suum monasterium reciperet, Apos-

ELIGIT POTIUS ABDICARE QUAM EOS RECIPERE.

ANNUS 1150

tolica premeretur potestate; ne appareret inobediens, prius volebat Prioratus officium abdicare. Quo audito S. Bernardus, ut erat zelans Cartusiensis Ordinis decorem, ad Eugenium egregiam illam validamque scripsit Epistolam, ex qua fragmenta superius citata eruimus, quam integram habes librorum Annalium primo, ubi verus illius sensus exponitur. Hanc vero scriptam fuisse exeunte præsente anno, ex eo colligimus quod in ea fiat mentio Rainaldi Cisterciensis abbatis, qui recens obierat die 16 Decembris. Unde præterea habemus præfatam Cartusiæ perturbationem, hoc etiam quem agimus anno, sedatam fuisse. Porro, an Eugenius Bernardi pulsatus querelis concessam prævaricatoribus absolutionem revocaverit, pro comperto non habemus. Hanc tamen revocasse verisimillimum est, « tum quia Sedes Apostolica, ut docet idem sanctus Abbas, hoc soleat habere præcipuum, ut non pigeat revocare quod a se forte deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum »; tum quod S. Antelmus non statim abdicaverit, juxta verbum ejusdem sancti Bernardi: « et priorabitur iterum, ut confido, qui Prior fuit; ut non glorietur omnis iniquitas. » Ipsum quippe post sedatam tempestatem adhuc præfuisse, ac tandem Prioratum solo quietis amore dimisisse anno sequenti videbimus. Nulla igitur ex tanta commotione secuta est disciplinæ remissio, ut quidam scripserunt, quin potius major ex hujusmodi tentatione, Deo miserante, evenit proventus. Pacatis namque animis pristinus observantiæ studium ita revixit, ut regente Basilio Antelmi successore, « erant in congregatione illa Justorum, teste autore Vitæ S. Hugonis Lincolniensis, viri tam clerici quam laici miræ sanctitatis et gravitatis »; omnesque suum Priorem, quem « communiter Sanctum vocabant, sequebantur per culmina Religionis consummatæ. Nec erat facile, quis ferventior, quis perfectior inter illos censeri potuisset, dignoscere. »

Decreta Apostolica subreptitia revocari laudabile.

Epist. 180.

Epist. 270.

V. tom. 1 harum Annal. pag. 27.

V. plura an. 1155.

BERNARDI PR. PORTARUM INDE DOLOR.

III. Interim acciderat ut sanctus Abbas ad Petrum Cluniacensem, ut jam diximus anno superiori, et ad quosdam suos amicos de præsenti negotio scripsisset; quod ubi co-

gnovit Bernardus Portarum Prior, qui Natalis electi causam ferre ac tueri videbatur, ægre accepit, et literis ad divum Bernardum datis animi sui dolorem aperuit. At Beatus Pater Abbas Clarevallensis, cur hac de re scripserit, æque humiliter ac graviter rationem nostro Bernardo subjecit, eum commonefaciens Fratris Natalis repulsam non debuisse ab eo nec a suis tam moleste ferri, asserensque id sua opera factum non fuisse. ANNUS 1150

« Reverendissimis Patribus et Dominis amantissimis Bernardo Priori Portarum, et sanctis qui cum eo sunt, B. Clarevallensis vocatus, salutem in Domino. Ex quodam Beatitudinis vestræ rescripto, comperi scripsisse me aliquid quod me judicaret commotum, vosque istud non parum metuere. Verum id frustra. Non est quod a puero vestro timendum sit vobis, Reverendissimi Patres, qui vos in veritate diligo ut amicos, et suspicio ut sanctos. Nisi forte non me, sed mihi paterno timuistis affectu, quod motus vobis viderer non ex ratione, aut si ex ratione, forsan plus quam oporteret. Motus, fateor, fui, sed pro vobis, non contra vos, atque id tenuiter satis. Si et hoc temere, sed non temere, confiteor adversum me justitiam meam, et vos remittetis temeritatem peccati mei. Ignoscite mihi, sic sum : zelus Domus vestræ comedit me. Non patior plane, quod in me est, decolorari tantæ specimen sanctitatis ; nam corrumpi posse, absit ut verear. Prorsus autem displicet in pulcherrimo corpore non solum morbus, sed et nœvus. Non plane bonus color, si Sanctorum quispiam anxie ferre abjectionem suam videatur : de qua etiam et non gaudere, et non gloriari minus est a perfecto. Porro in proposito perfectionis apparere imperfectum, nœvus est. Ergo hic color mihi in Fratre Natali displicuit. Quid enim et si castum id fuerit coram Deo ? Nempe oportet providere bona etiam coram hominibus. Sed dicitis : Non ipse graviter tulit, sed nos. Ad idem revertitur. Iterum dico quod sentio. Cur vobis grave fuerit, non video ; nisi quia ipsi grave esse sensistis. Vos judicate an hoc eum decuerit, præsertim in novitate vitæ. Nam ante hac (ut salva ejus pace

Ad eum scribit S. Bern.

Epist. 249.

ANNUS 1150

dixerim) non caruit hac nota; an vero nec culpa, suæ ipsius conscientiæ relinquendum est. Et quid si forte hoc cogitavit Dominus Papa, cum sicut dicitis electioni ejus assentire renuerit? veritus quippe, ut existimo, linguas obtrectatorum, vetuit festinatam novi Eremitæ promotionem, ne, ut dixi, lingua magniloqua dicere posset hunc esse quem semper optaverat Eremi fructum. Verumtamen quicquid Dominus Papa intenderit, sive hoc sive aliud, me ignorasse sciatis illius consilium, ne quis dicat quod meo instinctu id fecerit. Nam quod ad me pertinet, mihi decretum est, ubi opportune possem, non solum non impedire, sed etiam totis viribus et ambabus ut dicitur tradere manibus, ubi de gratia quæ in eo est fructificare Deo valeret. Quis dabit mihi homines literatos et sanctos in ecclesiis Dei præesse Pastores, si non in omnibus, certe in pluribus, certe in aliquibus saltem? Quid enim si juvenis aliqua olim juveniliter egisse memoratur? Vetera transierunt, nova facta sunt omnia. Consepultus est iterum Christo per Eremi baptismum. Ego olim sepulta vitia retractabo? Jam quod abbas Caziacensis, sive Trecensis dure dicuntur scripsisse vobis, omnino cum audivi dure accepi; et cum accepero tempus non dissimulabo, quantum quidem charitas postulabit, et familiaritas quæ mihi pro eorum religiositate ad ipsos est. Deo autem gratias, qui dedit vobis non vinci a malo sed vincere in bono malum, quia non respondistis eis malum pro malo aut maledictum pro maledicto. Porro illas quas ad me adversus præfatos Abbates ante scripseras literas, nec studio nec voluntate mea ad ipsorum notitiam pervenisse sciatis. Et de his satis. Tempus est ut non obliviscar mei. Clamat ad vos monstrosa vita, mea ærumnosa conscientia. Ego enim quædam chimæra mei seculi, nec clericum gero nec laicum. Nam Monachi jamdudum exui conversationem, non habitum. Nolo scribere de me quod vos per alios audisse existimo quid actitem, quid studeam, per quæ discrimina verser in mundo; imo per quæ jacter præcipitia. Si quominus audistis, precor ut inquiratis, et secundum quod audieritis, et consilium im-

pendatis et orationum suffragia. » Hæc Bernardus. Ex quibus habemus cur Eugenius Natalis electionem non confirmaverit; nempe quod ille quædam olim juveniliter egisset in seculo, quæ adhuc positus in vitæ monasticæ novitate non satis expiarat. Unde timendum erat, ne factus Episcopus hominum pateret calumniæ. Eum vero fuisse tunc monachum doctum ac pium ac sacris dignum infulis, aperte indicant hæc sancti Abbatis verba, quibus declarat sibi « decretum fuisse, ubi opportune posset, eum quasi ambabus manibus trahere ad Episcopatum. »

ANNUS 1150

Reprobata igitur a Summo Pontifice Natalis electione, Othmarus monachus quoque Cartusiensis ex Cassenaticorum familia ejus in locum suffectus est, qui et ipse, vel paulo post abdicavit vel defunctus est, ut anno sequenti dicemus. Eum vero ex canonico prius factum fuisse monachum Cartusiensem conjicimus ex quodam instrumento quod alibi dedimus.

V. an. 1135.

HAYMO PRIOR MONT. DEI MORITUR, VEL ABDICAT.

IV. Hoc anno Haymo professus Majoris Cartusiæ, Prior vero Domus Montis Dei secundus, quam ab annis sex prospere gubernarat, vel obiit vel Prioratum abdicavit. Sub ejus regimine observantia regularis feliciter incessit viam Domini, quam multi præclari viri ingressi sunt: inter quos non minimum locum obtinere meruit Stephanus antea monachus Cellensis Ordinis sancti Benedicti, cujus occasione ad Haymonem et ad ipsum Stephanum, celebrem illum tractatum de Vita solitaria ad Fratres de Monte Dei scripsit Beatus abbas Guillelmus a sancto Theodorico tunc Signiacensis monachus, ut anno præcedenti probavimus. Haymo a quibusdam creditur usque regiminis Jancelini tempora in Cartusia vixisse; et eum esse qui morienti sancto Antelmo Bellicensi episcopo adfuit: sed hunc fuisse fratrem quemdam ejusdem nominis Conversum verisimilius est, ut suo dicemus loco. Haymoni successit in Montis Dei regimine Gervasius Majoris Cartusiæ professus. Quem ideo conjicimus eum esse, cujus ad aliam Ordinis Domum tunc translati gratia, Guigo Cartusiæ Prior Scalam Claustralium composuit; de quo Tractatu alibi diximus. Ad eum extant plures Petri Cellensis epistolæ. Cumque

Gervasius successit.

ANNUS 1150

hic Abbas circa hoc tempus ex abbatia Trecensi ad Cellensem fuisset translatus, paulo post Gervasium invisit, reduxque, ad eum aliosque Montis Dei Monachos scripsit, significans quantum gaudii ex eorum conversatione percepisset. Placet hic aliquid ex ejus epistola exscribere ; quandoquidem ex ea elicere possumus qualis fuerit Gervasius, quam maxime suavis in sermone :

Quam grata Petro Cellensi ejus conversatio.

« Dominis et Patribus suis de Monte Dei, Frater Petrus Cellensis, dulcedinem gratiæ quam repromisit Deus diligentibus se. Exultat spiritus meus in Deo salutari meo, tum quia videre et audire vos vel semel merui, tum quia familiaritatis gratiam, gratia superna largiente, inveni. Accedit hinc beatitudini meæ dulce ad invicem commercium literarum, unde et amaritudinibus meis mitigativum paratur electuarium, et inquietudini sopitivum medicamentum, et hebetudini non mediocre æruginamentum. Denique quoties formam et vultum inspicio sermonum vestrorum, magna virtute evado veneniferos rugientium curarum morsus, inundationes contempero influentium occupationum, assultus reprimo internarum et veternarum inimicitiarum. Placet sensus profunditas, dictorum veritas, morum informatio, errorum redargutio, amputatio vanitatum, condemnatio ambitionum. Plus medullæ farinæ, minus corticis et furfuris habent. Facile ex his perpendi potest quid in se de se anima religiosa sentiat ; quid supra se de Creatore suo obstupescat ; quid infra se de peregrinatione mundi et tentatione carnis pertimescat. Plane ad seipsum conversa conturbatur, ad factorem suum suspensa dilatatur, ad corpus reversa confunditur. » Et postea : « Cujusmodi lac, Fratres, esuriatis, hæsito. . . . . Utinam mihi peccatori indulgeatur lac veniæ ; vobis jam expiatis, lac gratiæ ; tandem expiatis, lac gloriæ. » Et circa finem : « Ecce lac, imo butyrum : ecce mel, vel potius favum mellis, offert servus vester mensæ Dominorum suorum. Ad quid iterum vobis vas aquæ cum amphora vini, o Domini et amici carissimi, puteus altus est.... Fossoria habetis ; venas aquarum viventium possidetis ; puteos quos fodit Abraham et filii ejus,

ANNUS 1150

Isaac et pueri ejus, habetis; et adhuc aquam de cisterna quæ est in Bethleem suspiratis. . . . . Accedite vos qui estis de Domo Dei et de Monte Dei, et bibite et inebriamini carissimi. » Hæc ille.

ARDUINUS PATER S. ANTELMI MORITUR.

V. Hoc etiam anno vel circiter mortuus est Arduinus inter Allobrogos olim nobilissimus, ac Dominus castri de Chygninis, pater S. Antelmi, qui cum tribus filiis magna virtute præditis, contemptis seculi vanitatibus secutus est in sancta Religione Salvatorem ad Dei famulatum, piis sancti filii Antelmi adhortationibus et exemplis attractus. Nomina filiorum præter nostrum Antelmum hactenus latuerunt, quorum unus et fratres et Patrem præcesserat, alterum vero ipse Antelmus cum patre ad Christum traxit; an ad Ordinem Cartusiensem vel ad aliquem alium non habet autor Vitæ illius, qui de illis loquens: « Felix Pater, inquit, qui tribus filiis magnæ virtutis viris præcedentibus, ipse relicto mundo secutus est Christum. Felix qui tales meruit habere filios, cum quibus et a Domino coronari promeruit. » Sunt qui eum faciunt Majoris Cartusiæ Monachum; sed cum ejus obitus in Calendario non reperiatur, verisimilius censemus eum (si tamen Cartusiensis factus est) habitum monasticum in statu sive Monachi sive Conversi in Portarum Domo, vel in aliqua alia Sabaudiæ ditionis induisse. Quidam etiam alii ex eadem familia nostrum Ordinem professi sunt: ex quibus reperio Ugonem de Chygninis anno 1205, omnium Domus Alionis Monachorum antiquiorem extitisse; et Ogerium Conversum ibidem anno 1255 viventem. Plures etiam ejusdem generis inter amicos et benefactores dictæ Domus suo loco annumerabimus.

Vita Ms. sancti Antelmi.

Ex Cartulario Domus Alionis.

ITEM ANDREAS PRIOR CALABRIÆ.

VI. Hoc pariter anno ad meliorem vitam migravit Magister Andreas, Prior Eremitarum Calabriæ septimus post S. Brunonem; « vir, inquit noster Constantius, nobilis et egregius ac multæ præeminentiæ et dignitatis »; cujus obitus in Calendario repertus est ad diem 29 Julii. Quo mortuo magisterium Eremi suscepit Nicolaus, qui bona temporalia multum auxit, ut ex pluribus privilegiis et documentis ejus prioratus tempore

Nicolaus succedit.

ANNUS 1150 obtentis et confectis probatur. Extant inter cætera, Tabulæ donationis a Guillelmo Domino de Arenis datæ anno ab Incarnatione Domini 1156, Indictione quinta, pridie Calendas Januarii, sub quarum finem sic legitur : « Hæc dedi, ego Guillelmus de Arenis, prædictæ ecclesiæ et Fratribus ibidem Deo servientibus, tempore Magistri Nicolai ejusdem loci Rectoris. » Anno quoque 1164 quoddam privilegium obtinuit a Rege Siciliæ, et paulo post cessit vel decessit.

JESU CHRISTI

ANNUS 1151.

Eugenii PP. III	Ord. Cartus.	Basilii Pr. Cart.
Ann. 7.	Ann. 68.	Ann. 1.

I. MILLESIMUS centesimus quinquagesimus primus Redemptoris annus sequitur, Indictione decima quarta; quo ineunte S. Antelmus Domum Repausatorii recepit et in Ordinem aggregavit, missis ad eam incolendam aliquot Monachis et Conversis, duce et præeunte sancto viro Joanne cognomine Hispano, olim Mont-Rivensis cartusiæ Priore et apud Matrem Cartusiam tunc cum aliquot sociis exulante. Hæc Domus in Sabaudia sita est, et statu Fossiniaci, Genevensis diœcesis, in præruptis montibus, in loco aspero qui antea *Beol* vocabatur, inter oppida *Taloyre* et *Cluse,* ab utroque distans duabus circiter leucis. Cujus loci situm et naturam autor Vitæ præfati Joannis Hispani sic describit: « Iste locus, quem Vir venerabilis ad ædificandum adiit, vallis est quædam profunda inter montana sita. Et ut hoc dicam, sicut congruit Ordini, valde hyemosa, ab omni ligno pomifero funditus aliena, neque satis abundanter frugifera: in cujus medio juxta aquarum fluenta planities jacet permodica, in qua domorum sedent ædificia; in circuitu vero magnis altissimarum montibus rupium eminentibus, in quibus pulcherrima abietum aliarumque sylvestrium nemora sunt consita arborum, in quarum rupium summitatibus optima sunt undique pascua ad alenda animalia. » Hic locus nomen Repausatorii ab ipsismet accepit Cartusiensibus, qui primi cum B. Viro eum incolere cœpe-

DOMUS REPAUSATORII FUNDATUR.

B. Joan. Hispanus primus Prior.

Vita ms. B. Joan. Hispani.

Loci descriptio.

ANNUS 1151

rant hoc anno, sibi oblatum ab Aymone de Fulciniaco fundatore, qui donationem suam sequenti firmavit diplomate :

Literæ fundationis.

« In nomine Domini Jesu Christi. Notum sit omnibus generationibus præsentibus et futuris, quod ego Aymo de Fulciniaco multum desiderium et promptam jam a multo tempore habens voluntatem, quatenus pro animæ meæ salute omnisque meæ posteritatis et successionis, Domum, si fieri potest, Cartusiensis Ordinis in meo ædificarem et construerem territorio ; tandem a Deo exauditus, cujus benignissima auris post multos labores quos pro hac re obtinenda sustinui, et preces quas erga Dominos et Patres Cartusienses per me et amicos obtuli, ad optatum hujus rei effectum perveni. Unde divina gratia administrante, supradicti Domini Cartusienses meæ petitioni assensum præbentes, ad hunc locum possidendum et inhabitandum, ut ipsa a me diu desiderata et quæsita Domus in meo ædificaretur patrimonio, Joannem quemdam venerabilem virum et religiosum pro Priore, cum quibusdam Fratribus in eadem Religione viris præclarissimis quorum ista sunt nomina : Petrus Monachus, Robertus, Pontius, Girardus, Willelmus, alius Petrus et Michael Conversi duxerunt : qui ad locum pervenientes, qui antea *Beol* vocabatur, et eum aptum et honestum secundum Ordinem et Propositum Cartusiense invenientes, ei nomen aliud, videlicet Repausatorium imposuerunt. Quem locum sicut diu optaveram devoto affectu et effectu secundum eorum consilium et voluntatem, et eorum omnium qui ad eos missi fuerant conciliandos, illis in perpetuum tradidi possidendum ; et ex omni parte, ut melius potui et ipsi intellexerunt et petierunt, liberum ab omni conditione et exactione servili deinceps remotum et alienum, et juxta bonos mores et Consuetudines Cartusiensium omni firmitate et stabilitate fundatum et sancitum. Quas Consuetudines, ne ab aliquo meæ posteritatis et successionis corrumpantur per aliquam ignorantiam et præsumptionem, quod omnibus modis prohibeo et defendo, volo ad memoriam Posterorum, quantum impræsentiarum audivi et didici a supradictis Fratribus, eas

scriptas et sigillatim denotatas transmittere; et ut illas diligentissime et irrefragabiliter custodire pro animæ meæ et eorum salute studeant, mando et adjuro per Dominum Jesum, qui Judex venturus est vivorum et mortuorum, ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis et reddituri sunt de factis propriis rationem. Habent enim terminos sequentes positos et determinatos extra quos nihil possessionis accipiant..... Infra quos nulla præda a me nec ab aliquo unquam debet transduci. Quod si aliqua arrogantia vel ignorantia patratum audaciter fuerit, præda ad integrum reddatur et restituatur, et digna satisfactione emendetur: nunquam ibi aves capi, nec aliqua venatio ab aliquo deforis debet fieri; per viam qua quis ingreditur illuc, per eam egrediatur; arma bellica nunquam intra terminos debent portari, unumquemque propositum veniendi habentem ad locum hunc, ex quo inceperit iter eundi donec sit reversus, securum esse; omnes utique quicumque ibi ad refugium confugerint, pro quocumque reatu vel metu, salvos et tutos quanto tempore ibi manserint, esse et permanere. Universos etiam ex omni mea potestate, tam clericos quam laicos qui ibi sese ad Religionis habitum transferre et ad Dei servitium donare voluerint, liberos a me et a posteris meis fore, et de sua substantia secundum sui Ordinis Instituta libere agere habent; etiam extra terminos quos incolendos inhabitant, alios terminos pascuales ad alenda vel hyemanda pecora.... Et ne circumveniantur et infestentur minis, et constringantur deinceps a nullis, stabilio, laudo, et dono, ut nulla unquam Religionis Domus ædificetur a nullis personis per cunctam meam ditionem et subjectionem. Homines operarios qui ad ipsorum opera venerint, similiter stabilio, quamdiu apud ipsos operabuntur, ut nequaquam exire cogantur et ad mea ire; et omne etiam commendatum seu depositum, quod ibi ad custodiam commendatum fuerit ab aliquo, secundum voluntatem et dispensationem commendatoris, et illorum fidele propositum et institutum ordinetur, sive in morte sit ille commendator sive in vita. Mercenarios etiam

ANNUS 1151

S. Athanas. in Symbolo.

ANNUS 1151

ipsorum cum omni re sua quanto tempore cum eis obsequendo manserint, in universa mea potestate salvos et securos esse. Si quis furtum intra terminos eorum, vel de illorum re vel aliorum perpetraverit, sive per vim aliquid inde rapuerit, sive hominem ibi pro aliquibus inimicitiis capere præsumpserit, uterque videlicet fur et raptor, quando inventi fuerint et deprehensi, tali pœna mulctentur ut et ipsi corrigantur, et cæteri timeant ne ulterius talia agere præsumant. Hanc libertatem illis et omnibus ipsorum successoribus donavi, et donando firmavi, ex hoc nunc et usque in seculum, ne ab aliquo posterorum meorum de tali re molestentur ; et contra bonos suos mores et regulares Consuetudines agere et deviare, quod omnino prohibeo et defendo, cogantur. Et ut Deus omnipotens, pro cujus amore hoc decrevi et deliberavi, animam meam et omnis meæ posteritatis et successionis, secundum suam gratuitam gratiam et misericordiam, liberas et expertes reddat, eruat a pœna et suppliciis æternis. De hoc testes sunt Joannes ejusdem Domus Prior cum suis Fratribus, qui hoc donum a me acceperunt. Othmarus et Borno Conversi Cartusiæ. Ardutius Gebennensis episcopus frater meus, et Rodulphus Alamandi similiter frater meus. Ungrinus Conversus Portarum, Petrus de Bueges, Pernetinus de Tosimo, Pontius, Manfredus, Sanso de Melsinge, Petrus Gaudinus de Marnax, Giroldus de Vosirem. Actum XI Kal. Februarii, Domno Nantelmo Priore Domus Cartusiæ sedente, anno MCLI. »

ANNUS OLIM IN SABAUDIA A JANUAR. INCHOATUS.

II. Annus in his literis designatus, juxta supputationem sumendus est hodiernam, quam his jam temporibus Sabaudi et quarumdam vicinarum regionum populi sæpius sequebantur, etiamsi annum ab Incarnatione Domini inscriberent, ut ex Domorum nostrarum in Sabaudiæ ditione sitarum cartulariis discimus, et aperte constat ex probationibus ad Historiam Sabaudicam a Guichenone adjectis. Ibi enim extant instrumenta data « an. MCXXXVII, V Idus Januarii, Luna XIII, Indictione XV. Et Secusiæ in monasterio S. Justi, in præsentia D. Eugenii Papæ, anno Dom. Incarn. MCXXXXVII, VIII

Vid. an. 1142.

Probat Hist. Sab. pag. 33. 37. 41. 50 et alibi passim.

Martii, Indict. X. » Aliud datum « anno ab Incarnatione Domini MCLI, Indictione XIIII, tertio Nonas Januarii. Et anno MCCVIIII, Indictione XII, die quinta Februarii, feria V. » Quæ quidem omnia et multa alia, quæ ibi passim occurrunt, optime nostro calculo conveniunt.

ANNUS 1151

Porro B. Joannem Hispanum cum sociis tam Monachis quam Conversis, quos secum e Monte Rivo persecutionem fugiens Cartusiam adduxerat, ad nostrum Institutum apud Repausatorium transplantandum, a sancto Antelmo missum fuisse patet ex ejus Vita, ex qua præterea discimus quosdam e nostris monachis eodem in loco jam olim habitasse, sed nascentibus impedimentis et difficultatibus inde recessisse : ac propterea dolentem pium fundatorem iteratis hoc anno precibus novos ab Antelmo inquilinos impetrasse. Hæc omnia sic recenset laudatus Vitæ B. Joannis autor post descriptam B. Joannis fugam. « Postmodum autem, inquit, dum præfatus Prior* et ejus Consiliarii inter se tractare cœpissent quid illi* et sociis facere possent, repente Aymo de Fulciniaco vir divitiis pollens et gloria, legatos Cartusiam misit, optans atque humiliter deprecans quatenus ad eremum quamdam. . . . inhabitandam cultores quosdam eorum Ordinis transmitterent : eo quod ipsa antiquitus ab eodem aliis tradita fuerat hujus Religionis habitatoribus, sed parumper ab ipsis possessa vacua remanserat. Cujus auditis precibus, cognoscentes quod consilio Dei res ipsa ageretur, petitionibus ejus assensum præbuerunt, et memoratis hominibus plurima vestium, nummorum, librorumque beneficia impertiverunt ad incolendum hoc desertum. » Quos igitur Fundator in suo diplomate nominat « viros præclarissimos » : nempe Petrum Monachum, Robertum, Pontium, Girardum, Willelmum, alium Petrum et Michaelem Conversos ; hos, inquam, e Monte Rivo profectos fuisse probabile est. Denique ex eodem fundationis diplomate apparet quam difficile antiqui Patres novas admitterent fundationes ; Aymo enim multos labores multasque preces adhibuisse priusquam monachi sibi concederentur, his profitetur verbis : « Multum desiderium jam a

Primi Repausatorii incolæ.

Vita ms. B. Joan. Hisp.

* *S. Antelmus.*

* *Joanni.*

ANNUS 1151

multo tempore habens quatenus domum Cartusiensis Ordinis in meo ædificarem territorio, tandem a Deo exauditus post multos labores quos pro hac re obtinenda sustinui, et preces quas erga Dominos et Patres Cartusienses per me et amicos obtuli, ad optatum hujus rei effectum perveni. » Non igitur novæ sunt fundationes a nobis quærendæ, non urgendæ, sed potius ab ipsis Fundatoribus ad eas accipiendas adigendi sumus; ut sæpe factum his in Annalibus animadvertemus.

FUNDATORIS SUCCESSORES.

III. Aymo Fundator patrem habuit Rodulphum dominum de Fulciniaco, avum vero Guillelmum cujus soror, Ita nomine, nupsit Aymoni II comiti Genevensi, qui habuit nepotem Guillelmum cartusiæ Pomerii Fundatorem. Ardutius de Fociniaco, episcopus Genevæ, Aymonis Fundatoris frater, magnus fuit Domorum nostri Ordinis maxime Angionis et Pomerii benefactor. Plures etiam filios habuit idem Aymo erga Ordinem bene affectos : Rodulphum, qui secutus patris vestigia multa bona contulit huic Domui; (hunc non novit Guicheno in *Fociniaca Genealogia,* sed de eo fit mentio in quibusdam literis, quas dabimus anno 1185, in quibus dicitur frater Henrici de Fulciniaco de quo mox dicemus, quem forsan Guicheno confudit cum Rodulpho ejusdem Henrici patruo, a quo Domini de Valbonne et de Aubonne); Henricum, qui postquam aliquas molestias Nostris intulerat, mutato animo de toto Ordine bene meritus est; Guillelmum Dominum de Fulciniaco, qui patris et fratrum erga nos beneficia confirmavit, cujus filia et hæres Margarita nupsit Thomæ Sabaudiæ comiti Domus Lozæ fundatori; et Aymonem condominum de Fulciniaco, qui duos filios reliquit hæredes; Beatricem uxorem Stephani II Domini de Thoire et de Villars cartusiæ Montis Merulæ benefactoris, fratris Pontii episcopi Matisconensis, Cartusiensis et Prioris Sellionis; et Agnetem nuptam Petro Sabaudiæ comiti, hujus Domus et totius Ordinis fautori, matrem vero Beatricis fundatricis Monialium Cartusiensium de Melano.

Vid. infra ad an. 1185.

Benefactores Repausatorii.

Inter alios Benefactores Repausatorii hi tantum annumerantur : Petrus episcopus Gratianopolitanus, ex Priore hujus

Domus creatus ; Joannes de Francia monachus, qui paulo ante professionem omnia bona sua largitus est, ea conditione ut Prior unam casulam ad valorem centum florenorum ad usum hujus ecclesiæ compararet, et unam crucem lapideam in medio cœmeterii erigi curaret, scriptis tabulis anno 1482 22 Junii. Hugonetus de Croso [a], magnus benefactor Repausatorii, denunciatur mortuus in quadam Charta Capituli generalis ; et in alia, inter obitus, legitur Joannes Bolo [b], benefactor.

ANNUS 1151

[a] Ex Ch. 1448.

[b] Ex Ch. 1571.

S. ANTELM. ABDICAT.

IV. Aliquanto post fundatam Repausatorii Eremum tempore, S. Antelmus, cum pacem quam anno superiori turbatam vidimus, sua et amicorum industria Ordini procurasset dimisso Prioratu ad caræ solitudinis portum se recepit, solo, quietis amore, ut indicant ejus Acta, quorum autor coævus, post ea quæ ante novem annos exscripsimus, veram ejus abdicationis causam his verbis affert :

V. sup. 1142.

Vita ms. S. Antelmi.

« Sed cum talis esset, cellæ desiderans secretum, parum enim sibi agere videbatur multumque perdidisse, quod multis occupatus, spiritualibus pro velle laborare non poterat. Cum igitur omni diligentia strenue ac religiose Cartusiæ Domum gubernasset annis duodecim, substituto sibi Priore, subesse malens quam præesse, obedire quam imperare, cellæ, cujus flagrabat desiderio, continuam repetiit habitationem gratumque solatium. Gaudebat utique degere solitarius. Sed cum intenderent in eum Prior et tota Domus, sæpius ad consilium vocatus, opem suam non negabat ; sed et inhonesta arguere et inordinata corrigere non destitit unquam. Totius Ordinis ipse corrector, custos, defensor extitit quamdiu vixit, et quasi Pater. Hic solus nisi esset, Cartusiæ Ordo tanto non stetisset vigore ; sed, sicut de cæteris videmus, laxo fluxisset sinu. Sed et in multis aliis locis sanctis ad emendationem et Religionis augmentum ejus profuit exhortatio, ac speculum vitæ, tam plurimis clericis, quam laicis etiam. » Eadem fere habet Cartusiæ Chronici Continuator qui de eo et ejus successore sic loquitur : « Cum duodecim annos strenue ac religiose dictam Domum gubernasset, substituto sibi magnæ sanctitatis et virtutis viro, Domno Basilio monacho

Basilium sibi substituit.

ANNUS
1151

Chronic. ms. cap. 7 et 8.

dictæ Domus, cum Maria ad pedes Jesu totus contemplationi deditus, morabatur in cella. . . . Anno itaque Domini MCLI in Prioratu Cartusiæ eidem S. Antelmo successit, ut præmissum est, sanctæ et recolendæ memoriæ Domnus Basilius, monachus dictæ Domus, quem olim Cluniacensium Ordinem professum fuisse accipimus ex quibusdam literis Petri Venerabilis ad eum, et illius ad Petrum vicissim conscriptis. »

OTHMARUS EP. GRATIANOP. MORITUR VEL CEDIT.

Gaufredus succedit.

Ex codice cl. V. Nic. Chorier.

V. Eodem tempore Othmarus, quem anno superiori in Natalis locum, Gratianopolitano episcopatui suffectum diximus, vel mortuus est, vel cathedram alteri Cartusiensi monacho cessit, Gaufredo videlicet quem jam hoc anno sedisse discimus ex tertio ejusdem Ecclesiæ Cartulario, in cujus epitome (quam nobis humanissime suppeditavit Chorerus) hæc legimus: « Declaratio per Bochi et Elizabetam illius uxorem coram Gaufredo episcopo Gratianopolitano, de juribus quæ contra ecclesiam de Pullinaico prætendebant, facta anno Incarnationis Dominicæ MCLI. » Eum adhuc sedisse anno 1155 ibidem ostendemus. Unde videtur error apud Sammarthanos irrepsisse, apud quos in Lugdunensium Præsulum catalogo, sub Heraclio quemdam Stephanum Gratianopolitanæ Ecclesiæ præfuisse legimus.

« Anno vero 1155 arbiter fuit (Heraclius) litigii comitis Genevensis cum Episcopo compositi apud S. Sigismundum, autoritate Hadriani IV Papæ, testibus Stephano Viennensi, Petro Tarentasiensi, Stephano Gratianopolitano et Guillelmo Bellicensi Præsulibus. » Forsan hujus compositionis Charta priorem tantum nominis episcopi Gratianopolitani literam habebat G, quæ in hujusmodi instrumentis, ut norunt periti, ad similitudinem literæ S proxime accedit; vel etiam Chartæ scriba Stephanum pro Gaufredo denuo scribere potuit, allucinatus Stephani Viennensis nomine paulo ante exarato.

ODO S. REMIGII ABBAS MONTIS DEI FUNDATOR MORITUR.

VI. Hoc anno Odo S. Remigii Remensis abbas et cartusiæ Montis Dei Fundator, sanctitatis fama commendabilis, vitam cum morte feliciter commutavit. Ejus obitus in S. Remigii et Montis Dei necrologiis ad undecimum Junii notatur ; et in

veteri præfatæ cartusiæ Cartulario, gloriosa de illo mentio habetur his verbis: « Odo hujus nostræ Domus fundator, consummator, et incredibilis amator fuit, sicut et totius Ordinis Cartusiensis. Ipse etiam, juvante Hugone Priore qui ei in abbatia successit et huc primum adduxit, terras acquisivit, ecclesiam, ædes, cellas superiores et inferiores incredibili fervore incepit, et consummavit. In ore ejus nihil post Christum sapuit, nisi Mons Dei ; cor ejus nihil sollicitabat, nihil lætificabat ejus mentem et animum, nisi Domus nostræ laus, honor, maxime vero et summopere Religionis perfectio. » Odonem coævi Autores virum nominant valde venerabilem, prudentissimum, beatum, ac vitæ cœnobiticæ in suis Abbatiis instauratorem. Hic, transactis apud Mauriniacense monasterium in omni pietate et doctrina juvenilibus annis, ad instantiam Willelmi de Campellis Catalaunensis episcopi, a Conone Apostolicæ Sedis Legato in abbatem ordinatus fuit cœnobii S. Crispini Suessionensis, in quo tunc pessum ierat regularis disciplina, quam ille religiosa sua administratione resarcivit, ut legitur in Vita S. Godefridi Ambianensis : « Odo abbas venerabilis, inquit autor, totius honestatis et Religionis præcipuus cultor, qui illud monasterium instauravit et disciplina monastica illustravit. » Hinc S. Godefridus in eadem Abbatia, et sæpius hospitari et denique corporis sarcinam deponere voluit, et propriis nostri Odonis manibus tumulari. Autor quoque Moriniacensis, alias erga Odonem non ita bene affectus, eum nihilominus laudat, et inter honestissimos sui temporis viros annumerat, atque fatetur eum laudabiliter S. Crispini ecclesiam rexisse : « Convocatis, inquit, ab Abbate apud Pissiacum, tunc temporis honestissimis atque famosissimis personis, Sugerio abbate S. Dionysii et Odone S. Remigii Remensis abbate, qui noster professus erat, et de ecclesia beatorum Martyrum sanctorum Crispini et Crispiniani, quam optime rexerat, ad illam celsiorem (S. Remigii) ecclesiam per Cononem Legatum Romanæ Ecclesiæ translatus fuerat. » Gaudentibus omnibus de tam prospera electione, solus reluctabatur Odo ; coactus

ANNUS 1151

Sammarth. in Abbat. S. Remig. Rem.

Ejus elogium.

V. sup. an. 1118.

Tom.4.Scriptor. Galliæ.

ANNUS 1151

enim, ut legitur in eadem S. Godefridi Vita, « suscepit regendum monasterium S. Remigii quod apud Remos est, statimque susceptos a B. Lamberto S. Bertini abbate monachos, in suum cœnobium, » restaurandæ disciplinæ gratia, posuit, ut ab Herimanno S. Martini Tornacensis abbate discimus. Deinde ad « Magnam Cartusiam (pergit Vitæ S. Godefridi autor) certas ob causas se contulit, et illic aliquot diebus egit sanctissime apud Fratres. » Antequam inde recederet, si quibusdam Monumentis in Abbatia S. Remigii repertis fides est habenda, dicitur in qualemcumque exhibitæ sibi hospitalitatis gratiam, dedisse eidem Domui annuos quosdam reditus in vico quodam sito ad radices montis Cartusiæ, ad vestes conficiendas cunctis degentibus ibidem Monachis, eosque assignasse perpetuo solvendos quotannis in vigilia Omnium Sanctorum. Hæc tamen Odonis munificentia ipsis Cartusiæ Patribus hactenus ignota est, qui cum soleant diebus Dominicis preces fundere pro Humberto ultimo Delphino et postea Remorum Archipræsule, a quo reditus pro pelliciis et aliis vestibus ad usum omnium personarum in Cartusia degentium fundati sunt, nullam tamen Odonis mentionem faciunt. Illum etiam inter suæ Domus benefactores recensent cartusiæ Vallis S. Petri monachi.

Heriman. de restaurat. abbat. S. Martini Tornac.

Ex mss. cartus. Montis Dei.

HUGO ODONIS SUCCESSOR.

VII. Mortuo Odoni successit Hugo tunc ejusdem abbatiæ Prior claustralis, quem vidimus monachos e Cartusiæ Domo ad Montem Dei adduxisse. Ejus electionem approbavit Eugenius Papa, qui cum triennio ante in Gallias venisset Remisque ubi Concilium celebraverat excedens, Treviros per Delberonem ejusdem urbis archiepiscopum evocatus pergeret, Attiniacum primo, deinde ad Montem Dei divertit, S. Bernardo et eodem Odone comitantibus et deducentibus. Ex quo tempore tantum in Nostros affectum concepit, ut audita Fundatoris morte, præfato Hugoni ut vestigiis ejus in fovendo Monte Dei insisteret, paulo post mandaverit, prout fidem facit diploma super hoc datum anno sequenti, quod ex abbatiæ S. Remigii Tabulario nostri habuere, estque sequentis tenoris :

ANNUS
1151

Ad eum scribit Eugenius in gratiam Montis Dei.

« Eugenius Episcopus, servus servorum Dei. Dilectis filiis Hugoni abbati et monachis S. Remigii Remensis Salutem et Apostolicam Benedictionem. Venerandæ memoriæ Odo abbas vester religiosos Fratres Montis Dei quanta charitate dilexerit, et erga eos pietatis opera curaverit exercere, nec a vestra credimus memoria excidisse, nec nobis etiam extat incognitum. Unde si, sicut tanti viri filii estis in nomine, affectu quoque probare vultis et opere, bonis moribus et conversationi ejus diligentius adhærete; atque huic præcipue tam sancto ac laudabili operi toto studio charitatis insistite. Dilectionem itaque vestram rogamus attentius et parentis affectu monemus quatenus prædictos filios vestros, pro amore Illius qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum, pro beati Petri et nostra reverentia toto pectore diligatis; et quoniam quanto magis vitam arduam elegerunt, tanto minus secularibus negotiis implicantur et necessitatibus pluribus sunt expositi, taliter subventioni eorum intendite, taliter eis viscera misericordiæ aperite, taliter eis optata charitatis solatia ministrate, ut et Nos dilectionem vestram commendare de piarum rerum eminentia debeamus, et omnibus qui cognoverint quanta in pectoribus vestris rutilet, argumentis vivacis experientiæ præbeatis. De cætero vobis, filii carissimi, ad vitæ patriam sub Prælati custodia festinantibus, per Apostolica scripta mandamus quatenus supradicto filio nostro Hugoni, quem vobis hoc tempore abbatem voluit divina clementia ordinari, sicut Patri et animarum vestrarum Rectori honorem et reverentiam humiliter impendatis, ac salubribus monitis, et præceptionibus ejus propositæ obedientiæ colla subdatis, ut et ipse per suam sollicitudinem susceptum Officium utiliter valeat Domino dante tractare, et vos per obedientiæ vestræ sollicitudinem, cum eodem possitis ad gaudia cœlestis regni pertingere. Ut autem melius valeatis quæ vobis agenda fuerint imminere, venerabilibus Fratribus nostris S. Remensi Archiepiscopo, et Trecensi Episcopo scripta nostra pro vestra subventione transmisimus, et de cætero utilitatibus vestris Domino autore curabimus attento

ANNUS 1151

WITERIUS COMES REGISTEN. BENEFACTOR MONT. DEI.

studio providere. Datum Signiæ, 12 Calend. Februarii. »

VIII. Circa hæc tempora Witerius, Registensis comes, erga Montem Dei beneficum se præbuit, dans quemdam servum suum, juxta morem his temporibus receptum, cujus donationis exemplar, tum in memoriam accepti beneficii, tum maxime in studiosorum gratiam, ob illius antiquitatem hic subjiciendum duximus :

Ex Archiv. Montis Dei.

« Gervasio Dei gratia venerabili Priori, cæterisque Fratribus Montis Dei præsentibus et futuris, Witerius Dei patientia Registensis comes cum uxore filiis ac nepotibus, salutem ac pacem bonam. Quam devoti circa locum vestrum fuimus, ex eo tempore quo cœpistis habitare inter nos, et de pace vestra et rerum vestrarum solliciti, ipsi scierunt qui ante vos inibi Deo servierunt, tempore videlicet bonæ memoriæ Domni Odonis Abbatis S. Remigii, necnon et tempore Domni Gaufredi atque Domini Haymonis Priorum illius loci cui nunc autore Deo præsidetis. Speramus etiam quia diebus vestris nihil minus fecimus. Sed quia certum habemus omni homini cœpta bona parum proficere, nisi bono fine cœptorum facta fuerit consummatio, placuit nobis cœptis insistere et devotionem quam circa vos habemus, in exemplum pietatis posteris vestris contradere. Igitur Robertum Joannis filium, hominem S. Remigii de capite, nostrum autem de advocatia, vobis et ecclesiæ vestræ damus, liberumque statuimus ab omni exactione et servitio advocatiæ, nec non et primogenitum ejus post ipsum, sed et omnes primogenitorum primogenitos scitote vobis datos a generatione in generationem usque in finem rerum, ut læti vobis serviant in his rebus in quibus sponte servitur Dei hominibus. Præfati vero Roberti fratrem, Drogonem scilicet, simili libertate donamus, quæ tamen libertas ejus in filios non procedet propter hanc causam, quia captus a nobis aliquando in domo fratris sui Roberti sub cujus manu nutriebatur, cum impelleretur ad redemptionem duodecim librarum, compulsus est. Reclamantibus autem vobis et dicentibus injuste vobiscum agi, quod Robertum in jus nostrum injuste traheremus quem prius vobis dederamus,

tandem inter nos conventio et pax in hoc consedit, ut sæpefati Roberti frater liber esset a servitio advocatiæ nostræ dum viveret, et summa duodecim librarum quam receperamus, vobis remaneret. Rogastis præterea ut donationem quam fecimus vobis de Roberto, et conventionem quam fecimus vobiscum de fratre ejus, scripto posteris traderetur, quod et fecimus ; signantes insuper quæ scripta sunt sigillo nostro, ut rata sit et firma in perpetuum nostra conscriptio. Rogamus post hæc, carissimi Domini, ut pro me et uxore mea Comitissa necnon et filiis et nepotibus, Dei misericordiam instanter orare dignemini. Hujus rei testes sunt Gervasius Prior, Simon Procurator, Osbertus presbyter, Otho miles, Petrus Præpositus, Theacres de Pontebarro et alii quamplures. »

ANNUS
1151

JESU CHRISTI

ANNUS 1152.

Eugenii PP. III Ann. 8.	Ord. Cartus. Ann. 69.	Basilii Pr. Cart. Ann. 2.

PETRUS CLUNIAC. AD BASILIUM SCRIBIT.

I. ANNUS sequitur millesimus centesimus quinquagesimus secundus, Indictione quinta decima, quo Petrus abbas Cluniacensis in Italiam ad Eugenium Papam pergens, Basilii nostri Cartusiæ Prioris visendi gratia ex itinere consulto divertit. At, creberrimis nivibus vias ad montem illum occludentibus, consilium invitus mutavit, scripsitque ex Herbino sui Ordinis Prioratu ad Basilium epistolam, quæ quidem modo periit; sed altera quam inter Alpes constitutus scripsit, et ad eam Basilii responsum nobis satis exhibent, quanta inter utrumque interesset necessitudo. Petri epistola talis est :

Epist. 41. lib. 6.

« Carissimo meo et unice amplectendo Domno Basilio servorum Dei Cartusiæ Priori, F. Petrus humilis Cluniacensis abbas, salutem cui se devovit æternam. Nuper in procinctu Romani itineris constitutus, scripsi vobis ac Fratribus ab Herbins monasteriolo nostro, quod ad vos jam perlatum credo; et tam propositum adeundi vos quam causam quæ ad remanendum compulit nos, literis indicavi. Scripsi tunc generaliter, scribo nunc singulariter. Scribo ab ipsis Alpium faucibus, et excuso quod in literis illis nominis vestri vel officii mentionem solito more non feci; oblivio sola in causa fuit. Hanc (ut arbitror) mihi ingessit itineris festinantia, et navis ad transferendum nos ultra Isaram flumen parata. Volo tamen te, carissime, scire affectum illum meum, quo

Proponit ire Cartusiam.

montana vestra adire decreveram, magis causa te visitandi quam locum licet sanctum videndi fuisse. Illum enim ac Fratres alios, et a multis jam annis sæpe videram ; te vero ex quo istud arduum et cœleste Propositum assumpsisti, nunquam visitaveram. Non fueram nec sum immemor, quanto me semper affectu colueris ; quam devoto ac sincero animo ab ipsis adolescentiæ tuæ annis ad divina anhelaveris ; quam frequenter eo spiritu Cluniacum tuam, et vere tuam, visitaveris ; quanto insuper tempore in ipso claustro Fratribus nostris tuisque adjunctus, Deo militaveris. Placuit dehinc Spiritui illi qui ubi vult spirat, ut te de virtute ad virtutem proveheret, et ascensiones in corde tuo disponens, de bonis ad meliora, de altis ad altiora transferret. Statuit, et per gratiam suam perseveranter statuet supra petram pedes tuos, et diriget in viam mandatorum suorum gressus tuos. Constituit te in gradu illo vitæ, quo altior aliquis aut vix aut nusquam apparet. Ea de causa te invisere, et profectui tuo quo violenter Regnum Dei rapere contendis, proposueram congaudere. Decreveram renovare tecum antiquas illas et sanctas felicis memoriæ Domni Guigonis prædecessoris tui mecum sæpe habitas collationes : quibus velut scintillis ab ejus ore prodeuntibus accendebar, et omnium pene humanarum rerum oblivisci cogebar. Contulissem tecum et de quibusdam hoc in tempore necessariis, quæ nec chartis committere nec multorum auribus credere volebam. Hæc quia, carissime, ad præsens non dantur, precare instanter Omnipotentis misericordiam, ut saltem in posterum concedantur. Iter meum sociosque itineris ut speciali et intimo amico commendo ; quod tanto majoribus auxiliis eget, quanto majoribus hoc hyemali tempore periculis formidabile est. Fratrem Petrum de Wapingo, olim in Christi militia ut ipse vidi tironem, nunc veteranum, fratremque Gaufridum, qui tanto tempore bonum certamen certavit jamque pene cursum consummavit, ex parte mea oro ut affectuose salutes, meque nostrosque ipsorum sanctæ vitæ et precibus intente commendes. Nescio enim si quis alter primi illius mei temporis

ANNUS 1152

Basilius prius Cluniac. monachus.

ANNUS 1152

miles adhuc superstes sit. Similiter et illum nobilem carne et spiritu Otmarum de Valboneis Conversum, omnesque pariter quando simul convenerint saluta. »

PETRO ABBATI RESPONDET.

II. Petro respondit Basilius data sequenti epistola :

« Domino et venerabili, sincera quoque affectione reverendo Patri, Petro Cluniacensis ecclesiæ benignissimo abbati, F. Basilius et qui cum eo sunt Fratres Cartusiæ, salutem et pacem a Domino sempiternam. Vere hic est affectus antiquæ et firmiter plantatæ dilectionis vestræ. Qui enim expeditiores, propter nivis impedimentum ad nos transire vix possunt, at affectuosam erga nos dilectionem vestram, nec personæ dignitas, nec longi itineris onerosa retinet gravitas. Pro incepto labore gratias agimus, pro non subeundo preces effundimus. Novimus affectum, novimus conatum. Maneat qui solet amor, quandoquidem gratissima visitationis vestræ frustramur lætitia. Quam etsi ad præsens non habemus, de futuro per Dei gratiam non desperamus. Præstabit hic, qui abstulit, opportuno tempore Deus. Quam licet multum Domini et fratres mei desiderent, ego te ex debito avidius esurio. Nonne enim sum ego ille quem pauperem et inopem non spernebatis ; sed amabatis, fovebatis, et ad onus suave Religionis piis studiis instruebatis ? Cluniacensis Ordo, Cluniacensis disciplina, Cluniacensis amabilis et honorabilis conventus, ut vere fatear, me semper ad meliora et arctiora provocavit ; pro certo etiam et adhuc provocat. Quid enim ? Potest avelli ab homine, cujus anima Deo subjecta est, chori, claustri, dormitorii, refectorii Cluniacensis, cæterarumque nobilium officinarum omni homini æmulanda disciplina ? Sed non omnes vident, quod vidi ego. Non omnibus notum, quod mihi patuit. Gratias Deo. Quid plura ? Vester sum, fui, et ero in æternum ; quia vere et vos Christi Domini estis. Servate orationibus, quod sacris ædificastis exemplis. Domum Cartusiæ et omne Propositum nostrum qualecumque sit, sanctis intercessionibus vestris commendamus, benignissime Pater. »

BERNARD. DE PORTIS OLIM EPISC. BELLICEN. MORITUR.

III. Eodem anno, die vero sexta decima Decembris, pie

decessit Bernardus de Portis professus et quondam Prior cartusiæ Portarum, ac Bellicensis episcopus. Hunc Petrus Franciscus Chiffletius Soc. Jesu, vel potius qui de Bernardo documenta ei suggessit, ex Ecclesia Bellicensi ad Maurianensem fuisse translatum scribit; sed ipsum confudisse certum est cum alio ejusdem nominis non nostri Ordinis, qui circa annum quadragesimum quintum hujus seculi Airaldo Maurianensi episcopo succedens, eamdem Sedem ultra præsentem annum gubernavit. Noster vero Bernardus de Portis jam desierat esse Præsul Bellicensis annis quinque antequam alter Sedi Maurianensi præficeretur ; et domui Portarum præerat, eo tempore quo ille suam adhuc regebat Ecclesiam. Multi præterea multos circa eumdem errores commiserunt. Quidam enim eum a Bernardo Portarum fundatore et protopriore non discernentes, ambos in unum conflarunt. Quidam ex Priore factum Episcopum et deinde Cardinalem volunt, cum prioratum non tenuerit nisi post abdicatum præsulatum nec usquam legitur ad Cardinalatum fuisse evectus. Alii utrumque dividentes, uni tribuunt quæ alteri tribuenda sunt. Alii ex duobus tres confecerunt, e quibus tertium Diensem faciunt Episcopum.

ANNUS 1152

Ex calend. mss. cart. Majorevi.

In præf. ad Manual. Solitarior.

Confunditur cum Bern. Portar. Protopriore.

Bostius Dorlandus, Sutor et alii.

Guichenon, Sammarthan. Horstius in notis ad Ep. 153. S. Bern.

Sed nunc admota veritatis face lucem a tenebris dividamus, adjuti maxime documentis quæ citato Chiffletio et nobis suppeditavit Hugo Buat, olim cartusiæ Majorævi Coadjutor. Ex quibus constabit autorum, qui utrumque Bernardum confuderunt, allucinationem inde prodiisse quod ambo in eadem domo et eodem tempore convixerint, Prioris officium ibidem aliquando obierint, ac S. Bernardi Clarevallensis amicitia fuerint pariter honorati. Hæc igitur veritas patet ex instrumento, tertio Nonas Maii anni trigesimi quinti præsentis seculi dato, quo Richardus de Benuntia quasdam terras largitur domui Portarum « in manu Domni Barnardi Prioris, sub testimonio monachorum ejusdem loci : Barnardi de Porta, Bosonis Procuratoris, etc. » Qui Chartam hanc non viderunt, ex epistolæ S. Bernardi inscriptione ad Bernardum de Portis sive de Porta conjecerunt per vocabulum *de Portis*

Uterque discernitur.

Ex tabulis domus.

Integrum habes sup. ad an. 1135.

ANNUS 1152

Annal. mss. Ord. Cartus. ad an. 1337.

designari Portarum Domum, ac propterea Bernardum de Portis eumdem esse ac Bernardum Portarum Priorem qui eodem tempore vivebat. At, ut optime Bohicius observavit, S. Bernardus ad Bernardum de Portis scribens, non Domus Portarum nomen, sed Bernardi cognomen denotabat. Et revera in aliis ejusdem cartusiæ tabulis inter testes seculares plures ejusdem cognominis reperiuntur, et inter cæteros quidam Bernardus de Porta, quem tanquam ejusdem Domus hominem, non monachum, Stephanus Prior commendat Adalisiæ Dominæ de Turre. Altera utriusque Bernardi differentia innotescit ex ipsis S. Bernardi Abbatis ad eos datis epistolis : nam sanctus Abbas in epistola ad Bernardum de Portis jubet nomine suo salvere Bernardum Priorem ; « Domnum et Patrem nostrum, inquit, Priorem vestrum cum cæteris Fratribus per te devote saluto. » Nomen Prioris non designat, sed certo constat eum fuisse Bernardum. Præterea in eadem et altera epistola eum simpliciter vocat « fratrem et amicum carissimum », ejusque cognomen de Portis apponit, sicut in ea quam ad Innocentium II de eo scripsit. Contra vero in Epistola ad Bernardum Protopriorem scripta, appellat eum Priorem ac « Reverendissimum Patrem et Dominum amantissimum », se autem « suum puerum » ex humilitate nuncupat. Denique in laudata ad Innocentium Papam epistola circa an. 1138 data, Bernardum de Portis juvenem vocat ; at e contra Bernardus Prior debuit tunc esse maturioris ætatis, qui jam a viginti et tribus annis præerat.

Ex litteris datis an. 1251.

Ex epistolis S. Bern.

Ep. 153.

Ep. 154.

Ep. 155.

Ep. 270.

V. an. 1138.

TERTIUS BERNARDUS PERPERAM PRO S. STEPHANO HABETUR.

IV. Cum Chiffletius utrumque Bernardum dilucide distinxisset, tertium quoque quem Canisius et Saussayus in suis Martyrologiis cum plerisque rerum nostrarum scriptoribus nunc cum Bernardo primo, modo cum secundo confuderunt, ab illis duobus discernere conatus est. Illumque S. Antelmo in Prioratu Portarum dicit successisse, ac deinde creatum ab Alexandro III Diensem antistitem. Et in fidem suæ assertionis citat nomenclaturam Priorum Cartusiæ Antiquis Statutis et impressis et manuscriptis adnexam, ubi sub Hugone* Priore Cartusiæ hujus nominis secundo, circa annum Christi

* *Guigone.*

1176, hæc habentur : « Eo tempore floruit Dominus Bernardus olim Prior Portarum, postea episcopus Diensis, qui mortuos suscitavit, leprosos mundavit et innumeris aliis claruit miraculis » ; codicem præterea laudat Chiffletius in eadem Domo repertum eadem paulo fusius referentem. Verum nulla hujus putati Bernardi fit mentio in Diensium Præsulum catalogo ; imo Joannes Columbi ejusdem Societatis recte probat nullum posse dari locum huic Bernardo, quem propterea Sammarthani (qui in Episcoporum Bellicensium recensione sub Bernardo de Portis, hunc quoque Diensem admiserant,) Præsulum Diensium albo exemerunt. Et ante eos noster Bohicius, vir acutioris judicii, postquam satis prolixe ostendit autorum inter se circa hujusmodi Bernardum dissidentium adiaphoniam, ingenue fassus est se non posse divinare quis sit ille. Unde necessario concluendum est errorem illum processisse ab iis qui quædam Statuta scripserunt, et ab illo qui anno 1510 ea typis mandavit, aut etiam ab autore codicis Portarum a Chiffletio laudati ; qui omnes Bernardum commenti sunt pro S. Stephano, quem constat cœpisse eodem tempore apud nos florere, et postea Priorem Portarum ac tandem episcopum Diensem creatum multis claruisse prodigiis : de quo autor Chronici Cartusiæ sub præfato Hugone Priore hæc refert : « Circa hoc tempus videtur contigisse, quod non incongrue ad memoriam potest reduci. Domnus enim Stephanus prius Prior Portarum, postea episcopus Diensis miraculose procreatus, tantis in vita et post mortem miraculis effulsit, ut cunctos legentes pene verteret in stuporem. Nam tot mortuos suscitavit, leprosos mundavit, cæcos illuminavit, aliasque infirmitates incurabiles ad sanitatem reduxit, quod numerus narrando nimis excederet in immensum. » Quæ quidem Statutorum et codicis Portarum exscriptores Bernardo suo commentitio adscribentes, tot Bernardos confundendi occasionem dederunt.

V. Circa hunc annum sancte pariter occubuit Boso ejusdem domus Portarum monachus, vir quondam in seculo

ANNUS 1152

Joann. Col. de rebus gest. Ep. Dien. et Valentin.

Unde erroris origo.

Chron. ms. Cart. cap. 9.

BOSO PORTAR. MON. OBIIT.

ANNUS 1152

nobilitate et divitiis clarus, qui præfati Bernardi Protoprioris et Pontii Ambroniacensium tunc monachorum piis exhortationibus motus, eos in Portarum Eremum primo illius fundationis anno secutus est. Altero anno Gauceranum Lugdunensem et S. Hugonem Gratianopolitanum Præsules comitatus, conversionis Arberti Sancti Saturnini militis testis fuit et adjutor. Nostrum Bernardum de Portis et S. Antelmum cognatum suum post se ad Christum traxit. Præfato Pontio procuratoris onus excutiente, idem officium invitus subiit, in quo ita laudabiliter se gessit ut « vir mirabilis industriæ » ab autore Vitæ S. Antelmi dici meruerit. A vicinis Nobilibus plures obtinuit agrorum paginas, terminis Portarum juxta Guigonis Consuetudinum formam constituendis prorsus necessarias. Archiepiscopis Lugdunens. et aliis Ecclesiæ Prælatis gratissimus fuit. Aliquot post annis in eo munere cum omni laude transactis, cellam repetens in ea pie defunctus est.

V. supr. ad an. 1116.

Ex Cartul. Cart. Portar.

JORDANUS CARDINALIS.

VI. Hoc denique anno Gervasius cartusiæ Montis Dei Prior, insigne sui erga Ecclesiam Romanam studii ac reverentiæ præbuit argumentum. Miserat Eugenius anno superiori Jordanum de Ursinis cardinalem Legatum in Germaniam. Hic transiens per Gallias fœda suæ avaritiæ vestigia, ut ferebatur, reliquerat. Nata inde scandala etsi ad aures S. Bernardi pervenissent, ea tamen Eugenio significare pius Abbas non habebat in animo, satius esse dissimulandum ratus. Sed Gervasius noster beatum Virum forsan his temporibus per Montem Dei, vel certe per quemcumque alium locum iter agentem conveniens, suis rationibus et sollicitationibus zelum ejus ita inflammavit, ut statim Hugoni episcopo Ostiensi, suo quondam monacho, probrosa Cardinalis Legati facinora scripserit ad Summum Pontificem deferenda. « Legito, inquit, literas has Domino meo. Ipse viderit quid de tali homine faciendum sit, ego liberavi animam meam. Dico tamen præcipitatione qua soleo : Bonum est ei si purget ipse Curiam suam, et sic liberet conscientiam suam. Decreveram ista tacere, sed venerabilis Prior Montis Dei ad hoc me impulit et animavit ut scriberem. Et scitote minus me dixisse

A S. Bernardo ad Sedem Rom. defertur.

S. Bern. Ep. 290.

Hortante S. Abbatem Gervasio Montis Dei Priore.

quam publice prædicatur. » Attamen, vel malum non adeo ingens et turpe deprehensum est, vel statim resipuit Legatus. Quandoquidem ipsi Eugenio et ejus successori Anastasio semper assedisse, variis ex diplomatibus probatur.

ANNUS 1152

An fuerit Cartusiensis.

Ex hac S. Bernardi epistola, et ex Anastasii IV bulla in qua confirmat donationem Domui Vallis S. Petri factam de nemore, « quod Raynaldus de Roseto ab Odone milite suo emit, et per manum dilecti filii nostri Jordani presbyteri cardinalis vobis contradidit ; » ex his, inquam, verbis, quidam Montis Dei monachus (cujus fidem gravissimi autores secuti sunt) conjicit hunc Jordanum ex ejusdem Domus monacho et Vallis S. Petri Rectore factum fuisse Cardinalem ; imo quia reperit fundationis Montis Dei tempore, quendam Jordanum abbatiam S. Nicasii Ordinis S. Benedicti apud Remos regentem, hunc unum eumdemque esse credidit, quem propterea prius apud Montem Dei labarum Cartusiense induisse finxit. Verum cum nulla alia certa vel antiqua autoritate suam fulciat sententiam, suoque Cardinali tribuat quæ tantum Jordanum de Ursinis spectare constat, illum e nostris Fastis, ubi locum ei aliquando dederamus, penitus eradendum nihil ambigentes duximus. Hodie quidem extat apud Montem Dei quoddam necrologium in quo, ad 7 Calendas Octobris, legitur : « Dominus Jordanus cardinalis, Monachus et Sacerdos hujus domus de quo S. Bernardus scripsit. » Sed hujus necrologii stylus novitatem nimis redolet ut fidem nostram mereatur. Nec majoris est ponderis illud cujusdam cellæ camini operculum in formam galeri cardinalitii effectum, quod ineunte nostro seculo decidit ; cujus et autoritas ad probandam Jordani cardinalitiam dignitatem merito decidere debet, cum his temporibus simplicitas Cartusiana hujusmodi insignia non tulisset, etiamsi Cardinales pileorum usum pro suæ dignitatis tessera jam habuissent, quæ tantum diu post eis concessa fuit ab Innocentio quarto.

Ex archiv. cart. Vallis S. Petri.

Ex mss. cart. Mont. Dei.

JESU CHRISTI

ANNUS 1153.

Eugenii PP. III. Ann. 9.	Ord. Cartus. Ann. 70.	Basilii Pr. Cart. Ann. 3.

EUGENIUS III MORITUR.

Anastasius IV succedit.

Otto in Friderico, lib. 2. c. 10.

Item S. Bernardus Abbas Clarevall. moritur.

Ciacon. in Alexandro III.

Ejus festum apud Cartusiam colitur.

I. SEQUITUR ordine temporum millesimus centesimus quinquagesimus tertius annus, Indictione prima, quo octavo Idus Julii Eugenius Papa vir justus et religione insignis ab hac luce transiit, cui die sequenti suffectus est Conradus, ex Canonico Regulari episcopus Sabinensis, qui nomine mutato dictus est Anastasius hujus nominis quartus. Nec longe post, videlicet tertio decimo Calendas Septembris, sanctissimus ac famosissimus Doctor S. Bernardus Clarevallensis abbas, anno ætatis suæ circiter sexagesimo tertio ex hoc mundo migrat in cœlum. Quamvis autem vir iste incomparabilis professione Cartusiensis non fuerit; ita tamen erga Cartusiensem Ordinem fuit affectus, et ejus laudes, ubi se se obtulit occasio, cum tanta abundantia eructavit, quemadmodum sæpe superius vidimus, ut non immerito inter Nostros annumerandus videatur. Et quia glorificavit Ordinem nostrum, ab eodem fuit etiam glorificandus. Quamobrem paulo post ejus Canonizationem anno 1174 factam, Majoris Cartusiæ Calendario adscriptus est cum duodecim Lectionibus ; non tamen statim per omnes Ordinis Domos ejus Festum celebratum fuit. Nam anno 1332, Patres Angli cartusiæ Withamiensis licentiam a generali Capitulo petierunt et obtinuerunt, illud celebrandi sub eodem duodecim Lectionum ritu. Sic habent Acta ejusdem Capituli : « Conce-

ANNUS 1153

ditur Priori de Witham ut possit facere festum duodecim Lectionum de beato Bernardo, sicut vicini sui, ne ipsis scandalum generetur. » Quibus ultimis verbis colligimus Anglos idem festum iis temporibus coluisse. Denique anno 1361 ejus celebratio per totum Ordinem fieri indicta est sub festorum Capituli ritu, ut discimus ex libro Ordinationum in Majori Cartusia asservato, in quo sequens super hoc decretum legitur : « Ordinatur quod Festum beati Bernardi fiat per totum Ordinem cum Capitulo, cujus Officium fiat sicut in festo beati Antonii Abbatis, sed propter hoc per Conversos ab operibus non cessetur. »

HUGO ARCHIEPISC. VIEN. PRIVILEGIUM AB IMPERAT. OBTINET.

Vienna Sacra pag. 84.

II. Eodem anno Hugo noster Viennensis archiepiscopus, insigne pro sua Ecclesia a Friderico Romanorum III Imperatore privilegium obtinet, quod integrum habes in Floriacensi Bibliotheca. Illud vero ab Adriano Papa IV de verbo ad verbum in ejus bulla expressum, anno Incarnationis 1157 *, Idib. Martii, Indict. VI, Pontificatus illius anno quarto, confirmatum fuisse subdit Joannes a Bosco. Quam quidem confirmationem non ab eodem Hugone qui jam obierat,sed a Stephano illius successore impetratam intellige. Stephanus quippe an. 1155 et sequentibus jam sedisse probatur apud Sammarthanos in Archiepiscopis Lugdunensibus, et in mox citata Bibliotheca Floriacensi. Sed et in Ecclesiæ S. Mauritii Viennensis archivis diploma ejusdem imperatoris asservatur, quo confirmat Stephano archiepiscopo et Willelmo decano, « ut in Regno Burgundiæ, inquit, sacri Palatii nostri Archicancellarius et summus Notariorum nostrorum semper existas. » Præsentibus Umberto Bisuntino et Petro Tarentasiæ Archiepiscopis. Datum Bisunti VI Cal. Nov. an. MCLVII ; quod necessario annotandum fuit ut ostendamus Hugonem jam tum abdicasse.

**Id est 1158.*

ROGERIUS REX SICILIÆ, BENEFACTOR CALABRIÆ MORITUR.

III. Hoc pariter anno vel sequenti, ut habet Rocchus Pirrus in Regum Siciliæ Chronologia, quarto Calendas Maii, obiit Rogerius primus Siciliæ Rex, Rogerii comitis Calabrinæ Cartusiæ fundatoris filius, qui bonam patris erga nos voluntatem imitatus, quæcumque ille dederat confirmavit aliaque bona largitus est, ut suis locis diximus.

JESU CHRISTI

ANNUS 1154.

Anastasii PP. IV Ann. 1.	Ord. Cartus. Ann. 71.	Basilii Pr. Cartus. Ann. 4.

ANASTASIUS FUNDATIONEM VALLIS S. PET. CONFIRMAT.

Ex archiv. ejusd. Cart.

I. ANNUS sequitur Redemptoris millesimus centesimus quinquagesimus quartus, Indictione secunda, quo Anastasius Papa Cartusiæ Vallis S. Petri fundationem, procurante Protopriore illius Hugone, confirmavit sequenti bulla :

« Anastasius Episcopus, servus servorum Dei. Dilectis filiis Hugoni Priori monasterii Vallis S. Petri ejusque Fratribus tam præsentibus quam futuris regulariter instituendis in perpetuum. Sacrosancta Rom. Ecclesia quos in servitio Dei ferventiores esse cognoscit, propensiori eos charitate semper consuevit diligere; et ne pravorum hominum agitentur molestiis, Apostolicæ Sedis patrocinio specialiter communire. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam in qua divino mancipati estis obsequio sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus : statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis exprimenda duximus vocabulis : Allodium Walberti de Roseto de Coimes, terram S. Michaelis de Coimes. . . . .

Nemus quod Raynaldus de Roseto ab Odone milite suo emit, et per manum dilecti filii nostri Jordani presbyteri cardinalis vobis contradidit, etc. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare audeat, etc. Ego Anastasius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Ego Gregorius presbyter cardinalis tit. S. Calixti (cum aliis novem Cardinalibus tam presbyteris quam diaconis). Datum Laterani per manum Rolandi S. R. E. presbyteri cardinalis, cancellarii, VIII Idus Martii, Indictione II, Incarnationis Dominicæ anno MCLIIII, pontificatus vero Domini Anastasii Papæ IV anno primo. » Cui mense Decembri hujus anni defuncto Adrianus quartus statim subrogatus fuit. Simile privilegium concessit Alexander III, in quo pariter confirmat donationem terræ « quam Raynaldus de Roseto ab Odone milite de Bray emit, assensu uxoris et liberorum ejus, et per manum bonæ memoriæ Jordani tit. S. Susannæ presbyteri cardinalis vobis contradidit. Et allodium Gualberti de Roseto de Coimis quod ipse vobis in eleemosynam concessit, laudantibus filiis suis Petro et Goberto. » Eodem tempore quo Alexander has literas concessit vel paulo ante, Henricus Remensis archiepiscopus idem benevolentiæ ac protectionis beneficium ad monachorum instantiam præstitit, cujus diploma talis est sententiæ : « Henricus Dei grat. Remorum archiepiscopus, universis S. Matris Ecclesiæ filiis salutem. Piis religiosorum Fratrum desideriis facilem præbemus assensum, præsertim in iis quæ ab Apostolica Sede instituta novimus et firmata. Inde est quod universitati vestræ notum esse volumus, nos in protectione S. Remensis Ecclesiæ et nostræ suscepisse monasterium de Valle S. Petri et omnes possessiones et jura quæ ad ipsum pertinere noscuntur, in quibus hæc propriis vocabulis duximus exprimenda (etc. sicut in ipsis Summorum Pontificum bullis describuntur). Hujus autem confirmationis nostræ testes sunt : Petrus abbas S. Remigii, Leo decanus, Magister Fulco, Milo de Lageceyo, Magister Robertus de Camera et alii multi. »

ANNUS 1154

Idem faciunt Alexander III

Henricus Archiep. Remensis.

ANNUS 1154

Nec proprii Antistitis defuit confirmationis autoritas, quam primi Vallis S. Petri alumni a Galtero de Moretania obtinuerunt amplissimo diplomate, in quo ut in aliis supradictis meminit beneficii a Raynaldo de Roseto fundatore collati; et præsertim nemoris « quod ab Odone milite suo emit, et per manum Jordani bonæ memoriæ cardinalis similiter dedit. » Datæ sunt Galteri literæ anno 1166, testibus Liziardo decano, Galtero thesaurario, Roberto præcentore, Guntero et Widone de Montcornet, Radulpho Gambun et aliis.

Pontificum patrocinia Regiæ tutelæ præsidio tutari curaverunt Vallis sancti Petri Cartusienses. Quamobrem anno 1173 Literas regias a Ludovico septimo Galliæ Rege obtinuerunt, datas Carnoti, quibus distincte et specialiter ratificat et confirmat legata omnia et donationes fundatorum et benefactorum, juxta Romanorum Pontificum confirmationes. Sanctus quoque Ludovicus literas concessit ann. 1255 apud S. Germanum in Laya, et alias anno 1258 datas Vicennis mense Octobri, quibus Vallem S. Petri eximit ab omni servitio et homagio et ab omnibus pedagiis. Sic et omnes fere illius successores eamdem domum in suam susceperunt clientelam.

DOMINI DE TURRE ERGA CARTUSIAM EXCUB. BENEFICI.

II. Eodem anno Arbertus de Turre, Galo consobrinus ejus, et Guillelmus de Thiel multa bona Excubiensi cartusiæ contulerunt, eorum pietatem excitante, et donationem sua præsentia suoque sigillo confirmante nostro Hugone Viennensi archiepiscopo.

Ex codice V. cl. Chorier.

« Notum sit præsentibus et omni posteritati nostræ, quod ego Arbertus de Turre, et Galo consobrinus meus, necnon et Willelmus de Thiel, pro peccatis nostris redimendis et salute animarum nostrarum donamus Deo et Beatæ semper Virgini Mariæ Excubiarum, et habitatoribus ejusdem loci, pascua de Cizerino . . . . . Damus insuper Bernardum Garnerii ac filium ejus Guidonem custodes et defensores pascuorum. . . . . Hoc autem factum est in præsentia Domni Guigonis Bonævallis abbatis, et Guidonis ejus monachi, et Guillelmi decani Viennensis Ecclesiæ, et Fratris Oliverii de Portis, atque Ascherii de Excubiis, et Girondi mi-

nistralis nostri. Ut vero idem donum in post modum firmum maneat, fecimus ego Arbertus et Galo consanguineus meus hoc totum in Charta notari, et sigillo Domni Hugonis Viennensis archiepiscopi et Domni Guigonis abbatis Bonævallis confirmari. Hoc autem factum est anno ab Incarnatione Domini MCLIIII, regnante Friderico Rege Romanorum. » ANNUS 1154

III. Paulo post, et quidem hoc ipso anno, præfatus Hugo archiepiscopatum abdicavit, ut colligimus ex cujusdam instrumenti a Joanne Columbi relati fragmento, quod sic se habet : « Ego G. Vivariensis episcopus et minister indignus, rogatu Domini Hugonis bonæ memoriæ Viennensis archiepiscopi, et Bernardi Valentinensis episcopi et aliorum quamplurimorum concessi et laudavi ecclesiæ S. Andreæ Viennæ, et Elisabeth abbatissæ sanctimonialium supradictæ ecclesiæ et successoribus ejus omnia beneficia quæ sub ditione episcopatus nostri possident, etc. Acta ab Incarnatione Domini anno millesimo centesimo quinquagesimo quarto. » Quamvis hæc verba, bonæ memoriæ, quibus Hugo designatur, frequentius mortuis adscribantur ; ea tamen non de illius morte sed de dignitatis abdicatione mihi videntur potius intelligenda ; quandoquidem constabit ex dicendis anno sequenti, illum in Portarum solitudine ut privatum hominem obiisse.

HUGO VIENNENS. ABDICAT.

Jo. Columbi De rebus gestis Episc. Valentin.

IV. Bernardus Valentinensis episcopus, in suprascripta Charta nominatus, ipse est primus Calesiensis abbas (quod scriptores fugisse puto) quem vidimus Eremitarum Calesiensium, dum juxta Cartusiensium mores vivebant, Priorem fuisse, eisque postea ut vitam cœnobiticam amplecterentur, sancti Hugonis, qui nostri Ordinis promotor fuerat, autoritate persuasisse. Hic, postquam titulum et dignitatem Abbatis per triginta fere annos egregie ac sancte gessisset, ad præfatæ Valentinensis Ecclesiæ episcopatum evectus est, ut ex sequenti Charta deteximus :

BERNARD. ABBAS CALESIENSIS FIT EPISCOP. VALENTIN.

« Divinæ inspirationis gratia, rogatu quorumdam amicorum nostrorum, ego Amedeus de Miribello et Humbertus frater meus pro salute animarum nostrarum et patris nostri Bonifacii, donamus Deo et B. semper Virgini Mariæ et Fra-

Ex Tabulario Maj. Cartus.

ANNUS 1154

tribus Calesii præsentibus et futuris, sine dolo et fraude... tali tenore ac firmitate, ut nulli omnino hominum pro hac donatione a prædictis exigere vel accipere aliquid liceat. Hanc donationem facimus in Grangia quæ sita est ad ripam loci de Deserto, in manu venerabilis Bernardi abbatis postea Valentinensis episcopi. Causa vero hujus donationis dederunt et ipsi nobis sexaginta solidos Viennensis monetæ. Hujus rei testes sunt : Guichardus Monachus postea Prior Calesii, Guillelmus Gubranus Conversus ejusdem loci, Mallenus presbyter de Miribello, etc. » Tribus aut quatuor tantum annis Bernardus Valentiæ sedit, et mortuus est. Ipsi successit in Calesiensi abbatia quidam Beraldus, sub cujus regimine disciplina regularis cœpit titubare.

ROBERTUS CELLENSIS FIT CARTUSIENSIS.

V. Circa idem tempus Robertus, monachus Cellensis Ordinis Sancti Benedicti, ad Montem Dei se recipiens habitum induit Cartusiensem, sicut olim fecerat Simon ejusdem Abbatiæ alumnus. Ex Roberti emigratione ad nos non parvo tactus dolore venerabilis ejus abbas Petrus, primum ingrate tulisse visus est eo quod eum mirifice diligeret ; verum ad se reversus æquanimiter rem pertulit, sciens eum non fastidientis animo sed observantioris Regulæ studio hoc aggressum fuisse. Et paulo post arrepto calamo, ad Gervasium tunc Montis Dei Priorem scripsit epistolam, in qua de dilectissimi filii sui translatione sic queritur :

Inde queritur Petrus ejus Abbas.

Pet. Cellen. Epist. lib. 3. Epist. 1.

« Dominis suis et Patribus Priori cum cæteris de Monte Dei, Frater Petrus Cellensis indignus abbas usque ad montem Oreb. Aliud materia, aliud suadet scribere vestra Reverentia. Et materia quidem, quæ est carissimi filii nostri translatio ad vos, potius semper silere vel instantius flere quam scribere admonet. Sanctitatis autem vestræ Reverentia sancta et digna id exigit. Itaque non quælibet levia et secularia, sed fortia et cœlestia debet assumere, qui vobis proponit scribere. Quid autem charitate fortius, quæ fortis est ut mors ? Quid cœlestius, quæ etiam omnem exuperat sensum ? Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Quanti igitur apud meam humilitatem vestra

profecerit dilectio, æstimare poterit qui, quod pro ea re reposuerim, pretium diligenter pensaverit. Certe non aurum, sed virum secundum cor meum; certe non argentum, sed quem habebam quasi unigenitum; certe non lapides pretiosos, sed lapidem quem mihi erexeram in specialis amoris titulum, in hoc proposui commercio. Scio nec prorsus dubito, quod si omnem substantiam domus meæ dederim pro sancto amore vestro, nihil tamen in comparatione illius attulerim. De Monte namque Dei non amor mundi sed amor cœli descendit; non carnalis amor qui tanquam nubes matutina pertransit, sed æterna charitas quæ nunquam excidit. Non enim recipit æstimationem, quod omnem excedit accidentium licitationem. Divini siquidem amoris suavitatem sanctarum animarum pius redolet amor. Et quid humana paupertas dignum recompensationis, non dicam ad supernum amorem sed saltem ad quamlibet sanctorum dignationem, in omni thesauro inopiæ copiose abundantis reperire poterit? Sane nihil sanioris mihi videtur ad hoc consilii, quam ut gratiam rependat pro gratia, ad Illius imitationem qui potius ex abundanti quam ex indigenti, non aliud quidem solet dare pro gratia. Itaque et ego gratiæ vestræ gratias ago, non tamen vanas, non vacuas, sed ultra facultatum mearum sufficientiam largas et divites. Non enim de arca sed de conscientia, non de fundo marsupii sed de intimo cordis, non de supellectili domus sed de intimis visceribus profero quod accipitis. Si enim aliter fieri posset, si aliud pretium quantumcumque magnum, vestra sanctitas exposceret; si aliquam commutationem commercium illud admitteret, o quam libenter darem! O cum quanta gratiarum actione numerarem! O Deus cordis mei, quanta animæ meæ usque ad mortem in hoc partu angustia, quam importabilis! nisi tu mecum portaveris, in separatione ista affectionis semper duratur ærumna. Jesu bone! indubitanter pro te aliquid me fecisse jam deinceps fateri non erubesco. Sed quid aliud facerem? Tuus est ille, tuus sum ego. Et utinam sic tuus ego, sicut ille tuus! Et qua fronte tibi de tuo tuus contradicere præsu- ANNUS 1154

ANNUS 1154

mam ? Non resisto voluntati tuæ contumaciter, ut tu assistas desolationi meæ misericorditer. Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte universa delicta mea. Domine, Domine, nonne totam mitius a me tolleres animam, quam partem dimidiam ? Placeat tibi saltem non deserere partem residuam, quia tibi assumis præcipuam. Vere nunc experior quod separare veneris hominem adversus patrem suum. Vere hic gladius Salomonis vivus, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus. Quare propter te divisa est maceries animorum præsentia corporum ? Tu mediator, tu lapis angularis, tu dispersos Israel congregas, tu Deus unus, ad te in te utraque faciens unum ; quare sic facis, vel si non facis, quare pateris ut caream baculo meæ debilitatis ? ut suam columnam deserat basis ? ut sine Aaron, non Moyses, sed tuus miser cogatur sustinere quæstiones sive molestias hujus talis et tantæ multitudinis ? Pie Jesu, non sustineat pietas tua sine consolatione meam diutius fragilitatem conquassari, sine visitatione fatigari. Quid est hoc ? vobis cœpi scribere, vobis loqui, et sic in mediis sermonibus cum tanta mora meas miserias misericordissimi Dei conspectibus explicui. Certe, ut videatis ; certe, ut intelligatis, quis sit dolor filium dexteræ amittere, et nec saltem sublato Joseph, Benjamin retinere. Quin imo, ut Deum totius consolationis meis compatiendo mœroribus, dulcius et obnixius pro me exoretis. Est enim benignus piorum exauditor, largus pro se aliquid facientibus remunerator. Orate itaque, ut et istum quem quasi in vinculis Christi retinetis, non amittam ; et ut optando scripsisti, pro Samuele nostro Prophetam non inferiorem recipiam. Sic enim dote bona ditatus, consolationem aliquam vestris orationibus accipiens, potero expectare illam veram et æternam, pro qua desolationem suscipio temporalem et transitoriam. Valete. »

CUI ET DE QUIBUS LOQUATUR PETRUS IN PRÆSCRIPTA EPISTOLA.

VI. Nullus in hac epistola nominatur ; sed ibi fieri mentionem Simonis et Roberti conjicimus ex his verbis : « Certe ut videatis, certe ut intelligatis, quis sit dolor filium dexteræ

amittere, et nec saltem sublato Joseph, Benjamin retinere. » Joseph nomine videtur Petrus indicare Simonem, quem in altera de qua inferius epistola ad eumdem Priorem scripta, ex animo salutans, amoris sui ubera teneris verbis sic exhibet : « Fratrem Simonem lumen oculorum meorum, partem viscerum meorum, attentius vobis commendo. » Suum vero Benjamin, ut puto, appellat Robertum, quem in duabus aliis epistolis præ teneritudine « Robertulum » suum vocat. Adhuc vivebat Robertus anno 1185 quo subscripsit cuidam donationi factæ Monti Dei ; Simon vero, vir omnium calculo sanctissimus, circa annum 1160 ex Procuratore factus fuit ejusdem Domus Prior, de quo multa præclara annis sequentibus occurrent dicenda. Porro hanc epistolam et quasdam alias, a Petro scriptas fuisse Simoni Priori Montis Dei credidit Sirmundus, qui defectu instrumentorum, regiminis Simonis tempus non noverat. Sed quæcumque ad eum scriptæ sunt, præter unam, ipso titulo produntur : quæ vero nullam proprii nominis inscriptionem habent, Gervasio procul dubio directæ fuerunt. Quomodo enim istæ epistolæ ad Simonem Priorem essent missæ, cum sub Gervasio procurationem tunc exerceret, et de illo mentio habeatur in fine tertiæ epistolæ libri tertii, ubi eum Petrus vocat lumen oculorum suorum ? In sequentibus vero epistolis quæ ad Simonem nominatim diriguntur, aliorum tantum meminit quos nominat, videlicet Roberti, Rogerii, Stephani, Nicolai et Alberti. Adde quod Simon, Gervasio mortuo vel abdicato, electus fuerit Prior tantum circa annum 1159, Petrus vero Cellensem abbatiam ab anno circiter 1150 ad annum 1162 rexerit, quo in abbatem Remensem evectus sit. Non simile vero videtur eum per totum illud spatium, quo Cellis præfuit, nullam ad Gervasium qui Montis Dei per novennium extitit Prior, epistolam scripsisse ; et eo quidem tempore quo quidam Cellenses monachi suum Cartusiensibus nomen dederant.

ANNUS 1154

Ubi sup. Epist. 3.

Lib. 5. Epist. 11 et 13.

Ex mss. Cart. Mont. Dei.

DEBETUR MONTIS DEI MONACHIS EPISTOLARUM PETRI CELLENSIS CONSERVATIO.

VII. Ex hac Cellensium Monachorum ad Montis Dei Cartusienses translatione, facta est inter utriusque monasterii

ANNUS 1154

Superiores suave literarum commercium. Et utinam Cellenses Gervasii epistolas æque diligenter ac studiose servassent ac Nostri servarunt Petri epistolas, quas e suo tabulario erutas Sirmundo tradiderunt prælo excudendas. In his doctus ac pius Abbas non solum suum ingenium suamque eloquentiam patefacit, sed ita commendat religiosam Nostrorum conversationem, ut eas aut saltem præcipua eorum capita in his Annalibus interserere non pigeat ; et eo libentius illas exscribo, quod ex earum lectione Nostros non parum ad pietatem accensum iri speramus. De duabus primis jam alibi diximus, partem vero tertiæ epistolæ subjicimus, quæ continet responsum ejus ad alias, quas a Gervasio prius receperat, ut ex illius tenore qui sequitur, primum apparet :

Pet. Cellens. Epist. lib. 3. Epist. 3.

« Dominis et amicis suis et cæteris Fratribus de Monte Dei Frater Petrus Cellensis, bravio diurni denarii non fraudari. Suavissimi saporis buccellas, quasi panis oleati, avido ore in mensa literarum vestrarum prægustans, jocunditatem spiritus cœpi eructare, et iterum ac iterum præ desiderio spiritum bonum attrahere. In crassitudine quippe animæ bene pastæ, in abundantia dulcedinis Dei scripsistis, et sicut adipe et pinguedine spiritalis lætitiæ fauces meas replestis. Sermo namque vester non est talis, qui adulterinis formis super inductis speciem pietatis repræsentet et virtutem abneget. Hoc enim illorum est qui in corde et corde loquuntur, vel qui molliunt sermones suos super oleum, cum ipsi sint jacula. Non autem verbum vestrum sic insulsum, sic infatuatum, sed sale conditum, sed gratiæ plenitudine confortatum, viscera replet sanctorum, vires reparat animarum, languores sanat ægrotantium, fortitudinem conservat sanorum. Præterea delicatorum sufficit gulositati, et nauseantium medetur rejectioni. Pascit ut panis, ut vinum lætificat, ut paradisus deliciarum exuberat in omni suavitate, ut Templum speciosissimum refulget in omni pulchritudine. Plane suadibilis ad commonendum, rectus ad componendum, efficax ad commovendum, potens ad corroborandum, dulcis ad demulcendum, ardens ad inflammandum . . . . . . Hastam aut

gladium ad quid petitis? Quem interficere vultis? Quem ferire? ubi est, vel quis est adversarius vester? Nonne vos confugistis ad tutissima loca Engaddi? Nonne Christus est vobis petra refugii? Nonne turris fortitudinis? Nonne omnis armatura fortium? Nonne inattingibile propugnaculum? Nonne gladii duo, scutum, arcus et sagitta? O fortissimi milites Christi, hastam protensam habetis in orationibus continuis, gladium in mortificatione carnis, panem sanctum in spe æternæ glorificationis. Hasta vestra non est aversa in adversitatibus mundi, quia rectos facitis gressus ad cœlum; gladius non declinat in conflictu desideriorum et impetu suggestionum, quia ante Dominum est omne desiderium vestrum; panis non inveteratur ex dilatione præmiorum, quia revirescit charitas certa spe promissorum bonorum. In calore namque suo perdurat panis, quia charitas non tepescit in cordibus vestris. Non hebetatur acies gladii, quia non defervescit rigor disciplinæ ac sancti propositi. Hasta non infringitur, quia oratio vestra acumine suo cœlum penetrans nullis obstaculis reverberatur...... Ecce Domini mei et amici carissimi, statim ut vidi Angelum vestrum, cucurri ad armentum ut Abraham, vocavi Saram memoriæ, puerum cordis, et miscui vobis farinam ut facerem subcinericium. Habetis itaque cilicium vestrum, habetis et subcinericium nostrum. Cooperantur hæc duo ad extrahendam peccati rubiginem, ad delendam pruriginem, ad extergendam sorditiem. Idcirco sana et sancta potuit veraciter exclamare conscientia: Vasa puerorum munda esse. O gemma pretiosissima, et præclarissima, pro qua si dederit homo omnem substantiam domus suæ, tamen nihil æstimatur in comparatione illius. Detineo sancta corda, mundos oculos, puras manus, plusquam debeam a pabulo vitæ, ab introitu gloriæ, a contemplatione faciei Jesu jam glorificatæ et deificatæ. Sed nunc jam remitto, et ut me, commemoratione pia, in humeris vestris perferatis ad thronum gloriæ deposco. Valete. Fratrem Simonem, lumen oculorum meorum, partem viscerum meorum attentius vobis commendo. »

ANNUS 1154

JESU CHRISTI

ANNUS 1155.

Hadriani PP. IV.	Ord. Cartus.	Basilii Pr. Cart.
Ann. 1.	Ann. 72.	Ann. 5.

HUGO VIENNENS. ARCHIEP. MORITUR.

I. MILLESIMUS centesimus quinquagesimus quintus annus salutis agitur, Indictione tertia, quo Hugo primum Majoris Cartusiæ monachus, deinde episcopus Gratianopolitanus a S. Hugone electus e millibus, ac tandem ad Sedem Metropolitanam Viennensem translatus, postquam eadem Ecclesia annis circiter octo non sine magnis laboribus gubernata in Portarum solitudinem ab anno superiori se recepisset, ibidem in extrema senectute occubuit, Nonis Maii vel Octobris, ut habet Lugdunensis Ecclesiæ Necrologium his verbis : « F. Hugo Monachus Portarum, olim archiepiscopus Viennensis. » Unde etiam probatur dignitatem prius abdicasse. Ejus elogium a Petro Cluniacensi luculenter pronunciatum jam vidimus, cum ad Eugenium de eo scribens, Summum Pontificem orat « ut tanto homini, tam probato, tantæ vitæ, tanti propositi, qui omnes pene dies suos a puero usque ad senium immolavit Deo, deferat, etc. »

V. an. 1147.

Sedem Viennensem post eum occupavit Stephanus. In Gratianopolitano vero episcopatu ei successerat Othmarus, et huic Gaufredus uterque nostri pariter Ordinis alumnus. Gaufredum generali Capitulo hoc præsenti anno celebrato adfuisse, paulo post videbimus.

OBSERVANTIA VIGET IN CARTUSIA.

II. Eo tempore, sicut sub S. Antelmo floruerat, ita et sub Basilii regimine florebat observantia in Majori Cartusia,

cujus status spiritualis, tum Monachorum tum Conversorum, ab autore Vitæ S. Hugonis Lincolniensis his verbis describitur : « Erant quidem, ut semper sunt, tunc temporis quam maxime, in congregatione illa justorum, viri tam Clerici quam laici miræ sanctitatis et gravitatis, ipsisque summis Principibus et Ecclesiarum Prælatis admodum reverendi. Prior Domus, proprio vocabulo Basilius dictus, præ meritorum eminentia et virtutum prærogativa, non aliud quam Sanctus, ab his qui eum noverant, communiter vocari consueverat. Sequebantur et eum cæteri, nec a remotis, per culmina Religionis consummatæ; nec erat facile, quis ferventior, quis perfectior inter illos censeri potuisset, dignoscere. In grege laicorum quam plures quidem eminebant, eximiis præditi donis gratiarum. Plurima de eorum virtutibus, quæ utiliter scriberentur, agnovimus. Verum quia ad ea quæ specialius referenda suscepimus, nos insufficientes videremur, digressionum necessaria diverticula studiose declinamus : tantus ibi in domandis corporibus rigor, tanta in rigore servabatur discretio, ut medium cum beatis tenendo, nihil infra vires aggredi quis contentus esset, nihil quod virium metas excederet, excedere, et si vellet, sineretur. Fervebat in commune studium inter eos rigidæ paupertatis, superfluitatis odium, necessariorum parcitas, oblivio temporalium, ambitus æternorum, communis humilitas et cordis contritio, omnibus in commune suiipsius abjectio, prælatio sociorum. Hæc ut in Monachis, ita et in Conversis indifferenti studio inoleverant. Jam vero inter Monachos legendi assiduitas, contemplandi sublimitas, meditandi et orandi defæcata suavitas, sic palmam tenebant, ut videretur incredibile. Quantum etiam laicis gratia in his affluebat, excepto quod per se literas atramento deformatas legere nesciebant, vix haberetur fides referenti, si publicis niteremur auribus tradere quam acute et ipsi sensum capiebant lectionum, quam ignitas et clericis etiam ignotas, spiritualis inde elicere sciebant intelligentiæ scintillas. Sic utriusque Instrumenti vel Testamenti Historias, et moralia præcepta, hujus plerosque Ordi-

ANNUS 1155

Vita S. Hugon. Lincoln. l. 1. cap. 10.

Laudatur Basilius Prior.

Conversorum fervor.

Qualis eorum austeritas.

ANNUS 1155

nis Conversos didicisse novimus, ut vix falleretur qui statutas de more Historiarum Lectiones, aut sacros Evangeliorum expositores in ecclesia recitabat, quin citius hoc illi deprehenderent, et subtussiendo, idipsum ut audiebant indicarent. Nam et ipsi negotiationem Sapientiæ Dei, ut quidam seculi nundinas, frequentabant pro viribus et exercebant. De Ordine siquidem isto in Registro Papæ, cujus tempore canonizatus est, ita legitur. « Ordo Cartusiensium in eo alios Ordines antecedit, quia cupiditati modum posuit. »

CAPITULUM GENERALE INTERRUPTUM RESTITUITUR.

III. Porro Basilius suum zelum inter privatos Cartusiæ parietes non continens, illum etiam inter omnes alias Ordinis Domos ardere voluit. Hoc enim anno magnum illud Capituli generalis negotium, quod S. Antelmus cum quibusdam vicinarum cartusiarum Prioribus aliquando auspicatus, intervenientibus quæ nos latent impedimentis, intermittere coactus fuerat, ipse Basilius feliciter absolvit, congregatis in Majori Cartusia cunctis Domorum quæ nunc extabant Prioribus, uno tantum excepto Priore Valonis, qui forsan morbo vel aliis negotiis detentus aberat. Formam celebrationis illius, prout in Antiquis Rifferii Statutis describitur, habes tomo I horum Annalium. Sed quia in variis codicibus eodem scriptis seculo, quædam verba interseruntur quæ in aliis desiderantur, hanc iterum cum ejusdem Capituli ordinationibus, ex tribus manuscriptis hic exscribere operæ pretium ducimus :

Priores qui interfuere.

« Omnibus sanctæ et catholicæ Ecclesiæ fidelibus præsentibus et posteris notum sit, quod cuncti Cartusiensis Propositi Priores, Cartusiæ videlicet Basilius, Portarum Bernardus, et Excubiarum Sofredus, necnon Sylvæ Oth., et Majorævi Hum., et Durbonis Ber., et Alveriæ Artoldus, et Montis Rivi Ber., et Montis Dei Gervasius, et Vallis clusæ Hu., et Alionis Hu., et Repausatorii Joannes, et Vallis S. Petri Hu., et Montis Violæ Pontius, pro tenore et stabili firmitate præfati Propositi a dicto Basilio Cartusiæ Priore et ejusdem loci Fratribus petierunt, quatinus in eadem Domo commune Capitulum liceret eis habere, obtentu correctionis et emenda-

ANNUS
1155

tionis totius Propositi. Hac igitur precum instantia, Domus Prior Cartusiæ Basilius cum Fratribus suis eorum precibus tandem consensit. Forma itaque Capituli talis habetur : Ob tenorem et confirmationem totius Propositi nostri, ego Basilius Cartusiæ Prior dictus, et cæteri Fratres nostri, uno animo et una voce Domum nostram communi Capitulo corrigendam, et in Proposito nostro in perpetuum conservandam tradimus, servatis Institutis quæ impræsentiarum scripto vel consuetudine religiose servamus : ob eumdem quoque Propositi tenorem, Bernardus Portarum Prior communi Capitulo pro se et pro Domo sua obedientiam promisit, quod et singuli Priores ordine suo subsequenter fecerunt. Item ad confirmationem prædicti Capituli, Domus Cartusiensis a Domino Gaufredo Gratianopolitano episcopo literas accepit, hunc modum continentes : Dictus Episcopus rogatu Basilii Cartusiæ Prioris et cæterorum Fratrum ibidem Deo famulantium, præfatam Domum communi Capitulo, sicut generali Consilio totius Ordinis decretum est, episcopali autoritate corrigendam, et in proposito Cartusiensi in perpetuum conservandam concedo. Decernimus etiam quod si postea prædicta Domus a suo Proposito ad aliud Propositum, quod Deus avertat, aliquando se transferre tentaverit, vel Prior, vel persona quælibet ipsius Domus, vel etiam tota Domus obedire prædicto Capitulo noluerit ; nisi infra XL dierum spatium prædicto Capitulo digne satisfecerit, sententiæ Excommunicationis tam nostræ quam totius Capituli subjaceat. Secundum harum etiam formam literarum, cæteræ Domus Ordinis nostri, ab Episcopis et Archiepiscopis in quorum diœcesi sitæ sunt, literas acceperunt, et Domui Cartusiæ servandas tradiderunt. »

Basilius obedientiam promittit.

Præsente Gaufrido Episc. Gratianop. et consentiente.

Propriis Episcop. aliarum domorum consensum præbentibus.

Et revera ad majorem eorum fidem in antiquo Cartusiæ Cartulario, quod ultimo incendio periit, extabant (ut ex ejus repertorio quod etiamnum asservatur constat) Literæ Guillelmi episcopi Vapincensis, per quas Durbonensem cartusiam suæ diœcesis submittit communis consilio Capituli corrigendam. Erant ibidem et Literæ a Petro Massiliensi episcopo

ANNUS 1155

Chron. ms. Cart. Montis Dei.

in gratiam Domus Montis Rivi concessæ. Chronicon quoque Montis Dei similes a Samsone Remensi archiepiscopo in gratiam ejusdem Domus datas fuisse asserit. Unde patet quantum Ordo Cartusiensis debeat Dominis Præsulibus, qui primorum Patrum moti sanctitate, Domos prius sibi subditas a sua jurisdictione immunes fecerunt. Quæ immunitas etsi a Summis Pontificibus postea approbata et amplificata fuerit, nihil de reverentia qua eis sumus obnoxii minuere debet. Præterea forma obedientiæ a Prioribus communi Capitulo præstitæ tria continet juri consentanea, videlicet quod dicto Capitulo tanquam Superiori reverentiam exhibeant, ejus suscipiant mandata, ac judicium subeant. Simile obsequium Capitulo generali Priores recens electi et confirmati promittere tenentur. Et revera etiamnum quando prima vice adsunt Comitiis promittunt, neque ab hac obtemperatione eximuntur Matris Cartusiæ Priores. Denique ex his quæ de Capituli generalis exscripsimus origine, colligimus hæc prima Ordinis Comitia non citius præsenti anno fuisse celebrata. Siquidem Humbertus Majorevi, et Bertrandus Montis Rivi Priores, quorum fit mentio, superiori tantum anno præesse cœperunt. Observandum etiam est Alionis Domum ibidem designatam, eamdem esse, quæ ad distinctionem cartusiæ Allionis aliquot post annis erigendæ, Angionis nomen deinde habuit. Quæ vero Domus Montis Violæ appellatur, in codicibus paulo recentioribus et in Statutis tempore nostri Francisci Puteani editis, indicatur alia non esse a Valle Sanctæ Mariæ, quam Pontius Prior, qui Conventui generali interfuit, ultra triginta annos sapienter moderatus est. Sed ad præfata Acta redeamus, quæ Capituli generalis originem et formam sic prosequuntur :

Distinct. 93. gloss. in cap. 1.

Stat. An. p. 2. c. 5. et No. Coll. p. 2. c. 3.

Probatur hoc anno celebratum.

Ex Cartul. Majorevi et M. Rivi.

Ex instrumentis cart. Angionis.

Ex mss. Cart. Val. S. Mariæ.

CÆTERI PRIORES SE ET DOMOS SUAS SUBMITTUNT CAP. G.

IV. « Sed et alias literas singuli Priores de suis Domibus ibidem servandas detulerunt, communem omnium Fratrum suorum assensum continentes. Quarum literarum iste est modus : Patribus* et Dominis Reverendissimis Basilio Cartusiæ Priori, et qui sub ejus regimine Christo militant Fratribus, Portarum Fratres universi, salutem et pacem in Domino

* *Al.* Fratribus.

sempiternam. Quod tandem assensum præbuistis, ut ad Domum vestram, quæ nostri Propositi mater est et origo, nostræ et cæterarum Domorum Priores, opportuno sicut statutum fuerit tempore conveniant, vobiscum de his quæ ad utilitatem et stabilitatem Ordinis nostri pertinere videntur diligentissime tractent, non solum concedimus et laudamus, sed etiam cum ingenti gratiarum actione suscepimus. In omnibus igitur quæ ad tenorem et confirmationem Ordinis nostri pertinent, sicut communis Capituli consilio decretum fuerit, concedimus et tradimus Domum nostram eidem Capitulo in perpetuum corrigendam et conservandam. Capitulo igitur singulis annis in festivitate B. Lucæ collecto, præsentibus universis tam Prioribus totius Ordinis, prout fieri poterit, quam Cartusiæ Monachis, auditis atque diligenter ventilatis quæstionibus quæ ibi subortæ fuerint, Prior Cartusiæ assumptis quatuor Prioribus, duobus citra Rhodanum et duobus ultra consistentibus, necnon quatuor e Monachis Cartusiæ, in partem secedat, ibique prout pietas et justitia dictaverit, auditas quæstiones terminabit, et quidquid ab ipsis diffinitum fuerit, ratum ac stabile permanebit. »

ANNUS 1155

Capitul. gen. die S. Lucæ celebrandum.

His igitur temporibus Capitulum generale die S. Lucæ Evangelistæ sacra apud nos celebrabatur, sicut apud Cistercienses, qui eodem tempore, sive « mediante mense Septembri » ut habet Robertus de Monte, omnes Abbates apud Cistercium congregabant, « quatenus negligentiæ, quæ omnino nequeunt evitari, emendarentur. » Postea præsidente Jancelino, horum Comitiorum celebratio anticipata est et revocata ad Dominicam diem post Pascha quartam, ut modo fit. Id vero ex Statutis ab eodem Jancelino collectis discimus, sic enim legimus : « In generali Capitulo feria secunda post Primam, Missa *de Spiritu Sancto* tam in Cartusia quam in cæteris Domibus Ordinis celebratur, Dominicale *Kyrie eleison* dicitur . . . . Primum *Alleluia, Surrexit ;* secundum, *Veni Sancte Spiritus, etc.* » Cum igitur primum hujus Missæ *Alleluia* denotetur *Surrexit,* hinc fit manifestum Capitulum generale jam tunc fuisse celebratum ante Ascensionem.

Rob. de M. de Immutat. Ord. Mon. c. 1.

Quando post Pascha cœpit teneri.

ANNUS 1155

Forma vero electionis Diffinitorum superius annotata perseveravit usque ad tempora Bernardi de Turre, Cartusiæ et Ordinis moderatoris; tunc enim cœpit mutari, ut suo loco dicemus.

Vid. an. 1253.

ORDINATIONES HUJUS CAP.

V. Denique in præfatis Actis post Capituli generalis formam, inserebantur *Ordinationes* ab eodem promulgatæ sub Decretorum per capitula distinctorum nomine, ut sequitur: « Hujus universalis Capituli Decreta per singulas distinctiones placuit annotare. Primum omnium capitulum hanc habet continentiam : ut divinum Ecclesiæ Officium prorsus per omnes Ordinis Domos uno ritu celebretur. » Idem sancitum fuerat sub sancto Antelmo, ac postea Antiquis Statutis insertum, et in Chartis capitularibus sæpissime repetitum.

1. De officio divino eodem ritu celebrando.

Stat. An. p. 2. c. 3.

« Secundum capitulum est, pergunt Acta, ut neque Priori Cartusiæ, neque cæteris quibuslibet Prioribus, his omnibus quæ vel ad divinum Officium, vel ad cæteras quaslibet hujus Religionis consuetudines pertinent, sine communi Consilio generali demere aliquid, mutare, vel addere licitum sit. » Eadem etiam prohibita fuerant sub S. Antelmo, et etiamnum observantur ; ita ut nullus quantulamcumque mutationem facere audeat sine licentia Capituli generalis, nec ipse R. P. Prior Cartusiæ tanquam privata persona, sed tantum ut potestatem habens Capituli generalis, quæ super annum ab ejusdem Capituli institutione ad eum semper devoluta fuit, ut ex decretis quæ in Comitiis S. Antelmo sedente habitis promulgata sunt, videre est.

2. Nihil mutandum sine consilio Capit. gen.

« Tertio capitulo statutum est, ut neque concordias neque aliena placita suscipiamus ». Idem habetur in modernis Statutis quæ præcipiunt : « ut nullus nostri Ordinis in se tanquam judex vel arbiter, lites et negotia aliena suscipiat proprio motu. » Et recte quidem, nam juxta Apostolum « nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus. » Nec secundum sacros Canones monachus potest esse judex, vel advocatus, vel arbiter, sine licentia Abbatis, et quidem pro monasterii negotiis : nam seculares causas, etiam jubentibus Episcopis non potest agere. Quod Nostri tam stricte et scru-

3. Aliena placita non suscipienda.

Nov.Coll. p. 2. c. 3.

II. Tim. 2.

16. q. 1. c. 19. adjicimus et seqq. in gloss.

pulose ad literam observabant, ut etiam jubente Summo Pontifice cui omnimoda debetur obedientia, aliquando recusarint hujusmodi negotia in se suscipere, ut experiemur in facto S. Thomæ Cantuariensis.

ANNUS 1155

« Quarto quoque capitulo prohibetur ne aliquis Monachorum amplius equitet absque licentia Prioris Cartusiæ, nisi cum ad Capitulum generale convenerint. De Fratribus vero quos Conversos dicimus, equitando non nisi unus foras mittatur. Cum autem necessitas, illo nondum regresso, alios mitti postulaverit, qui missi fuerint pedes eant. Quando autem sagmarii ab ipsis Fratribus foras pro aliquibus deferendis oneribus ducuntur, eos ab ipsis sagmariis deportari, quamdiu sine onere fuerint, permittimus. » Hæc iterum anno sequenti prohibita sunt, et tamdiu observata, quamdiu bona extra terminos possidere non licuit. Quid sit « sagmarius », explanatum habes libro primo horum Annalium in observationibus ad Guigonis Consuetudines. In Antiquis Statutis impressis, et in multis Codicibus Mss. legitur « saginarius » ; nec tamen hoc mendum ibidem primum reperiri propterea dicendum, ut credere videtur doctissimus Cangius. Imo ex vetustioribus exemplaribus Vitæ Heliogabali a Lambridio scriptæ, ubi dicit legi « sagmarius, » constat sæpius editum fuisse « saginarius, » ut testatur Turnebius. Sic etiam legit Erasmus criticus ille inexorabilis, sic ediderunt Henricus Stephanus et Robertus, a Vossio propterea correctus. Hujus itaque erroris autores censendi non sunt, qui Statuta vel scripserunt vel ediderunt. In citatis vero et multis aliis Statutorum nostrorum vetustioribus codicibus « sagmarius » legimus.

4. Nullus equitet sine licentia.

Sagmarius quid.

Cang. Glossar. in verb. Sagmar.

Turneb. adversar. l.3.c.7.

Vossius Etimol. ling. lat.

« Quinto capitulo prorsus inhibemus ne aliquis nostrum ad opus alicujus, qui nostri Ordinis non fuerit, res aliquas emere, vendere, vel cambire amodo præsumat. » Hoc decretum aliquam habet cum tertio consonantiam, quo nostris prohibetur ne se immisceant alienis negotiis. Et idem reperitur in modernis Statutis, cum aliqua restrictione.

5. Non se immiscend. alienis negotiis.

Nov.coll.ubi sup.

VI. « Sexto capitulo cautum esse volumus, ne aliquis

ROMANA CURIA NON ADEUNDA SINE LICENTIA.

ANNUS 1155

Cum Episc. non morandum.

nostri Ordinis Romanam Curiam adire, nisi communis Capituli consilio, amplius præsumat. Cum Episcopis quoque aliquem nostrum amodo habitare omnino prohibemus. » Hactenus primi Capituli generalis Acta.

Hujus decreti ultima pars est intelligenda de Episcopis, qui non sunt nostri Ordinis. Nam Episcopis Cartusiensibus semper licuit aliquem e Nostris secum retinere. Et ipse S. Antelmus qui eidem Capitulo aderat, factus postea episcopus Bellicensis, Cartusiensem Monachum vel Conversum semper secum habuit. Idem etiam legimus fecisse sanctum Hugonem Lincolniensem, et plures alios.

Quod vero in priori ejusdem decreti parte prohibitum sit, ne aliquis nostri Ordinis Romanam Curiam adire præsumat, nisi prius habito communis Capituli consilio, id videtur sancitum propter illos Monachos, quos ante sex annos vidimus ad Summum Pontificem recurrisse, et post obtentam ab eo absolutionem impune rediisse. Hæc autem ordinatio anno sequenti renovata fuit et ampliata, ut legimus in Actis Capituli generalis quæ sic habent : « Sancitum est ut si quælibet Domus aut aliqua persona Ordinis nostri, a Romana Curia per se vel per alium, literas contra instituta communis Capituli postulaverit, a societate totius Ordinis separetur, nisi per idem commune Capitulum reconcilietur. » Et inferius in eadem Charta : « Nulla omnino Domus pro suo aut alieno negotio, ad Personam Domini Papæ scribere præsumat, sine consilio communis Capituli. » Quæ quidem accurate ac severe observata sunt usque ad Clementis quarti tempora, cui placuit modum aliquem huic decreto adhibere, ab ejus observatione Domos Majoris Cartusiæ et Trisulti eximendo, ut ibidem fusius exponemus ; semper memores tale et similia ab Ordine emanata decreta defectui reverentiæ minime esse tribuenda, ut non semel expressum est, maxime libro horum Annalium primo. Quod etiam de aliis Ordinibus sentiendum est, apud quos idem reperitur prohibitum, ne sui sanctæ Sedi Apostolicæ fierent molestiores. Hæc enim prohibitio nobis erat communis cum Grandimontensibus teste ejusdem

Ordinis monacho, qui cum Simone Montis Dei Priore ad Henricum Angliæ Regem missus a Summo Pontifice, cum rogaretur ab eodem Simone ut Legationis seriem Papæ scriberet, respondit « quod in Ordine suo inhibitum erat ne quis Fratrum pro aliquo negotio Papæ scribat. » Hactenus de forma et Actis primi Capituli generalis sub Basilio instituti.

ANNUS 1155

Vid. an. 1169.

VII. Hoc præsens Capitulum, respectu alterius sub Sancto Antelmo congregati, non absurde quidam generalissimum dixerunt, quod ei omnes totius Ordinis Priores uno excepto interfuerint; unde et velut primum cunctorum Capitulorum generalium illud semper habuimus, et eo maxime quod ab ejus celebratione ad hæc nostra tempora, hujusmodi Comitia singulis annis, sine ulla alicujus anni interruptione celebrata fuerint. Diu etiam Cluniacenses, Cistercienses, Præmonstratenses et quidam alii, Capitulum generale quotannis convocarunt; quod ubi cœperunt intermittere, cœpit et inter eos pristina titubare observantia. Hanc consuetudinem mutuati sunt Monachi ab ipsa matre Ecclesia, quæ variis in Conciliis præcepit bis in anno per singulas Provincias Episcoporum Concilium fieri. Sed sexta Synodus definivit, ut omni excusatione semota semel in anno fieret. Unde et Concilium Lateranense sub Innocentio III statuit, ut sicut olim a sanctis Patribus noscitur institutum, Metropolitani singulis annis cum suis Suffraganeis provincialia non omittant Concilia celebrare. Monachis vero Benedictinis jubet, ut in singulis Regnis sive Provinciis fiat de triennio in triennium commune Capitulum Abbatum et Priorum, qui non consueverunt tale Capitulum habere, cum Ordo Benedictinus nunquam sub eodem capite, nisi solum in quibusdam regnis et Provinciis coadunatum fuerit. Quantus autem fructus ex frequenti sequatur generalium Capitulorum celebratione, quotidie experimur : ita ut hujusmodi Comitiorum celebratio totius observantiæ regularis basis merito a quibusdam dicatur.

CUR HOC CAPITULUM HABEATUR PRIMUM GENERALE.

Ex mss. cartus. Mont. Dei.

Cur annuum.

18 Distinct. c. Habeatur et seq.

Conc. Later. cap. 6 et 12.

V. Em. Roder. tom. 3. quæst. regul. q. 47. a. 3.

Præterea sicut primi Patres petierunt (ut in prædictis Actis

ANNUS 1155

Semper celebratum in Cartusia.

vidimus) quatenus idem commune Capitulum haberetur in Majori Cartusia, ita ad hoc usque tempus factum est, exceptis duobus aut tribus annis, quibus propter hæreticorum imminentia pericula alibi seculo sexto decimo celebratum fuit, ut suis locis, Deo dante, referemus. Major vero Cartusia jure ad id electa est, tum quia totius Propositi Cartusiensis Mater et Origo est, ut sæpe a Patribus dicta fuit, tum ob Priorum Cartusiæ stabilitatem, qui ab initio fundati Ordinis legem sibi imposuerunt suæ Domus terminos nunquam egrediendi, nisi cogente necessitate inevitabili, vel casu gravis discriminis aut scandali, sicut in ordinationibus Capituli generalis anni 1439 exprimitur; quorum exemplum ideo cæteris Ordinis Prioribus imitandum in Statutis proponitur.

BERNARDUS PRIMUS PORTARUM PRIOR ABDICAT.

VIII. In ipso primo Capitulo generali vel paulo post, Bernardus Protoprior ac fundator Portarum annis et longa pœnitentia fractus, successorem sibi similem eligere voluit, qui Cartusiense Propositum, quod ipse per quadraginta annos et amplius coluerat, foveret, et in eodem splendore ac rigore contineret. Sed hæc audiamus a Vitæ S. Antelmi autore : « Nunc vero, inquit, (post ea quæ ante quatuor annos retulimus) de sequentibus ejus actis sanctis exequamur. Erat tunc in eremo Portarum primus Prior Domnus Bernardus, qui quanti sit apud Deum meriti, quantaque dignus memoria, multa et magna tam in spiritualibus quam in temporalibus sancta ejus testantur opera; loci videlicet et amplissima sufficiensque terræ acquisitio, Domus constructa ac strenue gubernata et abundantissimis bonis referta, Fratrum diligens cura et regularis disciplina, boni mores in tota Domo puraque religio, larga manus in Christo et ad dandum porrecta ; alia et ipse loca non sibi sufficientia crebris ac magnis fovebat beneficiis ? Quædam namque domus sanctæ quæ non stetissent, eo tunc suffragante consistunt. Dabat liberaliter indigentibus maxime religiosis, et quod daretur erat abunde. Hanc autem illi Deus dederat gratiam, ut ab omnibus qui eum vidissent, vel etiam de ipso audissent, miro diligeretur affectu, tam a procul quam in vicino; ita ut

Ejus laudes.

Sub eo pura viguit religio.

ANNUS 1155

etiam in longinquis regionibus, ejus gauderent parere voluntati, quidquid mandaret fieri. Ex multa namque peccatorum turba ejus consilio ad pœnitentiam conversorum innumeri sunt, per diversa longe et prope Religionis loca, eo mandante, locati.

« Hic jam senili ætate gravis, ab exteriorum labore quiescere ut Deo vacaret attentius, simul et indignum judicans qui semper dominaretur, subesse tandem quandoque maluit quam præesse. Deposito itaque Prioris nomine, astute prospiciens vir prudens in Domino, in incerto spem ponere nolens, talem sibi substituere curavit, sub cujus manu diu cum fervore servatus ordo non tepesceret. Quia narrationis series non his taxatis* congrue servaretur, nemo judicet tantum virum suo loco vel paucissimis non inutiliter commendatum ; memoriæ quippe memoriis additæ, vel exemplis exempla non minimum materiæ præstant ornatum atque decorem.

Curat ne tepescat.

* *Al.* tactis.

S. ANTELMUS IN EJUS LOCUM SUBSTITUITUR.

IX. « Elegit ergo præfatus Bernardus Domnum Antelmum, quem prout dignum erat, reverenter petens impetravit. Deductus igitur ac susceptus, qualiter commissa gubernaret, cum sint ejus mores superius expositi, retexere non est necesse. Non tamen est silentio prætereundum, quod Domum bonis abundantem quam plurimis, ex his fœnerando, melioribus studuit cumulare. Nam cum invenisset pecuniæ massam, frumenti quoque et diversi generis annonæ seu leguminum acervos et horrea plena, cogitare cœpit congesta sic manere non esse valitura. Proposuit itaque pecunias ad usuram commodari, frumentum quoque mutuum dari, ne putredine periret aut vermibus ; sed pro veteri novum, etiam cum usura suo tempore reciperetur, ac agricolis traditum seminandum redderent septuplum. Erat autem egestas et inopia magna ; sed instabat tempus messis, et jam carpebant homines de novis frugibus. Sed erat altera quæ supervenerat miseria ; perierat autem messis in montanis illis grandinea tempestate, præter ipsorum Eremitarum agricolarum labores, et quod manducarent quodve seminarent non habebant. Ex quo propendit providus fœnerator propter necessitatem

Inventam pecuniam cum frumento distribuit pauperibus.

ANNUS 1155

grandiori fœnore posse lucrari, ex his quantiscumque non dico majora, sed maxima, nec immerito maluit ea ad usuram tradere, quam venum distrahere. Distracta quippe ad venditorem non revertuntur ; in usura vero tradita, et quæ tradita non fuerant recipiuntur. Extractum igitur frumentum fecit ruricolis distribui, prout videretur, alii plus, alii minus, non ab eis fidem exigens, fidejussorem habens qui non mentitur Deum, certus cum inæstimabili usura se præstita recepturum. Acceptis igitur distributis partibus, pauperes laudavere Deum qui per famulum suum tanta eis beneficia præstitisset, et qui exinde seminaverunt, uberum spe frugum credimus non fraudatos. Deinde post hæc mittens manum ad pecuniam, mille aureos quos invenit, et alia divisit sui Ordinis et aliis religiosis locis. Sic novit fidelis dispensator et prudens Domui suæ fœnerari, sic thesauros indeficientes acquirere : temporalia videlicet congregata dispergendo, spiritualia vero intemerata servando, animarum potius quam corporum doctus quærere lucra. Ornamenta quoque ecclesiæ superflua, aliis qui ipsis indigebant contulit locis; similiter fecit de varia qua superabundabat Domus supellectili. Sed et otio non torpens, exercuit opera sylvarum, quarum magnam habent possessionem, magna strage facta, pratis creandis aperuit latitudinem et agriculturæ patentes reddidit agros; arborum quoque diversi generis copiosum nemus plantari fecit et inseri. Diligebant autem eum Fratres, qui non qualem timuerant, eum habebant, non durum, non asperum, non severum ; mitis erat eis et dulcis eloquio, sermocinabatur cum eis familiariter verbis sancti plenis joci, et singulis arridens, non se quasi Prælatum exhibens sed subditis humiliorem ; Domino Bernardo honorem deferebat, præferens eum sibi; nec minus devoto Christi famulo Joanni, cui advenienti reverenter assurgere nunquam dimisit, etiamsi Episcopi ac Abbates ac quantæcumque adessent personæ. »

Item ornamenta superflua erogat indigentibus ecclesiis.

A Fratribus diligitur.

Bernardo antecessori honorem defert.

Item Joanni monacho.

AN REMISSIOREM DISCIPLINAM INVENERIT.

X. Hactenus Acta, ex quorum verbis, quidam putant innui Portarum Conventum, quando S. Antelmus ad eum regendum accessit, a primævo Patrum fervore tepuisse. At

æquum lectorem rogamus, ut non fastidiat eadem verba nobiscum relegere, quo facilius ex eorum tenore judicet, num potius censendus sit cum suo sancto Priore Bernardo meliora semper a sua fundatione ad hoc usque tempus sectatus fuisse charismata. « Quanti apud Deum meriti fuerit Bernardus, multa et magna tam in spiritualibus quam in temporalibus sancta ejus testantur opera, » inter quæ hæc ab autore recensentur : « Fratrum diligens cura et regularis disciplina, boni mores in tota Domo puraque Religio, larga manus in Christo et ad dandum parata. » In eo statu erat beatus ille Conventus, quando Bernardus « subesse malens quam præesse. . . . . . talem sibi substituere curavit, sub cujus manu, diu cum fervore servatus ordo non tepesceret. » Ergo ibidem non tepuerat, quando S. Antelmus eidem Conventui præfectus est; qui tamen « Domum bonis abundantem quamplurimis...... pecuniæ massam, frumenti quoque et diversi generis annonæ seu leguminum acervos, et horrea plena » reperiens, fecit quod ipse Bernardus, et cum eo Conventus facere solebant. Nam sicut ipse quadraginta annos, quibus præfuit, « alia loca non sibi sufficientia crebris ac magnis fovebat beneficiis, ac quædam Domus sanctæ quæ non stetissent, eo tunc suffragante consistebant. Dabat enim liberaliter indigentibus, maxime religiosis, et quod daretur erat abunde. » Sic et S. Antelmus ab eo non solum ad Prioratum sed ad eadem sancta opera continuanda electus, quia tunc « erat egestas et inopia magna; et quia perierat messis in montanis illis grandinea tempestate. . . . . . . extractum frumentum fecit ruricolis distribui prout videretur, alii plus, alii minus, non ab eis fidem exigens. . . . Deinde post hæc mittens manum ad pecuniam, mille aureos quos invenit, et alia divisit sui Ordinis et aliis religiosis locis, » sanctum suum decessorem, qui eadem ut vidimus præstiterat, imitatus, eodemque spiritu inductus « ornamenta quoque ecclesiæ superflua, aliis qui ipsis indigebant contulit locis; similiter fecit de varia quæ superabundabat Domus supellectili. » Contulit quidem, sed certe eodem suadente Bernardo, imo et toto Conventu consen-

ANNUS 1155

Cons. Guig. c. 37.

tiente. Siquidem Consuetudinibus Guigonis, quas tam accurate Antelmus servabat, cautum erat ne « quid magnum vel grave tractaret Prior, sine omnium monachorum consilio. In levioribus vero rebus et magis consuetis, non suo tantum, sed et maturiorum consilio » uti debebat. Verum licet Portarum cartusia tot abundaret facultatibus, nihil paupertati contrarium acturum se existimavit Antelmus, si eam majoribus ditaret reditibus. Nam « otio non torpens exercuit opera sylvarum, magna strage facta pratis creandis aperuit latitudinem, et agriculturæ patentes reddidit agros ; arborum quoque diversi generis copiosum nemus plantari fecit et inseri » ; ut inde congregatam postea magnam diversi generis annonam, iterum ad Bernardi exemplum, oblata occasione pauperibus erogaret. Sententiam nunc pius lector suam ferat, an Portensis cartusiæ Conventus a pristina disciplinæ severitate defecerat, quando Antelmum suo fundatori et Patri similem sibi Pastorem elegit, ea mente ut « sub ejus, sicut sub Bernardi manu, diu cum fervore servatus ordo non tepesceret. » Transactis in eo regimine quatuor aut quinque annis, in Majoris Cartusiæ solitudinem Antelmus se recepit, e cujus claustro aliquandiu post super Ecclesiæ Bellicensis candelabrum positus est.

CONTINUA FAMILIARITAS PETRI CELLEN. CUM CARTUSIENSIBUS.

XI. Quotidie magis ac magis sancta adcrescebat inter Petrum Cellensem et Gervasium cartusiæ Montis Dei Priorem familiaritas. Petrus sæpe sæpius Gervasium invisebat; et cum uterque suas inter oves residebat, sua suorumque invicem mutuis epistolis studia communicabant. Cumque aliquando Gervasius ad Abbatem misisset, quid quidam e suis sentirent de quibusdam sancti Pauli verbis, tale responsum vir doctus transmisit :

« Suis de Monte Dei suus Petrus Cellensis, a claritate transferri in claritatem. Venerunt filii usque ad partum, et tempus non est pariendi. Manus ad scribendum parabatur, animus ad dictandum, locus ad sedendum, et ecce ventus occupationum nuncii vestri vela occupans navigii nostri, ad portum silentii retorsit. Quid enim ? Nonne jucundius et vo-

luptuosius paulatim vinum bonum, quod servastis usque adhuc per tempus et tempora degustabitur? Etsi enim in transitu desidero vos videre, saltem nolo in transitu scribere. Gustavi et vidi quia bona est negotiatio vestra. Nequaquam manus vestræ in cophinis serviunt. . . . . Hinc est quod non de stupis synagogæ peccatorum grossiora vestimenta animæ vestræ delicatæ apponitis, neque contra legem ex lana linoque vestimenta induimini ; sed abdicantes occulta dedecoris, faciem lavatis, caput ungitis et de velleribus ovium vestrarum venientes ab Aquilone calefacitis, cum etiam de confessione vestræ integerrimæ simplicitatis exempla sumuntur sanctæ Religionis. . . . . . Quam suaviter in impetu spiritus evehor dum vobis scribo, tam ægre fero dum in medio itineris subsistere cogor. Ad quæstionem respondere parco, etc. » Nihilominus postea fusissime ac doctissime respondet ad quæstionem sibi a Nostris factam super hæc Apostoli verba : Renovamini spiritu mentis vestræ. Sed hæc præterimus cum nihil faciant ad nostrum propositum. Cumque per aliquod temporis spatium nullas a Nostris accepisset literas, ad ipsos alias misit, pauca quidem verba continentes, sed pietate et humilitate refertissimas, quibus de illorum silentio amanter querens, ostendit nihilominus quantum in eorum orationibus fiduciam collocaret. ANNUS 1155

« Dominis suis de Monte Dei suus Cellensis, portam atrii interioris penetrare. Etsi apices salutationum a vobis mea humilitas accipere non meretur, mereatur saltem munera orationum. Utrumque quidem si fieri posset, satis gratanter acciperem. Alterum tamen ambitiosius deposco, si ad utrumque non valeo. Lætificarent me literæ si scriberetis ; sed juvant orationes si pro me eas funditis. Insipientia mea indiget bonorum instructione ; infirmitas animæ meæ, devota et assidua oratione. O utinam perspiceretis plagas animæ meæ miseræ et desolatæ in vastitate hostili ! Certe si eam diligeretis, super eam lugeretis. O Domini et Patres carissimi, cur non liberastis animam, quamvis miseram, tamen vestram ? Cur non eruitis de ore leonis jam semipastam ? Cur non Lib. 3. Ep. 5

ANNUS 1155

redimitis sub vinculo captivitatis usquequaque humiliatam ? Sufficiat vobis ad commovendos pietatis affectus recordatio antiquarum miseriarum, a quibus redimit vos qui passus est pro vobis. Ultra extenditur cumulus peccatorum meorum, et nisi Dominus juverit sanctissimis orationibus vestris interpellatus, jam inferno appropinquat. Valete. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1156.

Hadriani PP. IV.	Ord. Cartus.	Basilii Pr. Cart.
Ann. 2.	Ann. 73.	Ann. 6.

ADRIANUS PP. BULLAM DAT IN GRATIAM EXCUB. CART.

I. MILLESIMUS centesimus quinquagesimus sextus surgit annus, Indictione quarta, quo Soffredus cartusiæ Excubiensis Prior a Summo Pontifice quorumdem impetrat pascuorum confirmationem, quæ ab Alberto Domino de Turre et a priore et altera ex ejus uxoribus in gratiam suæ Domus ante aliquot annos obtinuerat. Adriani bulla ex Ecclesiæ Gratianopolitanæ archivis eruta hujus est sententiæ :

« Adrianus, etc. Dilectis filiis Soffredo Priori et universis Fratribus ecclesiæ S. Mariæ Excubiarum Salut. et Apostol. Benedictionem. Justis petentium desideriis facilem Nos convenit impertiri consensum, et vota quæ a rationis tramite non discordant, affectu sunt prosequente complenda. Ea propter, dilecti in Domino Filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, pascua de Cizerino et quædam alia, quæ A. de Turre et consortes ejus vobis in eleemosynam contulerunt, secundum quod in scripto exinde facto et duorum Episcoporum sigillis signato noscitur contineri, vobis et per vos ecclesiæ vestræ autoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, etc. Datum Lateran. sexto Idus Maii. »

PETRUS AB. CLUN. SOCIETATEM INIT CUM CARTUSIEN.

II. Hoc etiam anno S. Petrus Cluniacensis abbas, mortem suam propinquam quasi præsentiens, cupiensque dilectionem

ANNUS 1156

qua sui et Nostri a multis annis inter se devincti fuerant, novo adstringi vinculo quod nullo temporis decursu dissolveretur, eam scriptis consignatisque utrimque literis, renovari obfirmarique studuit. Ipse igitur a suis, sedente Cluniacensis domus Capitulo, obtentas in hunc finem perpetuæ associationis literas ad Majorem Cartusiam detulit, pares ac mutuas a Nostris petiturus. Hujus societatis instrumenta adhuc in antiquo Cartusiæ cartulario asservantur. Cluniacense vero sequentis est tenoris :

Literæ ejus de hac re.

« Ego Frater Petrus humilis Cluniacensium abbas, nota facio cunctis ista lecturis, ea quæ sequuntur. Fratres Cartusienses quam sinceræ et famosæ religionis semper fuerint, innumeris per orbem diffusis miraculis clarum est. Ea de causa a primis promotionis nostræ ad hoc officium annis, et etiam antea, adhæsit anima mea illis, et super omnes religiosæ professionis congregationes, exceptis commissis nobis, semper eos et dilexi et veneratus sum. Non minorem autem ipsi jam ante triginta annos dilectionem, et ubi possibile eis fuit, operis vicem nobis rependerunt. Unde a nobis assensu Fratrum in Cluniacensi Capitulo constitutum est, ut obeunte Fratre Cartusiensis Ordinis, fiat pro ipso apud Cluniacum Officium et Missa in Conventu. Singuli autem sacerdotes unam Missam, alii septem Psalmos, vel septies *Miserere mei Deus* dicant. In cæteris vero Prioratibus Cluniacensis Congregationis Officium publicum cum Missa persolvatur. Statutum est etiam ut nomina eorum postquam defuncti fuerint, post Fratres nostros defunctos in memoriali defunctorum scribantur, tam in Cluniaco quam in cæteris locis nostris. »

Ordo Cartus. miraculis clarus.

Quantum nos Petrus dilexerit.

Hæ literæ sigillatæ fuerant cera alba cum cauda duplici ex corio candido. Et paulo post congregato Capitulo nostro generali lectæ sunt publice, quibus tale responsum Nostri dederunt :

LITERÆ CARTUSIENSIUM.

III. « Nos indigni et inutiles Pauperes, qui in heremo Cartusiæ propter amorem nominis Christi consistimus, et cæteri Propositi nostri Priores cum Fratribus suis, nota facimus posteris ista quæ sequuntur. Domnus Petrus Cluniacensis

ANNUS 1156

Cluniacensium erga Cartusienses affectus.

ecclesiæ abbas, a primis promotionis suæ annis quantum nos dilexit, quanta charitate nobis astrictus fuerit, et nos experti sumus et multis manifestum est. Fratres quoque ejusdem sanctæ Congregationis tam antiquiores quam moderni, ex quo Domus Cartusiæ sumpsit exordium, semper nos dilexerunt, et in Christo Jesu multum venerati sunt, pluribusque beneficiis paupertatem nostram sustentaverunt. Quia indignum est ut ingrati simus, tantæ dilectioni pro modulo nostro, pauci enim numero sumus, aliquid tamen secundum possibilitatem nostram et morem nostrum offerimus. Congregatis siquidem nostri qualiscumque Propositi Prioribus, et recitatis literis quas præfatus Abbas nuper detulerat, ex voluntate et animo et sententia ipsorum, in communi Capitulo constitutum et confirmatum est quod sequitur : Pro Domno Petro abbate Cluniacensi, quando eum obire contigerit, in cunctis nostri Ordinis Domibus, excepto anniversario, et quod in Martyrologio nostro non scribatur, idem et par Officium fiat quod pro Priore vel professo fieri consuevit. Pro cæteris vero totius Ordinis Cluniacensis defunctis, præter privatas orationes, semel in anno generale Officium tam de Missa quam de Agenda in Conventu celebrabitur. Singulis quoque sacerdotibus, pro eisdem defunctis singulæ Missæ ; a non sacerdotibus unum psalterium ; a laicis, trecentæ dominicæ orationes persolventur. Hoc autem observantes, singulis annis ab ipso Capitulo usque ad Natalem Domini expleri injunximus. Pro Domino etiam Vinctoniensi Episcopo necnon pro præfati Abbatis successoribus post obitum ipsorum, generale in Conventu similiter Officium celebrabitur. »

Henricus Episc. Vinctoniensis societatis particeps.

His literis appositum fuit antiquum Cartusiæ sigillum albæ ceræ impressum. Has vero datas esse pendente Capitulo generali non solum ex earum serie constat, dum aiunt : « Congregatis siquidem nostri qualiscumque Propositi Prioribus » ; sed ex ejusdem Capituli Actis in quibus legitur hujus associationis decretum : « Communi assensu decrevimus, quatenus pro Domno Petro Abbate Cluniacensi, quando eum obire con-

ANNUS 1156

tigerit » et cætera, prout habentur in præfatis literis usque ad finem, eisdemque prorsus verbis nisi quod nomen Wintoniensis Episcopi in literis prætermissum, in hoc decreto ponatur videlicet « Ainricus.»

Illud officium quando celebratum apud nos.

Præterea jam tum singulis annis habitum et habendum Capitulum, innotescit ex his earumdem literarum verbis: « Hoc autem observantes, singulis annis ab ipso Capitulo usque ad Natalem Domini expleri injunximus. » Ex quibus etiam verbis conjicimus, quod ex Actis primi Capituli constat, nempe Capitulum generale his primis temporibus celebratum fuisse in S. Lucæ festo. Nam juxta Antiqua Statuta, circa festum B. Lucæ inchoamus Officium pro Cluniacensibus et cæteris associatis. Ipsi vero Cluniacenses idem faciunt annuatim pro omnibus Ordinis personis eodem anno defunctis, quorum nomina a Priore Sellionis Cluniacum singulis annis deferuntur, non vero mittuntur per famulum ut prohibitum fuit per quamdam Chartam Capitularem, in qua sic legimus: « Priori Sellionis injungimus ut quolibet anno portet Breves Ordinis ad Cluniacum in propria persona, non per famulum, juxta Statutum. »

Stat. ant. p. 1. c. 2. 8. et 48.

Ex charta an. 1515.

Tempus associationis discutitur.

Quod spectat ad tempus initæ hujus societatis, colligimus ejus literas hoc præsenti anno datas fuisse, non solum quod hæc associatio in secundo Ordinis generali Capitulo approbata sit; sed etiam quod Henricus Vintoniensis episcopus in eam adscitus, Cluniacum anno tantum superiori se receperit. Unde forsan Majorem Cartusiam cum Petro abbate Comitiorum hujus anni tempore petierat. Ex Cluniacensium literis, ubi Cartusienses dicuntur « non minorem ante triginta annos dilectionem Cluniacensibus rependisse, » posset quis conjicere illas fuisse circa annum 1152 scriptas, triginta scilicet annis post adeptam a Petro abbatiæ dignitatem; verum qui attentius integras literas perleget, designatos triginta annos non Petri regimen, sed tempus a quo Cartusienses singulare quoddam Cluniacensibus exhibuerant obsequium, indicare animadvertet. Nec etiam tardius hoc anno spiritualium horum bonorum inter nos et illos communitas constituta est, si Petrus abbas

Chron. Cluniac.

octavo Calendas Januarii, vel ipsis Januarii Calendis anni proxime sequentis obierit. Ab eo igitur tempore, imo « ex quo Domus Cartusiæ sumpsit exordium », ut loquuntur eædem literæ, ad nostra usque tempora arctissima inter utrumque Ordinem perseveravit amicitia, quam ne temporum lapsu et injuria refrigesceret, sæpe renovare curarunt, ut suis dicemus locis.

ANNUS 1156

IV. Inter præfati Capituli generalis decreta hoc præcipuum legitur : « Statuimus ut de Cisterciensium sive Præmonstrati Ordinibus, propter ipsorum reverentiam et pacem, nulla ulterius persona in nostrum Ordinem suscipiatur. Quod constitutum si quis Nostrum fuerit transgressus, etiam professus expellatur et a toto Ordine separetur. » Sed paucis post annis in alio Capitulo sub Jancelino incerti anni, hujusmodi constitutio revocatur sive potius moderationem accipit. Nam ibidem declaratur, quod « Cistercienses et Præmonstratenses, si fuerint notæ personæ, et idoneæ, et sine infamia, et literas commendatitias habuerint et absolutorias, recipi possunt, non tamen passim et leviter. » Quod quidem semper postea erga omnes Monachos aut Religiosos aliorum Ordinum professos observatum est, sub duabus tamen conditionibus : prima est quod non recipiantur sine Capituli generalis vel Reverendi Patris licentia. Id præsertim legimus sancitum in Actis Capitulorum generalium in Italia schismatis tempore celebratorum : « Incipimus, ut habetur in quadam Charta, hanc constitutionem. De pace et morum concordia nobis et nostro Ordini summo studio providere curantes, perpetuo duximus ordinandum, ne de cætero aliquis in quavis Religione professus recipiatur ad Ordinem nostrum in Monachum, Redditum, vel Conversum, aliqua ratione vel causa, sine Capituli generalis vel Prioris Cartusiæ licentia speciali ; quod si secus attentatum fuerit, sit irritum et inane. » Et in alia Charta : « Ordinamus de cætero quod nulla persona Ordinis per se vel alium supplicet Domno Cartusiæ vel Capitulo generali pro licentia recipiendi personas, quæ prius fuerint in alia quacumque Religione, vel pro cujusquam anticipatione profes-

DECRETO HUJUS ANNI PROHIBETUR CISTERCIENSIUM ET PRÆMONSTRATENSIUM RECEPTIO.

Ex Statutis mss. a Jancellino collectis.

Ex Chart. an. 1388.

Ex Chart. an. 1391.

ANNUS 1156

sionis; quia Ordini non modica incommoda ex his provenerunt. Qui contrarium fecerit, sciat se graviter offendisse. »

Altera conditio est, nullum alterius Ordinis religiosum post suam in nostro Ordine professionem, posse aliquod officium aut qualemcumque obedientiam gerere sine speciali ejusdem Capituli licentia; quod jam fuisse seculo tertio decimo constitutum reperitur his verbis : « Statutum est ne obedientiæ committantur ullo modo illis, qui venerunt de Ordine Prædicatorum, Minorum, et Cisterciensium, nisi de licentia Capituli generalis. » De Mendicantibus postea Summus Pontifex statuit ne ad officia assumerentur, nisi obtenta prius Sedis Apostolicæ facultate, ut alibi dicemus. Statutum vero de Cisterciensibus inseritur Statutis Raynaldi declarantibus : « Professos in Ordine Cisterciensium et consimilium, sine dispensatione Capituli generalis non posse habere obedientiam in Ordine nostro. » Qui vero intelligendi essent per verbum *consimilium,* Patres in Italia congregati sic explicarunt : « Ad intelligentiam pleniorem constitutionis nuper editæ, quæ incipit De pace et morum concordia: Declaramus quod illud quod dicitur in secunda parte Novarum Constitutionum Capitulo secundo Professi in Ordine Mendicantium. . . . . . ibi et consimilium, sub hoc verbo consimilium intelliguntur professi Ordinum sancti Benedicti, Præmonstratensis, Cluniacensis, Grandimontensis Camaldulensis, Vallis Umbrosæ, Cœlestini, Montis Oliveti, Humiliati et cæteri consimiles, qui sub Regula S. Benedicti diversis licet accessoriis observantiis superadditis, ad tria principalia vota regulariter obligantur, quos omnes et singulos in supradicta constitutione nuper edita intelligi volumus et mandamus. Aliis in aliis Religionibus primo professis in statu pristino remanentibus, a quibus excipimus Paulinos, et professos S. Basilii ac Caulitas, quos Cisterciensibus quantum ad hoc fore similes judicamus, etc. » Unde et Franciscus a Puteo : « Declaramus, inquit, quod per illud verbum consimilium, intelliguntur monachi omnes qui militant sub Regula S. Benedicti, ut sunt Cluniacenses, Cœlestini, Præmonstra-

Ex Chart. 1268.

Stat. nov. p. 2. c. 2. n. 9.

Ex Chart. 1391.

Tert Compil. Stat. cap. 4. c. 5.

tenses, Grandimontenses et hujusmodi. » Olim quandoque generales concedebantur licentiæ promovendi ad officia hujusmodi Religiosos, ut colligimus ex citata Italorum Patrum Charta : « Item renovamus omnes et singulas licentias concessas Personis Ordinis nostri in alia Religione primo professis, quæ de officii duntaxat Prioratus, Vicariatus et Procurationis dispensatione loquuntur. Ordinantes quod omnes illi qui de alia Religione venerunt ad nostrum Ordinem, et sunt in officiis Prioratus, Vicariatus et Procurationis permaneant in eisdem, nisi essent alias legitime absolvendi. Et quandocumque aliquem prædictorum absolvi contigerit sine culpa sui, possit ad alia Ordinis Officia juxta tenorem licentiæ sibi concessæ licite et absque alia ulla licentia promoveri. » Nihilominus posthac semper ad Capitulum generale vel ad Cartusiæ Priorem recurrendum fuit, quando quis Visitator vel Prior aliquem ex his voluit ad Officia evehere. Et anno octogesimo nono sexti decimi seculi, novo decreto prohibetur « ne quis imposterum cujuscumque alterius Religionis admittatur in Ordinem nostrum ad habitum Ordinis, nisi cum expresso pacto, quod nunquam promoveatur ad officia Ordinis. Hi vero qui sunt jam recepti ad Novitiatum possunt habere officia, si superioribus illorum visum fuerit; et qui jam habent, possunt ea retinere et ad alia promoveri. »

ANNUS 1156

Ex Chart. 1388.

Ex Chart. 1589.

V. Tribus circiter mensibus post actum Capitulum generale initamque cum Cluniacensibus perpetuam societatem, Petrus eorum abbas sancte obiit, non Calendis Januarii anni sequentis ut quidam posuerunt, sed octavo Calendas Januarii ut legitur apud Robertum de Monte, sive quod idem est, die 25 Decembris hujus anni Natali Domini sacra, ut ex certo fideque digno autore tenemus. Is est Rodulphus monachus ejusdemque sancti Abbatis discipulus, qui in epistola ad Hadrianum Papam hæc de pretioso illius obitu scribit : « Recessit sanctus iste illa hora de corpore, qua credimus Dei Verbum natum de Virgine matre ; et bene hanc ut ascenderet horam elegit, qui Nato descendenti semper humiliter servivit. Nascente ergo Christo virgine de Virgine

PETRUS ABBAS CLUNIAC. MORITUR.

Rob. in Supplem. ad Sigib. an. 1158.

ANNUS 1156

matre in terris, Petrus virgo assumitur in cœlis. » Idem confirmatur ex ejus Epitaphio, ubi in fine habetur :

In Natale Dei, solemnis mane diei,
Mortuus obtinuit præmia quæ meruit.

Post illius mortem beneficium funebre juxta novæ societatis tenorem, per singulas nostri Ordinis domos pro animæ illius refrigerio persolutum est. Quam impense vero nostrum Ordinem ejusque personas dilexerit, cuilibet perspicuum esse potest, tum ex superius redditis ejus literis, tum ex descriptione quam fecit de Cartusiensis Ordinis exordiis, institutis et observantiis in Libro secundo *Miraculorum,* ubi postquam paucis verbis originem nostram enarravit, hæc de nostris Institutis addit : « Qui (nempe S. Bruno et ejus socii) quorumdam antiquorum monachorum tepiditate, negligentia ac desidia prædocti seculo abrenunciare volentes, cautius sibi suisque in via Dei sectatoribus consuluerunt, ac vigilanti oculo, Ordinem contra omnes pene Sathanæ insidias circumspectum instituerunt. Nam ut contra superbiam, quæ juxta Scripturam initium est omnis peccati, et contra ejus nefandam sobolem, invidiam dico, ambitionem et vanam gloriam, ac si qua sunt alia, Ordo ab eis institutus, quantum juxta eorum scientiam homini erat possibile, armatur. » Et cætera quorum explanationem habes primo horum Annalium tomo.

Pet. Clun. lib. 2. de Mirac. cap. 28. de Instit. Cartus.

CARTUSIA BONÆFIDEI FUNDATUR.

Ex mss. ejusdem cart.

VI. Fundatur hoc anno cartusia nostræ Dominæ Bonæ-Fidei in montibus Velauniæ (quæ est Occitaniæ Provinciæ tractus) et diœcesi Vivariensi, ab Anicio seu Podio primaria totius Velauni agri urbe quinque circiter leucis versus sud-est distans, in mandamento de Meseuech et parochia S. Martialis non longe a Ligeris amnis scaturigine. Cum hæc Domus generalem vastitatem ac depopulationem a Calvini sectatoribus subierit, et in miseriæ cumulum, luctuosum nostro seculo passa sit incendium, plerisque illius monumentis tot iniquis casibus deperditis aut depravatis, vix quidquam certi de illius origine asseri potest. Hoc unum constat, Robertum virum

Primi ejus incolæ e Cartusia missi.

sanctum, Majoris Cartusiæ monachum, cum duobus aliis sacerdotibus Joanne et Guillelmo de Forcata, totidemque Conversis Giraldo de Podio-Bosonis et Armando de Sauzet, omnibus ejusdem Domus alumnis, illuc a Basilio missum fuisse ac primum Priorem institutum, non proprio motu aut solo ampliandi Ordinis desiderio (ut alicubi sine ulla autoritate legitur), sed ad quorumdam piorum virorum petitionem, ut par est credere, qui vel nostrum Institutum amplecti vel illud in patriam suam transferre cupiebant. Nullus tamen eorum in notitiam adhuc venire potuit præter Guillelmum Jordani e genere, ut volunt, comitum Tolosanorum, qui cum Maletina uxore sua, viginti tribus annis postquam Robertus et socii ejus sedem posuissent hoc in loco, quidquid infra novæ Domus terminos possidebat generose concessit, ut ex sequenti instrumento a flammis et hæreticorum manibus erepto videre est :

ANNUS 1156

Guillelmus Jordani præcipuus fundator.

« Notum sit tam præsentibus quam futuris, quod ego Willelmus Jordani, pro amore Dei et salute animæ meæ et prædecessorum meorum, donavi et perpetua stabilitate concessi habitatoribus Bonæfidei tam præsentibus quam futuris, mansum. . . . et cætera omnia absque ullo retentu, quæ infra terminos eorum jure hæreditario possidebam, etc. Quæ omnia laudavit uxor mea Matelina anno Domini MCLXXVIIII. Hæc dona feci in manu Roberti Prioris Bonæfidei, Armando del Sauzer præsente, ejusdem Domus Converso, et aliis. » Etsi Guillelmus nomen fundatoris in his literis non usurpet, illud tamen a Patribus ei datum fuisse discimus ex aliis literis, ab ejus filia Philippa septuaginta post annis in gratiam ejusdem Domus concessis tenore quo sequitur : « Universis præsentes literas inspecturis, Philippa comitissa Valentinensis salutem et rerum notitiam subscriptarum. Ad universitatis vestræ notitiam credimus pervenisse, qualiter a sancta Domo Cartusiensi quæ divinis exercitata virtutibus vitam æternam redolet, examen pium Fratrum ejusdem Domus sive Religionis quondam avolavit in locum qui dicitur Bonafides, ubi in alto positi inter con-

Philippa illius filia benefactrix.

ANNUS 1156

cava montium, cum admodicum terram possint respicere ob altitudines circum adjacentium montium, cœlestium beatitudinem liberius contemplantur, et intus in arcto reclusi velut apes in alveolo, jejuniis, vigiliis et orationibus cœlestis mellis dulcedinem non desinunt operari. Cum igitur servi Dei in dicto loco degere non valeant, nisi nostris et aliorum vicinorum Domus ipsius suffulti subsidio et eleemosynis; Nos sequentes vestigia viri nobilis et venerabilis Guillelmi Jordani patris nostri, qui quondam fundator extitit dictæ Domus secundum quod asserunt ipsi Fratres; ut ejus animæ misereatur et nostræ ac omnium nostrorum successorum Ille qui præest principibus orbis terræ, cui cœlestium, terrestrium et infernorum genua flectuntur, per quem Reges regnant et Principes jura decernunt, cui servire intendimus, et sui * Nominis titulos ampliare, ac etiam peccata nostra redimere, cum Dei ecclesias et personas ecclesiasticas ejus intuitu donis augemus et pio favore tuemur; prædictæ Domus Fratribus, et per eos Guillelmo Dal Conac Priori ejusdem recipienti nomine ipsius Domus, non coactæ, non deceptæ, non dolo seu machinatione alicujus ad hæc motæ, sed mera et spontanea voluntate donamus pure et simpliciter ac inter vivos, ac tradimus vel quasi tradidimus omnes res et omnia jura quæ habemus vel habere debemus in loco. . . . Acta fuerunt hæc in nemore sito super ecclesiam superiorem dictæ Domus Bonæfidei inter duas aquas, anno MCCXXXXVIIII, tertio Calendas Octobris. »

* *Al.* nostri.

COMITES VALENTIN. FUNDATORIS SUCCESSORES.

VII. Mortuo Guillelmo fundatore, Matelina uxor ejus alteras nuptias (si credimus nostro Molino) iniit cum Guillelmo Valentinensi comite, qui cum ea ratum habuit quicquid ipse fundator concesserat. Philippa vero ejus filia et hæres (teste eodem Molino), Ademaro præfati Guillelmi comitis Valentinensis ex priore conjuge filio nupsit (quod Duchenius ignoravit). Asseritque idem autor suo tempore ante incendium Domus, binas extitisse literas annis 1198 et 1201 datas, quibus Ademarus et Philippa pascua per totam terram suam et alia bona contulerant. Ex Philippa mihi vi-

Molin. hist. ms. Ord. Cart.

Duchen. in Valentinens. Comit. genealog.

detur natus alter Ademarus qui maritus fuit Floriæ de Bellojoco, Poletensis Parthenonis nostri Ordinis fundatorum filiæ. ANNUS 1156

Alii Fundatores et Benefactores.

Post Guillelmum Jordani, tanquam alter fundator agnosci potest Raymundus, Raymundi V et Constantiæ filiæ Ludovici Crassi Regis Franciæ filius, Dux Narbonæ, comes Tolosæ ac Marchio Provinciæ, qui Bonæfidei ecclesiam suis sumptibus ædificavit, eique multa privilegia largitus est ex quibus unum adhuc extat, quo declarat se « omnes res illius loci in securitate nostra, protectione et ducatu recepisse, quia, inquit, Domum illam et omnia bona ipsius tanquam nostra diligimus, et ecclesiam ibi de nostris eleemosynis propriam facimus ædificare. » Obiit Raymundus circa annum 1222. Inter primarios Benefactores annumerantur qui sequuntur: Nicolaus episcopus Vivariensis, qui anno 1179 communi consilio et sui Capituli assensu hanc Eremum a decimarum solutione exemit. Odo de Chaponay Valentinensis præsul, dedit, laudavit et in perpetuum concessit, ut omnes et jumenta Domus Bonæfidei per civitatem Valentiam et omnem terram quam Episcopatus jure possidebat, sine omni exactione liberum transitum haberent. R. episcopus Biterrensis et Rocelinus Dominus Massiliensis sequentem fecerunt donationem :

Ex mss. ejusd. Cart.

« Ego R. Dei gratia episcopus Biterrensis, et ego Rocelinus Dominus Massiliæ, et Vicecomes, pro anima patris nostri et matris nostræ et fratris nostri Berthali et Willelmi Grossi, et in redemptionem animarum nostrarum donamus et concedimus in perpetuum Deo et B. Mariæ et Domui Bonæfidei, viginti libras piperis minutim, quas donamus et concedimus super portum Massiliæ censuales, etc. »

Alphonsus (sive Ildefonsus), Rex Arragonum, cartusiæ Scalæ Dei fundator, comes Barcinonæ et Marchio Provinciæ, donum fecit de lesdis, pedaticis, quidaticis, et aliis usaticis. Datis literis Massiliæ mense Martio anno 1193. Similiter Delphinus, comes Claromontis sive Arvernensis, a pascuis et pedagiis Domum hanc exemit. Bertrandus Melgorii comes, qui dedit quinque summadas salis annuatim solvendas, videtur esse nepos Raymundi Melgoriensis comitis, qui circa

ANNUS
1156

Extat tom. 9. Spicileg. Lucæ Dacherii.

annum hujus seculi decimum in Terram Sanctam pergens, suum condidit testamentum quod habetur nono Spicilegii Lucæ Dacherii tomo. Guillelmus Dominus Montispessulani, suo testamento anno 1211 scripto, huic Domui hoc legatum fecit : « Volo, inquit, et statuo quod hæres meus in perpetuum donet monasterio Bonæfidei, quod est de Ordine Chartrossæ in episcopatu Vivariensi, inter Natale et Carnisprivium annuatim, unam summatam piscium salsorum pro anima mea. » Hic Guillelmus fuit alterius Guillelmi Domini Montispessulani et Mathildis Emmanuelis Imperatoris Constantinopolitani filius.

Benefactores ex Chartis Capitular.

[a] Ex Chart. 1493.
[b] Ex Chart. 1496.
[c] Ex Chart. 1500.

Alios præterea reperimus Benefactores in Capituli generalis Chartis, quorum hæc sunt nomina : Nobilis Catharina Salverge[a] uxor Domini de Paici, aliter de Lezonis, magna Bonæfidei benefatrix, habens plenum cum Psalteriis monachatum in hac Provincia, et Anniversarium sub 3 Martii. Joannes Perello[b] magnus etiam benefactor dicitur. Potens Dominus Carolus[c] de Borbonio et Dominus d'Aubigny, Fundator Domus Bonæfidei appellatur, sive ex Bonæfidei Fundatoribus ; hic autem videtur filius esse Petri ducis a Borbonio, qui vivente patre obiit juvenis. Sebastianus Dolesorgne[d], et Catharina Lays[e]. Dominus Petrus Bruni[f] sacerdos, et Joannes Cellaleri[g].

[d] et [e] Ex Ch. 1503.
[f] et [g] Ex Ch. 1521.

JESU CHRISTI

ANNUS 1157.

Hadriani PP. IV	Ord. Cartus.	Basilii Pr. Cart.
Ann. 3.	Ann. 7.	Ann. 74.

I. ANNUS sequitur Redemptoris millesimus centesimus quinquagesimus septimus, Indictione quinta, quo S. Antelmus Portarum tunc Prior, insigne suæ erga afflictos pietatis exemplum præbuit, quod ab illius Vitæ autore his verbis describitur : « Pietas ejus in afflictos quanta fuerit, compassio super tribulatos, postremo liberalitas ad omnes tam magnos quam minimos, unum, quod subjicere arbitror non indignum facti exemplo, potest adverti. Eo tempore Lugdunensem urbem Comes Forensis dolo captam vastavit, cuncta depopulans, in Ecclesiam rabiem suæ malignitatis exercens, Clericorum domos subvertens, ipsis Deo salvatore evadentibus ; qui tanquam fugitivi et exules (Dominus Eraclius archiepiscopus et cæterarum dignitatum venerabiles personæ) Portas cum adiissent, ubi de magnis consulturi venire consueverant, post acceptam absolutionem vir magnanimus et fortis in Domino Prior Antelmus addidit dicens : Nolite Domini mei errando vagari, vel alibi divertere, sed hic manete. Verumtamen si pro negotiis vestris egressi fueritis, huc redite ; nos enim vos, absque equitaturis, presbyterosque vestros et Clericos, quamdiu necesse fuerit procurabimus, quod et nobis gratum vobisque non erit inhonestum. Euntibus igitur et redeuntibus, quibusdam sedulo manentibus, largis impensis alacri cum gratia sunt victus necessaria diligenter administrata,

PIETAS S. ANTELMI TUNC PRIORIS PORTARUM IN AFFLICTOS.

Clerum Lugdunensem hospitio accipit.

ANNUS 1157

donec brevi non sine grandi miraculo Dei nutu expulsis hostibus et turpiter fugientibus, Clerici redirent ad propria. » Hæc ibi. Annus quidem ab autore non ponitur; sed hæc acta fuisse hoc anno exeunte et ineunte altero, conjicimus ex Petri de Marca postea Parisiensis archiepiscopi dissertatione, ubi Heraclii fugæ occasio his verbis exponitur: « Fridericus collatam a decessoribus suis post adjunctum Imperio Arelatense regnum, donationem jurium regalium tam in urbe quam in ejus agro trans Ararim, confirmavit anno 1157 jussitque ut Heraclius archiepiscopus Lugdunensis, Exarchon et summus Princeps Palatii Burgundiæ nuncuparetur. Concessit ergo Heraclio, ut edicti verbis utar, totum corpus civitatis Lugdunensis et omnia jura regalia per omnem archiepiscopatum citra Ararim (loquitur habita ratione, ubi tunc consistebat), in omnibus rebus quæ in Lugdunensi episcopatu ad Imperium pertinent. Guigo Lugdunensis et Forensis comes ægre tulit hanc donationem, belloque illato Archiepiscopum Lugduno expulit et ad cartusiam Portarum aufugere coegit, ut notat quidam scriptor illius ætatis apud Surium. » Hactenus Petrus Marca. Privilegium vero cujus meminit extat apud Sammarthanos in Archiepiscopis Lugdunensibus sub Heraclio, datumque est Arbosii præsenti anno, decimo quarto Calendas Decembris.

Quo anno hæc acta.

Pet. de Marca, de Prim. Lugdun.

FASTREDUS ELECTUS ABBAS CLAREVAL. AD CARTUSIENSES AUFUGIT.

II. Mortuo, tertio Calendas Maii hujus anni, Roberto Clarevallensi abbate qui S. Bernardo successerat, ad ejusdem abbatiæ regimen accersitus est Fastredus, tunc primus abbas Camberonensis. At ille honorem oblatum detrectans, ad Engelbertum Vallis S. Petri Priorem ac virum sanctum aufugit, in ea se cartusia in abscondito faciei Dei absconsurus. Sed quid ibi illi acciderit, narrat Herbertus Turrium Sardiniæ Archiepiscopus, autor coævus, his verbis : « Venerabilis ac piæ memoriæ Fastredus, quondam Cistercii abbas, vir eximiæ sanctitatis, nobilis quidem genere, sed morum elegantia nobilior fuit... Hic dum esset abbas Camberonensis, decedente piæ memoriæ Domno Roberto qui sancto Bernardo successerat, electus est ad regimen Clarevallis. Ad quam tamen

Herbert. de Mirac. lib. 2. cap. 25.

electionem venire dissimulavit, quamvis ex nomine vocaretur. Timens utique ne hoc illi accideret, quod semper accidere verebatur. Verumtamen antequam Legati Clarevallenses ad eum requirendum pervenire potuissent, garrula fama prævolante cognovit quia in ejus personam omnes unanimiter convenissent. Hoc itaque rumore turbatus et anxius fugam arripuit, veniensque ad Domum Vallis S. Petri, quod est monasterium Ordinis Cartusiensis, per dies aliquot ibidem latitavit : ubi cum die noctuque in oratione persisteret, factus est in mentis excessu ; et ecce apparuit in magna gloria Virgo puerpera, Domina Angelorum, portans in manibus Regem gloriæ, parvulum suum Jesum. Quam cum ille vidisset, procidit ad pedes ejus, obsecrans ut sui misereretur. Cui Beata respondit : Quid turbaris, o homo ? et imponens ei in ulnas suas, veluti alteri Simeoni, nobilem illam sarcinam quam gestabat, ait : Accipe filium meum, et serva mihi illum. Quo facto sublata est visio ab oculis ejus ; et rediens ad seipsum intellexit quoniam a Domino egressus est sermo, et quia vere filii Dei et membra Christi essent qui ejus providentiæ committebantur. Hac igitur tam læta visione præmonitus, jam non est ausus ultra recalcitrare, ne videretur ordinationi Dei velle resistere. » Hactenus Herbertus. Fastredus itaque e Valle S. Petri exiens, Claramvallem se contulit, ubi studuit strenui abbatis partes exequi. Deinde factus etiam abbas Cistercii, cum sanctitatis opinione decessit anno 1163 11 Calendas Maii, cui Parisiis morienti Alexander Papa extremam ministravit unctionem, Ludovico VII præsente.

ANNUS 1157

JESU CHRISTI

ANNUS 1158.

Hadriani PP. IV Ann. 4.	Ord. Cartus. Ann. 75.	Basilii Pr. Cart. Ann. 8.

BERNARDUS OLIM PRIOR ET FUND. PORTARUM MORITUR.

I. ANNUS Redemptoris millesimus centesimus quinquagesimus octavus sequitur, Indictione sexta, ad quem referendus videtur Bernardi primi Portarum Prioris et Fundatoris obitus, non vero ad annum 1153 ut quidam posuerunt. Cum enim constet ex dictis anno superiori et præcedentibus eumdem Bernardum adhuc adfuisse primo Capitulo generali sub Basilio ante tres annos habito; et sanctum Antelmum eo superstite Portas rexisse eo tempore quo Heraclius Lugdunensis archiepiscopus suam urbem deserere coactus fuit, exeunte videlicet anno superiori; hinc ipsa luce clarius apparet Bernardum non nisi post eumdem annum obiisse. Scio quosdam scripsisse obitum illius in Majorævi Necrologio his verbis designari : « Obiit Bernardus primus Portarum Prior, pridie Idus Februarii anno 1152 »; id est anno 1153 juxta modernum calculum. Istud Necrologium non vidi, neque nunc extare creditur, ut asseruit V. P. ejusdem Domus Prior a nobis de eo interrogatus. Illud tamen non tam vetus fuisse arbitror, ex hoc solum quod annus in eo exprimatur, quod in nullo antiquo Calendario apud Nos observatum vidimus, ubi dies tantummodo obituales solent notari.

V. supra ad an. 1155.

Antea Monachus Amproniaci.

Bernardus ille e pago de Varey prope oppidum d'Ambronay oriundus creditur, qui transactis religiose in Ambroniacensi abbatia aliquot annis, austerioris vitæ avidus Portarum ere-

mum, ut alibi diximus, petiit; ibique nova ac prima post Majorem et Calabrinam Cartusias ædificata Domo, mira per quadraginta et tres annos refulsit sanctitate, assiduis præsertim orationibus ita intentus ut divinis laudibus plena in eo essent omnia, arbitratusque non solum utiliter sibi sed aliis etiam vivendum, partim adhortationibus partim literis innumeros ad vitam æternam inflammavit. Inter quos in primis numeratur sanctus Antelmus, Bellicensis post modum antistes, quem suis piis eloquiis mundo subtractum, sacro Ordinis habitu donavit. Sub ejus quoque regimine alter Bernardus, dictus de Portis, ejusdem postea Bellicensis Ecclesiæ episcopus, Ayraldus Maurianensis Præsul, Stephanus de Chalmeto, Boso qui in sancti Antelmi Vita dicitur mirabilis industriæ vir, et plures alii tum monachi tum laici non vulgaris pietatis floruerunt. Nostrum hunc Bernardum Protopriorem Bernardus ille magnus et sanctus Clarevallensis abbas suavi amicitia complexus est, et singulari honore persecutus, ut jam alibi observavimus, putantque Dorlandus et Molinus eum esse quem S. Abbas in Epistola ad Guigonem et cæteros Cartusiæ monachos, de qua ante viginti quinque annos diximus, « fidelem vocat et religiosum ». Constat saltem non de alio loqui in altera ad Bernardum de Portis epistola, ubi ait : « Dominum et Patrem nostrum, Priorem vestrum cum cæteris Fratribus per te devote saluto. » Ad ipsum vero scribens idem sanctus Abbas, vocat eum reverendissimum Patrem ac Dominum amantissimum, se vero puerum ejus nominat; ejusque in tolerandis injuriis a quodam Abbate illatis, patientiam exaltans ait : « Deo gratias qui dedit vobis non vinci a malo, sed vincere in bono malum, quia non respondistis ei malum pro malo, neque maledictum pro maledicto. » Deinde seipsum deprimens, et orationes nostri Bernardi et Fratrum ejus deprecans, his illos humillimis verbis alloquitur, caracteribus exarandis aureis : « Tempus est ut non obliviscar mei : clamat ad vos mea monstruosa vita, mea ærumnosa conscientia. Ego enim quædam chimæra mei sæculi, nec clericum gero nec laicum », et cætera quæ alibi habentur.

ANNUS 1158

V. an. 1115.

Quantum dilectus a S. Bernardo Clareval.

V. supra ad an. 1123.

Vid. supra ad an. 1150.

ANNUS 1158

Quanti eum fecerit S. Antelmus.

Hæc Sanctus ad Sanctum, imo ad sanctos Portarum Cartusienses ; hoc enim titulo in eadem epistola eos cohonestaverat. Nec mirum si noster Bernardus in tanta esset existimatione apud sanctum Abbatem, cum Vitæ S. Antelmi autor referat « eum Deo et hominibus in longinquis etiam regionibus gratissimum fuisse. » Unde et inferius illum appellat « virum sanctissimum », cui propterea S. Antelmus multam præstabat reverentiam, illum sibi anteponens ; aliaque plura in ejus laudes congerit idem autor, cujus verba superius relata sunt. Nostrum denique Institutum integrum et incontaminatum servari adeo avebat et studebat, ut cum duobus aliis Prioribus a magno Guigone suis precibus obtinuerit Cartusiæ Consuetudines literis mandari, sic ab interitu vindicandas, et in omnia secula, ut a Dei misericordia speramus, apud filios posteros immortali observantia consecrandas, quas ideo legislator noster eidem Bernardo et aliis duobus nuncupavit. Hoc eodem zelo animatus, unus ex eis fuit qui primum Antelmo, deinde Basilio Cartusiæ Prioribus autores fuere, ut commune Capitulum singulis annis teneretur, obtentu tum progressus, tum correctionis et emendationis totius Propositi Cartusiensis.

SUAVES AC DOCTAS EPISTOLAS SCRIPSIT.

Ex ms. Cart. Portarum.

II. Plures epistolas, quarum nonnullæ ob prolixitatem et materiæ præstantiam Tractatus merito dici possent, ad virtutem et ad vitam religiosam adhortantes scripsit, non tantum magno verborum ornatu venustas sententiarumque refertas majestate, sed divinis quoque ornamentis fultas : quarum præcipue habentur ad Falconem decanum Lugdunensem, et ad eumdem jam episcopum factum ; ad Aymonem de Rohieres, ad Raynaldum inclusum, ad Moniales de Lugduno, ad Berlionem Bellicensem episcopum, ad Moniales de Besio, ad Eugenium Papam, ad divum Bernardum Clarævallis Abbatem, et ad Ismionem abbatem Ambroniacensem ; quæ omnium pulcherrima est, in qua declarantur causæ cur monasterium dereliquerit et ad Portarum eremum transfugerit, incipiens in hæc verba : « In montem salvum te fac, ne et tu simul pereas » ; ex his epistolis tres extant ad calcem

Manualis Solitariorum a Petro Francisco Chiffletio editi. Prima ad Aymonem de Varennes et Aymonem de Roheria, de fuga seculi, utrumque Arveriæ Domus benefactorem; altera ad sanctimoniales Lugdunenses monasterii S. Petri Ordinis Benedictinorum, hortatoria ad capescendam magno animo, quam recenter susceperant, regularem disciplinam; tertia ad Raynaldum inclusum, qualiter coram Deo sit vivendum. Ecquis esset Raynaldus ille inclusus accepit Chiffletius ex veteri membrana e Tabulario Domus Majorævi, cui Bernardus Portarum subscripsit, et est talis : Guido de Aranda omnem calumniam quam faciebat Fratribus Majorevi super pascuis eorum dereliquit, juravitque in manibus Raynaldi reclusi S. Raigniberti fidelem eis adjutorem et amicum fore. Et inde habuit tres solidos, duodecim nummos, et septem denarios. Testes Bernardus Portarum, Hugo Procurator Majorevi, et Donatianus monachus Sancti Raigniberti. » Ea Charta sine nota temporis, ut observat laudatus Chiffletius, cum inter testes Hugonem Majorevi Procuratorem subscriptum habeat (quem aliæ tabulæ circa annum 1134 id muneris gessisse significant), vel ex hoc indicio, Raynaldi ad S. Raignibertum inclusi ætatem agnoscas licet; quod et ex ipso Tabularum charactere deprehendere est. Monasterium vero Sancti Raigniberti Ordinis Benedictinorum duabus fere leucis horariis distat a Portarum cartusia.

ANNUS 1158

Pet. Chiffl. in præf. §. 2.

S. ANTELMUS PRIORATUM PORTARUM ABDICAT.

III. Mortuo Bernardo, S. Antelmus in quem ipse onus regiminis Portarum transtulerat, illud quoque abdicans ad Majorem Cartusiam se recepit, ut narratur in ejus Vita quam autor sic prosequitur : « Cum multis se occupatum, atque optatis minus frui posse cerneret Dei servus, vix duorum evoluto annorum spatio ex quo Portas venerat, Prioratum, ad quem reformandæ pacis necessitas et vis compulerat mandati, relinquens, ad cellæ tutum semperque dilectum penes Matrem Cartusiam properavit refugium; ubi licet solitudinem secretumque diligeret, amicorum quos habebat, magnos viros Deum timentes, sæpe ipse grata visitatione ipsique sancta ejus delectabantur collocutione. Audiebatur longe lateque

ANNUS 1158

nomen ejus, et mirabantur omnes ejus constantiam; laudari autem oderat valde, non suam, sed quæ a Deo est quærens gloriam. »

V. an. 1155.

Certe hic autor non satis hoc loco narrationem cum superius dictis videtur connexuisse suam. Prius enim dixerat Bernardum « cum subesse mallet quam præesse, Antelmum elegisse successorem sub cujus manu, diu cum fervore servatus Ordo non tepesceret, » asseveratque « bonos mores in tota Portarum domo puramque Religionem » tum viguisse; at licet inde conventus Monachorum fraterna pace fruitus fuisse credendus sit, nihilominus in citatis mox verbis idem autor inducit Antelmum « ad Prioratum reformandæ », quæ nunquam turbata fuerat, « pacis necessitate compulsum. » Unde patet quam difficile sit quemlibet scriptorem ita memoria valere, quin aliquando quædam inter se vel repugnantia vel non satis cohærentia, in orationem suam incaute aut ex oblivione inserat. Porro qui volunt Bernardum obiisse anno 1153, consequenter scribunt Antelmum circa eumdem annum Prioratum dimisisse, et in solitudine degisse usque ad annum 1163 quo factus est Episcopus. At præfatus Vitæ illius autor loquens de ejus ad Sedem Bellicensem promotione dicit, ut eodem anno videbimus, « non licuisse ei longo tempore absconditum manere » post suum ad Cartusiam reditum, quod certe dicere non potuisset, si decem aut undecim anni effluxissent, inter ejus abdicationem a Prioratu et in Episcopum electionem.

HERACLIUS ARCHIEP. LUGDUNEN. BENEF. CART. MAJOREVI.

IV. Inter hæc dum Heraclius Lugdunensis archiepiscopus, urbe sua, ut anno superiori vidimus, a Comite Forensi expulsus, apud Portas ejusdem S. Antelmi precibus devictus hospitium haberet, ad Majorevensem quoque cartusiam, ecclesiæ suæ Primariis comitatus aliquando divertit, ubi in hospitii pretium, cujusdam ecclesiæ donationem eidem Domui factam, novis literis hoc anno datis, tanquam Apostolicæ Sedis Legatus sub hac sententia confirmavit.

Ex Cartul. ejusd. Cart.

« Eracleus Dei gratia Lugdunensis Ecclesiæ Minister humilis, Apostolicæ Sedis Legatus, Deo devotis Fratribus qui

ANNUS 1158

Majorevum inhabitant, tam præsentibus quam futuris in perpetuum. Postulationes vestras, carissimi, tanto propensiori favore suscipiendas decernimus, quanto ab omni secularium cupiditate declinantes, pro conservanda imposterum vestræ contemplationis quiete vos attentius sollicitos intelligimus. Quia igitur ecclesiam. . . . . . Pontificali autoritate Domui vestræ confirmari supplicatis, ne cujuscumque alienationis occasione vel cohabitatorum frequentia, vel quacumque denique inquietatione quies vestra turbari valeat. Præcipimus itaque, et ea qua fungimur Apostolicæ Sedis Legati autoritate prohibemus, ne cujuslibet alienationis titulo ad quascumque ecclesias vel personas eadem ecclesia transferatur, sed apud successores vestros inconcussa possessione in perpetuum permaneat : tam alienatores quam quibus alienata fuerit, anathematis vinculo innodantes, etc. Testes sunt hujus rei Uldricus Lugdunensis decanus, Girinus senescallus, Petrus Berardi, Stephanus procurator. Factum est hoc anno Incarn. Domini MCLVIII. » Paulo post ipso Comite Forensi et illius furoris participibus Lugduno ejectis, Eraclius cum suis in pristinum statum restitutus est.

QUID DECRETUM HOC ANNO A CAPITULO GENERALI.

V. In hujus anni Comitiis Ordinis generalibus hoc unicum decretum promulgatur : « Statutum est firmiterque sancitum, ne aliqua Domus Ordinis sine consilio Capituli terminos suos crescat, nec aliquo modo personam supra numerum accipiat, nec aliquo modo possessionem per Capitulum prohibitam teneat. Si qua Domus horum trium aliquid fecerit, statuit Capitulum ut Prior et Procurator absque retractatione obedientias amittant. Jussu Capituli ita in scripto redactum est. » Quod quidem Guigonis ingenio valde congruit, qui suis in Consuetudinibus eadem prohibet.

Ex codice ms. Cart. Maj.

GAUFRIDUS ARCHIEPISCOP. BURDIGAL. MORITUR.

VI. Eodem anno moritur Gaufridus archiepiscopus Burdigalensis, « vir religiosus, inquit Robertus de Monte, et verbi Dei seminator egregius. » Cognominatur a quibusdam de Loriello, ab aliis de Oratorio, unde quidam existimant duos esse, quorum alter alteri successit in Burdigalensis Ecclesiæ regimine. Prior, dictus de Loriello, præerat anno 1136 et

Robert. de Mont. in supplem. Sigib.

ANNUS 1158

An fuerit Cartusiensis.

Lib.5.Ep.11.

factus est, ut volunt, Cartusiensis Monachus abdicatis infulis, idque solum videntur astruere ex Petri Venerabilis verbis, ad eum inter cætera sic scribentis : « Venerabili ac præcordiali amico nostro Domno Gaufrido Burdegalensi archiepiscopo, Frater Petrus humilis Cluniacensium abbas, salutem et sincerum affectum. Inter varias pectoris mei curas, ingessit se aliquando cogitatio de amicitia, et quem cui amicum vel præponere vel supponere deberem sollicita perquisivit. Cumque universas animæ latebras perscrutans, abdita universa omni discusso nubilo penetrasset, invenit in amicitia nihil supponendum, pene omnibus præferendum quantum ad se. Illum, illum certe meum Burdigalensem Archiepiscopum, quem non dignitas Pontificalis, non sublimitas temporalis, mihi in spirituali et vero amico sociavit ; sed animus terrena spernens, cœlestibus inhians, mores compti, prudentia singularis, amicitia constans. Et vere Christus ipse ad universa mutui amoris primordia se medium exhibens, indivisibiliter conjunxit. Hoc semper ex quo Cartusiense iter sanctitatem vestram mihi notam fecit, firmissime cordi meo inhæsit, inhæret, et per Dei gratiam perpetuo inhærebit. » Hæc Petrus. Utrum vero sufficiant ad stabiliendam Gaufredi in Ordine Cartusiensi professionem judicet lector. Qui id asserunt successorem ejus nominant Gaufridum de Oratorio, quem Sammarthani non putant alium esse, cum in Burdegalensium Archiepiscoporum tam antiquis quam recentioribus Catalogis, non reperiantur duo ejusdem nominis Gaufredi ; sed etsi concederemus distinguendos esse, non tamen constaret Petri Cluniacensis epistolam unum potius quam alterum spectare ; cum nihil certe circa tempus, quo scripta fuerit, adstrui possit.

JESU CHRISTI

ANNUS 1159.

Hadriani PP. IV	Ord. Cartus.	Basilii Pr. Cart.
Ann. 5.	Ann. 76.	Ann. 9.

I. QUI sequitur annus Redemptoris millesimus centesimus quinquagesimus nonus, Indictione septima, fuit Romanæ Ecclesiæ ob exortum Octaviani schisma valde quidem luctuosus, sed Ordini Cartusiensi ob defensam legitimi Pontificis causam gloriosus. Contigit enim ut hoc anno, Calendis Septembris defuncto Adriano Papa, et paucis post diebus in ejus locum canonice sublecto Alexandro III viro sancto, duo Cardinales Octavianum qui dictus est Victor IV procaciter nominarent. Quomodo vero id factum sit, non est nostri instituti exponere. Inde orto schismate in Ecclesia, Cartusiensis Ordo cognita Octaviani et ejus sectatorum malitia, partes Alexandri veri ac Summi Pontificis contra schismaticos totis viribus adjuvabat, id maxime promoventibus S. Antelmo, tunc solum Cartusiæ monacho, et Gaufredo Domus nostræ Montis Dei quondam Priore. In ejusdem sancti Antelmi actis, autor post verba superiori anno relata rem orditur, ita pergens : « Cum totius boni et recti æmulator esset, quid eum magis commendat, quam catholicæ unitatis constanti animo fidelis æmulatio, et contra schismaticos fortis in Episcopo defensio. Nam cum R. Ecclesiæ Episcopi Cardinales et tota Curia, Alexandrum Apostolicæ Sedi et universali Ecclesiæ Summum Pontificem catholice electum consecrassent, et Octavianus qui primus eum elegerat, diaboli instinctu, ambitione cæcus, Sedem Apostolicam arri-

CARTUSIENSES SUMMI PONTIFICIS PARTES CONTRA SCHISMATICUM TUENTUR.

Excitati verbis et exemplo S. Antelmi et Gaufredi quondam Prioris Montis Dei.

ANNUS 1159

puisset, Ecclesiam, quod execrabilius est, Imperatoris tradens potestati (erat quippe potens et ex magno genere, multos habens fautores); Catholico Præsuli paucis quidem, sed melioribus faventibus, et universa pene anceps vacillaret Ecclesia : Cartusiensis Ordo in Occidentali Ecclesia ante omnes, ut notum est, Alexandrum Papam Catholicum et ei obedire confirmavit. Sed quis hoc fecit ? Antelmus, cum Gaufredo sapienti et egregiæ facundiæ viro atque in Scripturis eruditissimo. Hi sunt qui laboravere, ut diu nutantes confirmati Priores cæterique sui Ordinis, Catholico Pontifici profiterentur obedientiam; sed et quamplurimos ecclesiastici ordinis Prælatos, cum subditis in schismate pronos vel dubios, a devio errore revocantes ad veritatis viam dirigentes confirmaverunt; Alexandrum Catholicum probantes, reprobum reprobantes, reum damnantes, schismaticum cum suis fautoribus execrantes. Imperatori igitur, qui non nisi sua electione Episcopum fieri ambiebat, cujus famulus esse debebat non Dominus, Imperatori inquam, notus factus est veræ fidei cultor et defensor Antelmus, et odio habitus, et ab illo prodito, qui nec maledicere habebat nec benedicere, damnatus. Præcedentibus itaque Cartusiensibus ac Cisterciensibus, Alexander populum Ecclesiarum in partibus Galliæ, Britanniæ, Hispaniæ cito habuit obedientem. Hæc inter cætera idcirco posuimus, ut notum habeatur quanto fervore boni et recti æmulator fuerit servus Dei Antelmus, et glorificetur Deus qui sanctos suos adjuvando glorificat. Gaudebat, sicut præfatum est, secum habitare solitarius, carnis afflictioni, spiritus contritioni, sanctæ meditationi indeficienter intentus. »

IDEM AB ALIIS AUTORIBUS REFERTUR.

Baron. ad ann. 1161.

II. Idem etiam narrat Baronius: « Adhuc, inquit, in opus adeo gratum Deo, indefesso studio incumbebant Cartusiani atque Cistercienses Monachi, de quibus in rebus gestis S. Antelmi episcopi Bellicensis. » Angelicus quoque Manriquez in Cisterciensibus Annalibus eadem commemorat, et præter Vitæ S. Antelmi autorem quem Cartusianum non bene credidit, alterum citat hujus veritatis scriptorem Alber-

tum Stadensem. Hæc autem a Baronio biennio post referuntur; non quod crediderit Cartusienses eodem tantum tempore fuisse partes Alexandri secutos, sed ea narravit occasione sancti Petri Tarentasiensis archiepiscopi, cujus zelum pro legitimo Pontifice ex ejus Vita commendabat.

ANNUS 1159

Præterea constat S. Antelmum, cum hæc in Alexandri causa operabatur, nondum fuisse Episcopum, uti ex eisdem Actis elici potest. At dicet quispiam, quod etiam nobis quandoque objectum est, quomodo monachus Cartusiensis nullo tunc exteriori fungens officio, sed in angulo cellæ delitescens, hæc tanta et talia efficere potuit? aut qui efficere potuit sine silentii et solitudinis damno? Hæc et ejusmodi plura sunt, quæ objiciuntur. Sed in his Antelmus ab omni culpa immunis est, qui ut ista procuraret, laudabilibus non caruit exemplis in Juliano eremita, Aphraate viro sapientissimo, et aliis notissimæ sanctitatis monachis. Nec propterea cellam egressus est Antelmus, sed audiebatur, ut ex ejus Actis jam retulimus, longe lateque nomen ejus, et mirabantur omnes ejus constantiam : et ad tantum opus promovendum utebatur Priorum Ordinis industria, ut ex citatis verbis colligere est, ac præsertim Gaufredi sapientis et egregiæ facundiæ viri, quem credimus fuisse quondam Montis Dei Protopriorem, qui per multos annos inter Majoris Cartusiæ monachos floruerat.

Nicephorus hist. Eccles. l. 11. c. 25.

QUALIS FUERIT GAUFREDUS PRIOR MONTIS DEI.

III. Hujus Gaufredi nomen diverse scriptum legimus : Gaufredus namque et Godefridus a quibusdam nominatus est. Hinc anno 1136 a beato nostro Guigone Majoris Cartusiæ antistite in Protopriorem Montis Dei constitutus, ibidem annis circiter octo cum utriusque status profectu præfuit, a S. Antelmo beati Guigonis post Hugonem successore revocatus circa annum 1143. De illo laudabiliter meminit Petrus Venerabilis abbas Cluniacensis ad Basilium, qui S. Antelmo in regimine Cartusiæ successerat, ita scribens : « Fratrem Gaufredum, qui tanto tempore bonum certamen certavit jamque pene cursum consummavit, ex parte mea, oro ut affectuose salutes, meque nostrosque ipsorum (nempe præfati

Laudatur a Petro Venerabili.

ANNUS
1159

Gaufredi et fratris Petri de Vapingo quem etiam salutaverat) « sanctæ vitæ ac precibus intente commendes. » Ejus sanctitatem non parum etiam commendat familiaritas quam habuit cum S. Bernardo Clarevallensi, qui ejus prudenti administratione ac primorum Montis Dei incolarum fervore illectus, eo aliquando divertit, ibidem in cella hospitatus. Denique postquam Cartusienses, ut diximus, cum Antelmo in fide vero Pontifici debita confirmasset, haud diu post in solitudine Cartusiæ pie decessit. Cujus obitus reperitur in ejus Calendario ad sextum decimum Maii, et ibidem dicitur Gaufredus. Et in Montis Dei Necrologio ad diem præcedentem reperitur tantum his verbis : « Gaufredus primus Prior Montis Dei et professus Cartusiæ » ; quæ verba admodum sterilia simplicitatem Ordinis ostendunt et humilitatem, quæ non sinebat viros quantumvis eximios laudari etiam post mortem. Cum et ipse sanctissimus Patriarcha Bruno nullam habeat laudem in eisdem antiquis Calendariis, in quibus simpliciter dicitur « Magister Bruno ». Hunc Gaufridum quidam confuderunt cum Soffredo Excubiarum Priore, de quo plura dicemus anno sequenti.

S. Bernardo familiaris.

Chron. ms. Cart. Mont. Dei.

Ex calend. Maj. Cart.

GERVASIUS PRIOR MONTIS DEI UNUS EX GAUFREDI SUCCESSORIBUS.

IV. Gaufredo in Montis Dei Prioratu successerat Haymo, et Haymoni Gervasius. Hic novem annis in prioratu transactis, vel abdicavit hoc anno, vel obiit die septima Februarii juxta Montis Dei Necrologium. Illum vero S. Bernardi familiaritate et amicitia summopere decoratum fuisse, discimus ex epistola contra Jordanem cardinalem ad Ostiensem scripta, de qua alibi egimus. Adfuit Gervasius primo Capitulo generali sub Basilio celebrato, ad quod detulit literas, quas a Samsone archiepiscopo Remensi impetraverat in testimonium concessæ dispositionis Domus Montis Dei eidem Capitulo generali. Qualis vero fuerit noster Gervasius, quam religiosus, quam potens in sermone, quantum denique sub ejus regimine floruerit inter Monachos Montis Dei status spiritualis, perspicuum habuimus ex epistolis Petri Cellensis ad ipsum, quas superius diversis in locis reddidimus.

V. supra ad an. 1152.

SIMON VIR CELEBRIS GERVASIO SUCCESSIT.

V. Mortui vel absoluti Gervasii Simon tunc Procurator

locum implevit, quondam Cellensis Monachus sub Galtherio abbate Petri decessore. Præfuit viginti quinque annorum spatio; vir sanctissimus ab omnibus habitus, quem morum integritas, vitæ honestas, prudentia in agendis, in adversis constantia, fortitudo in arduis celebrem apud nos et exteros facient, eique inter illustrissimos ævi sui viros non infimum locum dabunt, ut ex multis quæ de illo sequentibus annis occurrent dicenda, patefiet. Ille est quem Petrus Cellensis, in illa epistola quam ad Gervasium præfatum scriptam alias retulimus, « lumen oculorum suorum vocat, partemque suorum viscerum ». Ubi vero in Priorem assumptus fuit, aut saltem non diu post hoc, mellifluam ab eodem Abbate recepit epistolam sibi et suis monachis inscriptam.

ANNUS 1159

« Carissimis Dominis et Fratribus de Monte Dei, Priori cum cæteris Sanctis, Frater Petrus Cellensis indignus abbas, salutem. Forte sicut pulli de nido non avolantes paternas esuriunt escas, sic vos, filii carissimi, qui in nidulo vestro plumescitis ut cum tempus venerit in altum evoletis, dignum faucibus et stomacho sanctitatis a me refundi expectatis. Sed quid corvus ad pullos gallinarum? Non enim eisdem aluntur cibis. Corvus pascitur cadaveribus putredinis, columba vescitur granis puris tritici electi. Novi, novi quibus apud vos per dimidium temporis alitus sum cibis. Si dixero, novi quibus modo usque ad nauseam onerer, parum profecto dixerim cum sapientia vincat scientiam, et plus sit tenorem saporis in ore retinere quam præterita ad animum revocare. Anxior igitur in his et gemo: et quorum gustu vehementer afficio, nolo ruminatione reiterata refricare dolores præteritos. Sufficiat enim diei malitia sua, sufficiat gustui amaritudo sua amarissima. Vos denique, Fratres et filii carissimi, simplicitate ciborum contenti, sicut didicistis Christum, sicut gustastis et vidistis quia bona est negotiatio vestra, sic perseverantes non quæratis aliam mensam, non aliam escam. Bonam enim mensam, bonam utique habetis et escam, qua vivit anima vestra. Quid ipse dicere possum de mea mensa? Certe ex quo descendi de sancto Monte Dei mei, aut rarissime aut nunquam data est

Ad eum scribit Petrus Cellensis.

Pet. Cellens. Epist. lib. 3. Epist. 6.

ANNUS 1159

mihi mensa, ut cum amicis meis epularer. Statim quæ in insidiis expectabant egressum meum sollicitudines, rapuerunt et absorbuerunt me, continuo refluxu super caput meum redundantes. Satis immisericorditer vindicatum est in me, si quid otii, si quid boni in requie illa habuerunt caro mea et cor meum. Severius in me exarserunt, et ne spiraculum quidem incedit per ea. Apud vos, carissimi et desideratissimi, conquerar de me ipso, contra me ipsum. Hæc certe, imo multo pejora merui, qui de pœna non emendor, sed cum pœna et culpam multiplico. Orate pro servulo vestro qui vos omni die desiderat, umbram vestram suspirans et faciem videre sitiens. Valete. »

Hanc epistolam ad Simonem scriptam esse conjicio, quod in ea filius carissimus appelletur, tanquam qui olim Cellensis Abbatiæ alumnus extiterat : quo nomine non est verisimile ut Gervasius vir jam grandævus designetur.

ENGELBERTUS ALBERTO CARDINALI FAMILIARIS FIT MONACHUS CARTUSIENSIS.

VI. Circa hæc tempora Ordini Cartusiensi sese solemnibus votis obligavit Engelbertus, futurus Prior Vallis S. Petri et Cabillonensis episcopus. Ejus nomen diversimode scriptum legitur, Engelbertus, Engilbertus et Ilgebertus. Hic venerandus vir, ante Ordinis ingressum Alberto de Benevento cardinali, ac postea Summo Pontifici sub Gregorii VIII nomine, amicus fuerat et valde familiaris ; imo sub ejus manu et disciplina nutritus et edoctus fuisse videtur, ut satis indicat præfatus Petrus, tunc S. Remigii abbas ad eumdem Cardinalem scribens : « Habetis, inquit, idoneum amicum, si placuerit, per quem fideliter remandare secure potestis, Priorem utique de Valle S. Petri, carissimum filium, quem in Christo genuistis, et ejus spiritum in omnibus vobis obnoxium reddidistis. » Et in alia ad eumdem Cardinalem epistola, vocat illum, « amicum, et filium ejus carissimum ». Ex quibus etiam verbis conjicimus Engelbertum ex Ordine Benedictino vel Cisterciensi ad nostrum transmigrasse. Nam Albertus, juxta vetus Chronicon a Jacobo Sirmundo adductum, prius fuisse Monachus perhibetur : « Albertus de Benevento cancellarius, vir magnæ sanctitatis ac laudabilis parsi-

Petr. Cellens. Epist. 1. lib. 6.

Sirmund. in notis ad Epist. 13. lib. 8.

moniæ, in omnibus actibus suis religiosus fuit. Ecclesiam B. Martini, in qua habitum religionis sumpsit, semper cordi habuit, quæ etiam ei annuatim vestes secundum Regulam procuravit. » Hæc Chronicon. Sed non dicit quæ fuerit hæc B. Martini ecclesia, vel cujus Ordinis. Guido Clarevallensis, antiquus et fide dignus scriptor, in edito libro *de Viris Illustribus* sui Ordinis, Albertum Cisterciensem fuisse asserit, quem tamen Ciaconius agens de ejus ad Papatum electione, scribit fuisse antea monachum Benedictinum ; verum quia noster Engelbertus in Joannis Sarisberiensis epistola, de qua inferius, dicitur alumnus Abbatis S. Medardi Suessionensis (quod Ordinis S. Benedicti Monasterium est), hinc est quod superius dixerimus eum ex Benedictino factum fuisse Cartusiensem.

ANNUS 1159

Ughel. in Addition. ad Ciaconium.

VII. Paulo post suam in nostro Ordine professionem, quam emisisse in Domo Montis Dei credimus, Prioratus onus in Domo Vallis sancti Petri sustinere cogitur. Inde non parvam concipiens mœstitiam de tam subita sui mutatione, apud Joannem Sarisberiensem conquestus est. At ille, licet amici vicem doleret, eum tamen cohortatus est ad perseverantiam in arrepto proposito, et ad patientiam in demandato sibi Prioris officio, scripta propterea ad illum eleganti epistola, in qua inter cætera sic eum consolatur : « Te facile crediderim de tam subitis mutationibus aliquas concepisse molestias, sed ex aliis et longe diversis et fere adversantibus causis. Quis enim suspicetur te alicujus ambitionis stimulo incitatum ut honores appeteres, et concupisceres mollitias voluptatum, et opinione plebeia ventos sequereris in fasto mundano ? Nam hæc omnia contempsisti ut stercora, ut solum lucrifacias Christum, qui tibi non momentaneos et inhonoros honores, quos pretiosa paupertate mutasti, restituet, sed æternos in cœlis, qui Imperatorum purpuram Majestate incomparabili antecedant. Illuc voluptas mollis et effœminata non habebit accessum, ubi carnem in veritate naturæ permanentem spiritualis implebit vigor et exultatio angelica permulcebit, ubi laudis tuæ præconia non de falsidicorum pendebit arbitrio,

FIT PRIOR VALLIS S. PETRI INVITUS.

A Joanne Sarisberiensi excitatur ad patientiam.

Joan. Sarisber. Epist. 161.

ANNUS 1159

sed magnificentiam virtutum tuarum sancti Angeli incessabiliter prædicabunt. Hæc tibi, dilecte, non tam de verbis nostris, quam de sacris Scripturis constare debent, si in eo perstiteris quod cœpisti. Sola enim perseverantia est, quæ virtutum omnium consequitur fructum. Nec diu, si recte futura metiaris, in labore isto sudandum est tibi, quia oculis tuis laborum gloriosa merces impendet, et remunerator tuus adstat in januis, etc. Porro (inquit) si quæ molestiæ irruunt ex tibi impacto Prioratu, et de sollicitudine animarum et corporum, quæ humeris tuis ad tantum onus, ut tibi videtur, debilibus et infirmis imposita est, sustine patienter; clama ad Deum quoniam prope est. Quod tibi visum fuerit importabile, pia confidentia rejicias in humeros ejus qui ovem reduxit perditam, et totius humani generis in ligno portavit onera, quando principatus ejus factus est super humerum ejus. Ipse te sublevabit, quia fidelis est, et non patietur te tentari supra id quod potes, sed faciet tentationem ipsam tuum esse profectum. »

Necessitudo ejus cum eodem Joanne Sarisberiensi.

Ex mss. Cart. Vallis. S. Petr.

Quam vero pie affectus esset in suum Engelbertum præfatus Joannes, ex aliis ejus epistolis apparet. Sollicitabat namque ipse exul pro amicis aliquod refrigerium ; et cum Vallis S. Petri Monachos paupertate opprimi et alienis jurgiis vexari novisset, curavit iis aliquid levaminis procurari, præcipue ab Ingrannone S. Medardi Suessionensis abbate, benefactore ejusdem Vallis S. Petri, quem sciebat Cartusienses amore singulari prosequi, licet ejus Monachi aliquid negotii monachis Vallis S. Petri facesserent. Hoc ex alia Joannis Sarisberiensis epistola ad eumdem Abbatem habemus.

Ingranno abbas S. Medardi Suession. benefactor Vallis S. Petri.

Joan. Sarisber. Epist. 163.

« Causa Christi multa commendatione non indiget præsertim apud vos, qui et piæ devotionis famulatu, et sanctorum intercedentibus meritis, desideratis Christo felicius commendari. Quis autem causam sanctorum Pauperum de Valle S. Petri esse dubitat causam Christi ? Quis eorum contristatione vel consolatione Christum ipsum contristari nescit aut consolari, nisi qui evangelicam ignorat prophetiam, ex cujus veritate sententiam proferet in judicio Deus in condemnatio-

nem impiorum, et præelectorum salutem et glorificationem? Et quia memoratis Fratribus, ut audivimus, pietas vestra compatitur, et humanitas libenter subvenit cum eis et pro eis, Charitati vestræ immensas referimus gratias, cum præceperitis et res et tempus expetierint, relaturi gratiarum quantas poterimus actiones; certi quidem quod Christus, quem in membris suis ad præsens consolamini, quam debet in misericordia verbi mensuram coagulatam et supereffluentem refundet in sinus vestros. Precamur autem et quanta possumus supplicatione deposcimus, ut Priorem eorum E. reverendum alumnum vestrum charum habeatis, et vos ei et Fratribus suis, in quibus patrocinio vestro eguerint, consilium et auxilium impendatis; et quod tantum Patrem decet et tantæ nobilitatis Ecclesiam, pauperum, cum expedierit, preces præveniendo, eorum parcatis erubescentiæ, et vestram dilatetis gloriam et conscientiam mulceatis. Et quia eos aliqui de Fratribus vestris, quod nec honori nec utilitati vestræ expedit, molestare dicuntur, supplicamus attentius ut eis pacem reformetis, et Fratres vestros ab eorum inquietatione suspendatis. Quidquid autem eis feceritis, si nobis factum dixerimus, veraciter quidquid dicetur, etc. »

ANNUS 1159

Sanctissimum hunc Priorem valde observabant idem Joannes Sarisberiensis, et Petrus ex Cellensi abbas S. Remigii, et nihil sine ejus auxilio aggredi solebant. Idem Petrus scribens ad eumdem Joannem et ad Ricardum fratrem ejus Canonicum Regularem, ait: « Bene est amicis nostris et vestris, Cellensi Abbati (scilicet Gerardo), Abbati SS. Crispini et Crispiniani (Bernardo postea Cardinali Prænestino), Abbati S. Nicasii (Guidoni II), Prioribus de Monte Dei et Vallis S. Petri (id est Simoni et Engelberto). » Quantum vero cum Simone Priore Montis Dei laboraverit in negotio S. Thomæ Cantuariensi, suis dicetur locis.

Petr. Cellens. ep. 82.

VIII. Hoc anno Ludovicus Galliæ Rex, Tolosa quam a Rege Angliæ obsessam propugnaverat rediens, Majorem Cartusiam sua præsentia cohonestare dignatus est; quod nullus Regum ante eum fecerat, nec post eum, quod hactenus scia-

LUDOVICUS REX GALLIÆ CARTUSIAM ADIT.

ANNUS 1159

mus, fecit. Hujus regii ad Cartusiam aditus meminit S. Antelmus in epistola, quam eidem Ludovico scripsit jam factus Episcopus, in qua sic inter cætera pium Regem alloquitur : « Ex quo, illustrissime Rex, vestræ Serenitatis sublimitas parvitatem Cartusiensis Domus, suam nobis præsentiam exhibendo, visitare dignata est, in armariolo nostri pectoris, ea qua potuimus dilectione suscepimus. Tunc enim, ut ita dicamus, nostris visceribus incorporati estis ; verum nec facile eruemini. » Cætera alibi dabimus.

V. infra ad an. 1163.

JESU CHRISTI

ANNUS 1160.

Alexandri PP. III.	Ord. Cartus.	Basilii Pr. Cart.
Ann. 1.	Ann. 77.	Ann. 10.

I. SEXAGESIMUS supra millesimum centesimum sequitur annus, Indictione octava, quo Joannes cognomento Hispanus diem clausit extremum, vigesima quinta Junii. Hic ex Hispania oriundus, prius simplex eremita, postea Cartusiensis monachus professione in Domo Montis Rivi emissa, ibidem officia Sacristæ et Prioris tenuit usque ad annum hujus seculi quadragesimum nonum, quo cum quibusdam ejusdem Cartusiæ monachis ad Majorem Cartusiam se recipiens, duobus post annis Protoprior Repausatorii constitutus, hoc tandem anno feliciter obiit, a parte ecclesiæ sinistra sepultus. Tot miraculis hactenus claruit, ut ejus ossa, ab annis circiter triginta jubente Genevensi Episcopo, e terra eruta, capsæ nuceæ argento obductæ inserta sint. Ejus Vita ex manuscripto codice exscripta talis est tenoris :

JOAN. HISPANUS PRIOR REPAUSATORII MORITUR.

Vid. sup. ad 1151.

« Joannes natione Hispanus, civitate quadam ortus extitit nomine Almanceps *, parentibus non ignobilis, plebeis tamen civibus. Hic a primævo pueritiæ suæ tempore liberalibus studiis ab eisdem traditus ; erat enim elegantis et subtilis ingenii ac tenacis memoriæ, adeo ut omnium sociorum ingenium sensus illius capacitas superaret. Cumque cresceret corpore proficeretque sensu, flagrans discendi desiderio, relictis suis genitoribus assumptoque uno secum comite, tertio decimo ætatis anno ex sua egressus, in alienam profectus est

Ejus ortus.

** Forte Almanzanum in Castella Veteri.*

ANNUS 1160

* *Sive* Rutenensis. Le Rouergue.

Studet Arelati.

patriam, et perveniens ad quoddam quod adjacet Rotaneæ* partibus provinciæ castrum, ibique circiter unum etiam annum commoratus, ad extremum Arelatum pervenit. Post paucos autem dies, inter alios se scholasticos contulit cœpitque cum eis conversari. Inter quos cum ipsorum Doctor scholarium subito illum intueretur, protinus ab eo cœpit percontari quisnam et unde esset, ac quorum gratia advenisset. Videbat enim illustrissimum juvenem, bonæ indolis adolescentem, vultu alacrem, atque omni elegantia adornatum. Cui mox ille respondens, esse Hispanum natione et cujus rei gratia adesset profitetur. Quo audito studiosus Doctor prædictus pensans tanti itineris laborem, et sollicitum studio discendi alienis in patriis venisse exulem, protinus illum docere atque multum ei prodesse se pollicetur, et insuper aliquem nobilium civium inquirere, qui si quæcumque victui vestituique necessaria essent, alacri tribueret animo. His itaque gestis accidit, quod sæpe solet contingere, ut promissum beneficium hospitii nondum haberet, et pecunias ex sua quamquam plusculas patria attulerat, diurnis in sumptibus expendisset. Itaque multis miseriarum angustiis circumdatus, et multo nutantium cogitationum angore circumseptus, tandem cœpit egere. Quod ego factum divina Providentia esse reor, ut quem præponere pluribus jam decreverat, aliquantulum calamitatis sentire ipsum prius permitteret; quatenus ex sua egestate disceret quomodo postea sibi subditos regere debuisset. Sed subito ab eadem divina respectus est Clementia, nam quidam e spectabilium numero civium, Deo ita disponente, accepit in domum suam, præstans ei quidquid ad victum vestitumque necessarium erat abundanter; tantæque gratiæ tam apud prædictum virum quam erga conjugem fuit, ut non solum supradicta beneficia ei facerent, verum et in unicum filium sibi, si ipse vellet adoptarent.

HABITUM RELIGIOSUM INDUIT.

II. « Mansit quoque apud eos fere duobus annis, omnium in circuitu se videntium vultibus ac cognoscentium valde existens gratus; a quibus cum discederet tristibus et flentibus (nam comes ejus cogebat eum in suam patriam redire) nequa-

quam tamen eo regressus est, sed perrexit ad quamdam locum vocabulo S. Basilii, in quo unum nuper audierat virum habitare religiosum, qui a multis illis temporibus frequentabatur ; quo accedens ut quorumdam illicitorum, sicut pluribus mos est scholaribus, pœnitentiam ab eo efflagitaret (tempus enim imminebat Quadragesimæ). Contigit quidem ut paucis ab eo verbis admonitus et divina desuper gratia illustratus, literis tam divinis quam humanis admodum eruditus, eumdem sacræ Religionis habitum indueret. Quo in loco tanti fervoris tantæque regularis districtionis sibimet extitisse refertur, ut præ nimio jejuniorum exercitio abstinentiarumque frequentia, gravem in se morbum pectoris, qui *Defecit* a medicis vocatur, conciperet. Nam plerumque vir ille, cujus supra mentionem fecimus, cum se ab eo in religionis exercitio sæpe præcelli conspiceret, et illum carnium usus, quibus tamen fruebatur, sæpissime respuere cerneret, aiebat ei : Frater Joannes, nobis vescentibus vos abstinetis ; unde arbitror vos deinceps virtutes operari.

ANNUS 1160

« Mansit itaque ibidem duorum et dimidii per spatium annorum, tam Deo quam hominibus placens, usquequo relata est ei fama et fervor cultusque religionis cujusdam Domus, videlicet Montis Rivi, quæ Cartusiensi Ordini mancipatur. Ad quam etiam cum festinus veniret, cordisque sui affectum et propositum voluntatis ejusdem Domus habitatoribus innotesceret, indifferenter atque honeste ab eis susceptus est. Non post multum vero temporis, memoratæ Domus Prior cernens illum in omnibus quæ ad prædicti Ordinis cultum pertinent valde esse sollicitum, moribus et vita honestum, tentavit illi officium Sacristæ et totius ecclesiæ curam imponere ; qui in accepto utique ministerio sic modeste et ordinate se exercuit, quatenus ferme in cella transactis sex annis, in septimo quoque, Deo placente, ad totius Domus regimen ascendit. Præterea delectat audire ac subtiliter indagare, quomodo sit disposita ab eo Domus, qualiterve plurima domorum * ædificia vel nova constructa vel vetera sint renovata ; sed et vias quæ præfatæ Domus terminos influebant, eamdem

Fit monachus Montis Rivi.

Inde Sacrista.

Et postea Prior.

* *cellarum et officinarum.*

ANNUS 1160

Scribit Consuetudines pro Monialibus Pratibajonis.

infestantes cum pluribus aliis perturbationibus, Deo auxiliante correxit atque sedavit. Libris autem authenticis scribendis et emendandis magnum studium præbuit; necnon sanctimonialibus Pratibajonis Consuetudines, quas ab eo postulabant, nobili stylo edidit. Cujus tamen felicibus actibus hostis invidens antiquus, excitavit contra eum quemdam hominem quem suæ veneno diræ potaverat iræ. At vir discretus, plus timens recentium discipulorum detrimentum quam formidans excitatæ iræ perfidi provocamentum; ac juxta Dominicam vocem : Si persecuti vos fuerint in una civitate fugite in aliam, duobus annis cum dimidio, Prioratu prudenter administrato discessit, venitque Cartusiam cujus regimen eo tempore tenebat Nantelmus, et huic antea jam fuerat notus; a quo ex tunc benigne est susceptus, atque humaniter manens secum per aliquod tempus tam illi quam universis amabilis.

Abdicato Prioratu Cartusiam venit.

MITTITUR CUM SOCIIS AD FUNDANDAM REPAUSATORII DOMUM.

III. « Postmodum autem dum præfatus Prior et ejus consiliarii inter se tractare cœpissent quid illi et sociis facere possent, repente Aymo de Fulciniaco vir divitiis pollens et gloria, legatos Cartusiam misit, optans atque humiliter deprecans quatenus ad eremum quamdam quæ in territorio ejus jacet, et sub potestate Præsulis Gebennarum continetur et adminiculo, inhabitandam cultores quoque eorum Ordinis transmitterent; eo quod ipsa antiquitus ab eodem aliis tradita fuerat hujus Religionis habitatoribus, sed parumper ab eis possessa, vacua remanserat; cujus auditis precibus, cognoscentes quod consilio Dei res ipsa ageretur, petitionibus ejus assensum præbuerunt, et memoratis hominibus plurima vestium, nummorum librorumque beneficia impertiverunt ad incolendum hoc desertum. Iste nimirum locus, quem vir venerabilis ad ædificandum adiit, vallis est quædam profunda inter montana sita, et ut hoc dicam, sicut congruit Ordini; valde hyemosa ab omni ligno pomifero funditus aliena, neque satis abundanter frugifera ; in cujus medio juxta aquarum fluenta, planities jacet permodica, in qua domorum sedent ædificia; in circuitu vero magnis altissimarum

montibus rupium eminentibus, in quibus pulcherrima abietum aliarumque sylvestrium nemora sunt consita arborum, in quarum rupium summitatibus optima sunt undique pascua ad alenda animalia. Huc dum vir venerandus cum comitibus suis undecimo Calendas Februarii intraret (tali quippe tempore prædicta eremus cœpit ab eo inhabitari), vix pauca in ea corporea alimenta, et quasdam domunculas veteres et ipsas sordido schemate compositas invenit; unde utique compulsi qui ingressi sunt, ob cibi potusque penuriam nimis austera ducebant Religionis exercitia, quibus avenaceus panis tunc erat dulcis et ipse festivus. Exinde tamen cœpit homo cognosci, et ab universis qui illum noverant magna in reverentia haberi, domos ædificare, loca angusta dilatare, humum colere. Sub ejus namque regimine universa superioris atque inferioris Domus ædificia, quæ hodie cernuntur, fere sunt constructa. In ejus quoque tempore, consilio ejus atque dispositione, præfata Domus magnum tam a Deo quam aliorum incrementum beneficiorum invenire meruit et obtinere.

ANNUS 1160

« Libris quoque divinis scribendis et emendandis eumdem quem prædiximus modum retinuit. Sed et Historiam quam ipse manibus suis scripserat optimam sanctimonialibus virginibus supradictis, Deo sibi inspirante, ante obitum suum impendit. Qualis autem erga sibi subditos fuerit, difficile videtur posse narrari; quorum mores singulorum, sive magni sive parvi, sive fortes sive pusillanimes fuerint, penitus noverat. Erat in eo sapientia et gratia ipsa, unde magni altius dictarentur, parvi crescerent et amplificarentur, fortes magis roborarentur, pusillanimes ne funditus ruerent fulcirentur. Sibimet dum erat in oratione pernox, in disciplina nimis crudelis, in jejuniis austerior, in corripiendo severus, ut in sufferendo mansuetus. Novem igitur annis prioratu Domus Repausatorii gubernato, cum a conversione sua vigesimus, a nativitate vero trigesimus septimus circiter annus ageretur, prædictus Prior, septimo Calendas Julii, bonorum studiorum actuumque piorum faciens finem, felicem

Libris scribendis vacat.

Est aliquis error in hac temporum supputatione.

Quo anno obierit.

ANNUS 1160

Domino spiritum commendavit circa annum Domini millesimum centesimum sexagesimum.

EJUS TEMPORE DUO PASTORES NIVIBUS OBRUUNTUR.

IV. « Eodem etiam tempore quo memoratus vir venerabilis præfatum gubernabat prioratum, tale fertur subito infortunium evenisse: ut petrosis Alpibus vehementi et inopinato concursu, ab ipsorum altissimorum montium cacumine nives in tanta quantitate cum velocitate et impetuositate defluerent, quod duo de numero pastorum famuli, de loco qui dicitur Agnes (ubi tunc greges animalium commanebant) ad domum Monachorum accedentes ut victualia necessaria secum ferrent, subito sub ipsis nivibus suffocati spiritum exhalarent. Quam tribulationem ad ejus probandam patientiam (sicut de beato Job legitur) et meritum amplificandum, pie credimus sui temporibus regiminis evenisse. Aliquanto siquidem non modico temporis curriculo evoluto, et nivibus in resolutionem revolutis, corpora defunctorum inventa ad locum monasterii adduci fecit honorificæ tradenda sepulturæ; disposuit tamen in cœmeterio nullatenus inhumare, ne forte sententiæ, quam merito poterat ignorare, nodo qualicumque innodati fuissent; sed in loco ecclesiæ contiguo, quasi circa medium, fecit honorabiliter, ut est moris in Ordine, eorum corpora sepeliri; licet ab ipsius Ordinis professoribus nullatenus quoad extraneos apud eorum loca foret assuetum. Quapropter cum a suis Majoribus, prout fertur, fuerit reprehensus, licet pura intentione et justa causa excusabili hoc egerit; cum ad extrema pervenisset, seipsum mulctare voluit et punire, non formidans hujus seculi perlabentis confusionem, ut futuram extremi ultionem judicii, si culpa fuisset, mereretur evadere. Adjuravit ergo cunctos Fratres suos, ut juxta prædictorum corpora extra cœmeterium post ejus obitum terram sui corporis terræ redderent (juxta ipsum beati Marcellini Papæ, qui ob quamdam offensam, sub anathemate prohibuit ne ecclesiasticæ sepulturæ corpus ejus traderetur). In quo quidem loco processu temporis, nutu divino Capella cum altari in eadem pulchro tabulato extitit perornata. Ubi quamplurimi correpti febribus, nedum levibus sed etiam gravibus, cum

Non in cœmeterio, sed in loco contiguo sepeliuntur.

Ibidem voluit et ipse sepeliri.

fide ac devotione accedentes, cum super tumbam ejus dormierint, ad propria redeuntes ejus suffragantibus meritis et precibus beneficia reportant indubitanter sanitatum. Multo magis animabus sauciatis credendus est medicinam spiritualem adhibere, indulgentiam et gratiam a Deo obtinendo, si fides et devotio exigat poscentium humiliter. Cujusmodi autem meriti in sua conversatione dum advixit, extiterit, post ejus mortem pretiosam, præstando beneficia sanitatum, usque hodie pius Dominus Jesus, cui fideliter servivit in vita, dignatur misericorditer propalare ad laudem et gloriam sanctissimi sui nominis, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen. »

ANNUS 1160

Miraculis claret.

V. Miracula patrata meritis et intercessione B. Joannis Hispani primi Prioris cartusiæ Repausatorii, non ab illius Vitæ autore, sed ab aliquo recentiore, vel etiam a pluribus successive transcripta.

EORUM ELENCHUS.

« Memoriæ traditum est hunc Beatum accessisse ad fontem in itinere Repausatorii, in iisdem montibus constitutum, cujus cum aquam bibiturus hausisset, subito hujus Sancti gratia in vinum conversa est ; et ab hoc tempore huc usque Fons S. Joannis nuncupatus est.

Aqua in vinum versa.

« Ab annis circiter quadraginta, vexatus a dæmone Religiosus Conventus Observantiæ S. Francisci Clusarum urbis in Sabaudia, ductus est a Reverendis Patribus Guardiano et aliis hujusce Domus, ad præfatum S. Joannem ; qui cum curassent solemnem hujus sanandi energumeni Religiosi causa Missam celebrari, solum incluserunt in cavo sito supra Beati tumbam, ad cujus ostium apposito gravi lapide, pransuri discesserunt. Redeuntibus autem ad sepulchrum hisce Patribus post duas circiter horas, apparet Religiosus et sanatus et in sacrario ambulans. Nec amplius in posterum agitatus est quamvis multis annis supervixerit.

Dæmoniacus liberatur.

Cluse in Fossiniaco.

« Venerabilis Pater Domnus Raphael Guillelmus tunc Repausatorii Prior, servo cartusiæ Vallis sanctæ morbo caduco laboranti, dedit excerptam terram de Beati sepulcho in modum *Agni Dei* involutam, cujus virtute sanatus est.

Epilepticus curatur.

ANNUS
1160

Item mulier dæmoniaca.

« Ante novem annos Claudius Hudry, pagi Clusarum (in Gebennensi) incola, suam a dœmone vexatam conjugem duxit ad Repausatorii Cartusiam adimplendi voti novendialis temporis causa, quo persoluto plane liberata est.

Stultus ad mentem rediit.

« Cum quidam habitans prope Mentum in Sabaudia factus esset insanus, parentes ejus Beato voverunt, promittentes suum infirmum ducturos ad Repausatorium; quo voto per infirmum completo, compos mentis factus est. Hoc factum est ante annos quatuordecim.

Febricitans sanatur.

« Mulier quædam puellam suam vehementi febre laborantem S. Joannis precibus commendavit, et puerum ad Repausatorium misit qui Missam celebrari curaret pro filiæ sanitate recuperanda. Explens hic mandatum, terram de Sancti sepulchro secum deferens, matri profert, qua appensa ad collum puellæ febre inhorrescentis, confestim quievit tremula; lapsa tamen fortuito terra, subito cœpit agitari vehementiori modo. Cujus agnita causa, lapsam terram mater appendens iterum, febris omnino discessit. Hæc habitatrix erat Clusæ in Sabaudia et contigit tempore V. P. Irenæi de Gournay Prioris. »

Theophylus in Trinitate Patriarchar. pag. 228.

Aliud quoque narrat miraculum Theophylus Raynaudus Societ. Jesu his verbis : « Terra tumulo hujus Servi Dei circumfusa, quantumcumque sublegatur pio studio ad morbosorum utilitatem, non sentit dispendia; et quod decerpitur, occultis ortum accrementis, imminutionem deprehendi non patitur. » Hæc ille. Noster vero Molinus de Fundatione Domus Repausatorii agens, sic de beato Joanne loquitur : « Hujus Domus primus inquilinus et habitator fuit B. Joannes Hispanus, natione an nomine incertum mihi : qui quidem professus et Prior fuit Domus Montis Rivi, in tanta apud omnes opinione sanctitatis, ut ex tumuli ejus pulvere vinagium, quod aiunt, febricitantibus misceatur; quod ego his oculis fieri vidi, dum prædictum tumulum qui est ante altare unius sacelli subtus pedes presbyteri celebrantis, devotionis causa visitarem, sicut et Domum. Vasculum ligneum, quo ipse in mensa utebatur, una cum ejus securicula in præfata Domo hodieque visuntur.»

Molinus in hist. ms. Ord. Cart.

ANNUS 1160

AGITUR DE ELEVATIONE CORPORIS ILLIUS.

VI. Crebrescentibus nostro seculo ad B. Joannis tumulum miraculis, Carolo Augusto de Sales Genevensi episcopo, sancti Francisci Salesii ex fratre Ludovico comite de Sales nepoti, visum est juxta potestatem a S. C. Tridentino datam Episcopis, ad Repausatorii cartusiam se transferre inquisitionis de sanctitate et reliquiis Viri Dei faciendæ gratia. Cum igitur pius ille ac prudens Præsul die 7 Septemb. ann. 1649 ad prædictam Domum accessisset, « altera die inter Missarum solemnia, ut ipse in Translationis Actis loquitur, quæ in Pontificalibus celebravimus, venit nobis in mentem fama ven. servi Dei Joannis Hispani primi Prioris hujusce Domus, quem multis ægrotorum curationibus celebrem jam pridem Deus reddidit, cujusque sepulchrum multa populorum religione in hac eadem Domo frequentatur. Existimavimus hanc cogitationem esse Sancti Spiritus afflatum. Quocirca re cum aliquot piis et eruditis sacerdotibus nobis assistentibus pensata et deliberata, advocato quoque ipso Domno Priore, et cum suis Religiosis in consilium adhibito, de nostra et eorum sententia visum fuit operæ pretium ipsius Servi Dei sepulchrum et reliquias, juxta formam Constitutionum Apostolicarum, primum visitare : quandoquidem de fama sanctitatis ipsius Servi Dei satis superque constat; estque de illorum numero, qui post longissimi temporis spatium cum sanctitatis odore migraverunt ad Dominum, ac proinde Ordinariorum cognitioni relinquuntur. Igitur hoc præsenti die et hora meridiana, adhibitis testibus infrascriptis et episcopalis nostræ Curiæ Cancellario publico Notario, duxerunt nos versus sepulchrum dicti Servi Dei venerabiles Patres Domnus Joannes Baptista de Bely supradictus Prior, et Domni Antelmus Philippus Vicarius, Petrus Feris, Joannes Doncieu, Nicolaus Julliard Sacrista, Antonius Pigouche, Philippus Mercier, Placidus Bremond, Ambrosius Fontaine, Carolus Emmanuel Jacques Procurator, Ludovicus Bally Coadjutor; omnes sacerdotes et Religiosi professi ejusdem Ordinis Cartusiensis, constituentes familiam et Capitulum hujus Domus Repausatorii : cum quibus ab inferiori parte Chori ecclesiæ intravi-

ANNUS 1160

mus in quoddam sacellum juxta muros ipsius ecclesiæ ad septentrionem, quæ est pars Evangelii, opere fornicato constructum ac depicto; ad cujus parietem, qui est ipsi ecclesiæ communis, legitur characteribus romanis hujusmodi inscriptio, videlicet : Hoc in sacello jacet beatus Joannes Hispanus primus Prior hujus Domus, super cujus sepulchrum a febribus sanatur ægrotus. Obiit anno 1160 25 Junii. Statim prædictus Prior ostendit nobis sepulchrum dicti Servi Dei. . . . . . Vocari jussimus voce Domni ipsius Prioris devotos Fratres Franciscum Faure et Jacobum Dieulefitpetit hujus Domus Donatos, ac januis statim clausis, per ipsos aperiri supradictam portam sepulchralem duos pedes longam et latam, descendimusque nos ipsi per scalam in foveam quinque pedes altam, duos pedes et sex uncias latam, et octo pedes longam, opere fornicato constructam et dealbatam, cujus pavimentum aliud non erat quam terra bene compressa, fornix autem ac parietes innumeris guttulis madebant. Qua structura bene perspecta, per dictos fratres Donatos præcepimus effodi ac egeri terram ad altitudinem trium pedum. Post quam effossionem reperti sunt lapides quadri male compacti et disjuncti præ nimio pondere, ac ita loculo abiegno omnino putrido incumbentes, ut subjectum præcipue circa pectus et crura fregerint. Unde et imprudenter etiam ligone ferreo percussum caput in multas partes sit divisum. Interrogavimus ipsum Domnum Priorem ac alios Religiosos, num aliquando effossa fuerit illa terra et apertum id sepulchrum; qui responderunt unanimiter se nunquam audivisse fuisse apertum, imo semper clausum a tempore obitus dicti Servi Dei. Unde jussimus amplius aperiri. Et tunc primo extracta sunt ossa capitis in quibus circa dentes hærebat adhuc caro cum pelle, ipsique dentes optime infixi erant; successive extracta sunt ossa brachiorum, quæ decussata erant in modum crucis, et circa illa inventa est ligula ex corio nigro ac ut videtur bubulo longitudinis circiter sex unciarum, ac multa præterea ossa imminuta, et minuta; deinde extracta sunt ossa crurum et tibiarum in quibus hærebat adhuc caro cum

pelle. Cætera ossa terræ madefactæ immixta erant, quam extersimus; ipsa vero ossa quæ sexaginta sex dinumeravimus, et cum mandibulis dentes quos dinumeravimus etiam ad viginti quatuor, reposuimus reverenter in capsula seu arcula ex platano, unum pedem et sex uncias longa, unum pedem lata, decem uncias alta, aliquot characteribus gothicis incisa lectu difficillima cum pari operculo tractili; ac Domno Priori commisimus fideliter et reverenter in sacrario dictæ ecclesiæ asservanda, quousque post acceptum Reverendi Patris Generalis dicti Ordinis Cartusiensis sensum, ac si opus fuerit Sedis Apostolicæ, aliter provideatur. Ipseque Domnus Prior cum omnibus Religiosis suis, ipsam capsam seu arculam accipiens, promisit se eam sic fideliter et reverenter asservaturum. In quorum omnium fidem præsentibus subscripsimus, sigilloque nostro illas firmavimus, et per Secretarium nostrum et episcopalem Cancellarium publicumque Notarium contrascribi et subsignari jussimus. Acta autem fuerunt in hac Domo Repausatorii dicti Ordinis Cartusiensis die octavo Septembris, anno millesimo sexcentesimo quadragesimo nono, Indictione secunda, Pontificatus sanctissimi D. N.D. Innocentii divina providentia Papæ decimi anno quinto, præsentibus testibus ad hoc specialiter vocatis et rogatis : Reverendo Domino Petro Moguin sacræ Theologiæ Doctore, Canonico Ecclesiæ nostræ Cathedralis, et Vicario Generali ac Officiali nostro; Reverendo Domino Renato Sauvage sacræ Theologiæ Doctore, presbytero Congregationis Missionis; ven. Nicolao Carral et Joanne Philippo Chappet presbyteris, Capellanis nostris, ac Jacobo Mermaz clerico familiari nostro, testibus, ut supra dictum est, vocatis et rogatis; qui omnes in originali in archivio Episcopatus remanente signaverunt. Sic signatum, Carolus Augustus Episcop. Gebenn. Et ego Amædeus Flory Notarius publicus et Scriba episcopalis, hoc exscriptum rei gestæ Actum subscripsi, et signo meo consueto signavi de mandato Illustrissimi et Reverendissimi Domini Domini Episcopi et Principis Gebennensis. Sic signatum, Flory. »

ANNUS 1160

EJUS RELIQUIÆ HONESTE RECONDUNTUR.

VII. Anno sequenti idem Episcopus iterum Repausatorienses Patres officiose adiens, easdem reliquias propriis manibus in decentiori capsula recondit, scripto inde instrumento in quo inter cætera sic ait : « Carolus Augustus de Sales, Dei et Apost. Sedis gratia Episcopus et Princeps Gebennensis, testatum facimus ac manifestum. . . . . . quod sepulchrum veri servi Dei Johannis Hispani, primi Prioris ejusdem monasterii, multorum non solum vicinorum, sed etiam circumfusorum populorum pro beneficiis ad ejusdem Servi Dei preces obtentis, religione celebre et frequentatum, de assensu et consilio ejusdem Reverendi Patris Prioris suorumque Religiosorum, et piorum aliquot ac eruditorum sacerdotum nobis assistentium, aspirante Deo, juxta formam constitutionum Apostolicarum visitavimus in sacello ejus Ecclesiæ ad septentrionem posito, in eoque effodi curavimus reliquias dicti Servi Dei, ut plenius habetur in Actu quem per Notarium nostrum fieri jussimus, atque ita ejusdem Servi Dei veri reliquias reverenter in capsula recondidimus, eamque Capsulam debite clausam eidem R. Domno Priori diligenter conservandam commisimus, donec aliud vel de R. Patris Generalis Cartusiæ aut Sedis Apostolicæ super his consultæ ordine et jussu, ad earumdem Reliquiarum majorem honorem præstandum videretur. Cum igitur hoc anno in visitatione nostræ Diœcesis pergentes, idem R. D. Prior certiores nos reddidisset bonum videri probarique a R. Patre Generali Cartusiæ, literis ad illum datis 7 Septembris proxime lapsi, easdem Reliquias ven. Servi Dei honestiori in loco collocari ; idque responderi a Consultoribus Sacræ Congregationis Rituum, ut populi ad eas honorandas beneficiaque curationum poscenda ventitantes, ad majorem illarum cultum et Dei laudem pro dicti Servi Dei glorificatione magis ac magis accenderentur. Atque ita idem R. Pater Prior nos efflagitaret, ut ad idem monasterium pro earumdem Reliquiarum translatione ac decentiore collocatione nos transferre dignaremur. Cui petitioni libentissime annuentes, ad majorem Dei gloriam ejusque Servi Dei cultum, 3 Nonas

Octobris anni supra millesimum sexcentesimi quinquagesimi, ad postulata dicti R. Patris exequenda eodem comite ad prædictam Cartusiam Repausatorii ascendimus, et crastino consequenti die Sancto Brunoni Ordinis dicti monasterii Fundatori dicato, prædictarum Reliquiarum translatione processimus ut sequitur : ANNUS 1160

« Igitur eodem die, hora nona ante meridiana, ad majus Altare ecclesiæ dicti monasterii, pontificalibus vestimentis induti, ad instantiam dicti R. Prioris eamdem prædictam translationem requirentis, Actum a nobis edictum super visitatione dicti sepulchri earumque Reliquiarum effossione et repositione, a Notario legi intelligibili voce jussimus. Quo perlecto, capsulam in qua prædictas Reliquias reposueramus exhiberi coram nobis præcepimus. Quam statim nobis exhibitam, debite recognovimus cum sigillis ab eodem R. D. Priore super ipsa impressis, eamdem ipsam esse in qua prædictas Reliquias decenter recondideramus, quam postea aperuimus omniaque in ea contenta diligenter perspeximus, eaque ut a nobis recondita fuerant, omnibus immutatis iisdemque repertis comperimus. Ad quarum Reliquiarum apertionem non modica populi, etsi in montanis longe a pagis et urbibus ageremus, multitudo ad nos accessit offerens coronas et rosaria ad comparandam illis ex dictarum Reliquiarum attactu dignitatem ; cui cum abunde satisfactum esset, solemni ritu novam arculam affabre, splendide et decenter paratam et ornatam benediximus, in eaque prædictas venerabiles Reliquias cum honore debito reposuimus, eamque arculam ad latus altaris, dum Pontificalem Missam de S. Brunone celebraremus, collocavimus ; in qua post Communionem sacram Religiosis nonnullisque de populo concessam, et solemnem benedictionem datam, solemni etiam processione easdem Reliquias, quas idem R. D. Joannes Baptista de Bely Prior, cum R. Domno Martino Simonet Vicario monasterii Melani, gratissimo onere vectabat per utrumque ejusdem monasterii Claustrum, comitante sacerdotum et Laicorum magno numero cum candelis et cereis accensis decoravimus ; et peracta processione, easdem in dicto

ANNUS 1160

sacello in armario ad latus ejusdem sacelli ornatissime parato et cancellis ferreis munito recondidimus, indulgentiamque quadraginta dierum in forma consueta omnibus adstantibus concessimus. Cujus nostri processus hunc Actum in eodem monasterio per Notarium nostrum fieri curavimus, cui subscripsimus cum R. Domino Petro Jaco S. Theolog. Doctore, Archidiacono et Canonico Ecclesiæ nostræ Cathedralis, Vicario generali et Officiali nostro; et prædicto R. Domno Priore Reverendisque ejusdem monasterii Religiosis; et præsentibus ven. Dominis Nicolao Carral et Joanne Philippo Chappet presbyteris Capellanis nostris, R. Domino Petro de Lisle, Theologiæ Doctore, plebano ecclesiæ Clusensis; et pluribus aliis in eodem instrumento nominatis. »

SOFFREDUS EXCUBIARUM PRIOR MORITUR

Ex ms. Cart. Montis Dei.

VIII. Eodem ferme tempore obiit etiam Soffredus Excubiensis cartusiæ Prior, Majoris Cartusiæ professus, postquam quadraginta quinque et amplius annis præfuisset; qui perperam ab aliquibus confunditur cum Gaufredo Montis Dei Protopriore. Hic anno 1119, ut ibidem diximus, nomine R. Patris Guigonis interfuit Dedicationi ecclesiæ S. Antonii Viennensis a Calixto II Summo Pontifice factæ. Morienti sancto Hugoni Gratianopolitano episcopo, cum pluribus e Nostris adfuit, ab ipsomet Guigone ut verisimile est delegatus.

Adfuit S. Hugoni morienti.

« Aderant namque ad serviendum ei tam ex sociis propriis, quam ex nostra (Majori Cartusia) et Calesiensi, nec non et Excubiensi Domibus octo, vel novem, et interdum etiam decem partim literati, partim sine literis. etc. » Nec dubium quin ex eis unus fuerit Soffredus, cum his temporibus præter Conversos soli Priori liceret eremi terminos egredi. Nec solum in morte, sed et post mortem sanctissimo Præsuli sua obsequia Soffredus exhibuisse credendus est, quem cum præfatis sociis sanctum corpus usque ad tumulum comitatum fuisse conjicimus ex eadem Vita ab ipso R. P. Guigone conscripta, ubi sub finem iterum infert: « Aderant ex Nostris, et Calesiensibus, et Excubiensibus plures Conversi sanctissimæ glebæ custodes assidui; Monachorum quoque et Clericorum cum ecclesiasticis apparatibus greges quam plurimi. » Postea

ANNUS
1160

idem Soffredus, sic enim semper nominatur, fundationis suæ Domus confirmationem obtinuit.

Unus fuit ex autoribus Capituli Generalis.

Hujus pii viri zelo multum debemus, quod apud S. Antelmum cum quinque aliis Prioribus institerit pro celebratione Capituli generalis, ut patet ex instrumento quod sic incipit : « Omnibus sanctæ et Catholicæ Ecclesiæ fidelibus præsentibus et posteris, notum sit quod Cartusiensis Propositi Priores, Portarum videlicet Bernardus et Excubiarum Soffredus. » Et cum tantum bonum, nempe Capituli generalis celebratio, per plures annos interruptum fuisset, ita iterum cum aliis Prioribus egit apud Basilium, ut forma illius, qua singulis annis deinceps fieret, constituta sit. In Charta hujus Constitutionis prima nominis illius syllaba legitur So. Suum quoque zelum non minori ardore exhibuerat in illa inter Priores orta discordia, de qua fuse egimus sub S. Antelmi regimine, occasione electionis Gratianopolitani Præsulis. Semper enim bonam causam tuitus est, partes S. Antelmi cum Durbonensibus Monachis secutus : « Divisa est (inquit Petrus Venerabilis ad Eugenium Papam) inter se Congregatio sancta. Hinc Cartusia, Excubiæ, Durbonum ; hinc Portæ, Majoræyum, etc. » Denique ante quadriennium adhuc vixisse et rexisse vidimus. Qua vero die vel anno præcise obierit, hactenus incompertum manet.

Sup. ad an. 1156.

CARTUSIA IN SEITZ FUNDATUR.

Ex ms. ejusdem. cart.

Ab Ottocaro Styriæ marchione.

IX. Circa hunc annum in Sclavonia et Patriarchatu Aquileiensi cœpit fundari cartusia Vallis S. Joannis Baptistæ in Seitz, omnium domorum quas per tres Germaniæ Provincias habemus, antiquissima. Collocata est in villa dicta *Gonawiz* ab urbe Cilia comitatus cognominis primaria duarum leucarum spatio ad austrum vergens. Autorem habuit Ottocharum postremum in Styria Marchionem. Hunc apud autores coævos legimus ante quindecim annos cum aliis Imperii Principibus sub Conrado Imperatore crucem accepisse, et deinde Fridericum Conradi successorem secutum anno 1155 in hac antiquæ Burgundiæ parte, quam hodie Delphinatum appellamus, adfuisse confirmationi ab eodem Imperatore factæ Guigoni Delphino Albonis comiti, omnium terrarum

ANNUS 1160

quas in eisdem regionibus possidebat. Ottocharum ad Majorem Cartusiam tum temporis ascendisse verosimillimum est. Ut ut sit, Patrum nostrorum toti orbi nota sanctitate invitatus, votum vovit nostrum Institutum suam in patriam transducere. At Basilio apud Cartusiam sedente, a quo nostræ Religionis monachos ad se mitti magnopere postulaverat, ejus petitionem tum ob nimiam locorum intercapedinem, tum maxime propter animum Patrum ab Ordine multiplicando alienum, omnino denegante, ad Summum Pontificem Alexandrum pius Princeps magno sui voti comprehendi desiderio ardens recurrit, missaque ad Curiam Romanam legatione (ut ipse in suis dotalibus literis testatur), obtinuit « ut interposita autoritate Apostolica, monendo, rogando et exhortando, Patres Ordinis ad petitionem ejus inclinaret. » Missi sunt itaque in Styriam monachi, eos deducentibus Beremundo ejusdem matris Cartusiæ alumno, olim, ut ferunt, Cornubiæ comite, qui primus novæ plantationis institutus est Prior, et famoso illo fratre Converso Aynardo; quibus quidam incaute addunt S. Hugonem postea Lincolniensem episcopum, quem nostrum Ordinem eo tempore nondum ingressum fuisse constat. Constructis quatuor aut quinque annorum spatio necessariis ædificiis, dotem quoque confecit magnificus fundator, scriptis ea de re hujusmodi literis : « In nomine S. et individuæ Trinitatis, Ego Ottacher Marchio de Styria omnibus præsentis et et futuri temporis christifidelibus memorandum trado, et ut nubem oblivionis omnibus detergam privilegio inscribi jubeo, et impressione sigilli mei corroboro, qualiter Ordinem Cartusiensis eremi in marchia meæ ditionis transplantaverim. Igitur ad laudem Omnipotentis Dei, et Virginis perpetuæ Dei genitricis Mariæ, votum desiderio animi diu prælibatum, divina cooperante gratia, feliciter consummavi. Et ut voti celerius compos fieri potuissem, missis legationibus Apostolicam Clementiam interpellavi, quatenus ipsius autoritate interposita, monendo, rogando et exhortando, Patres prædicti Ordinis ad petitionem meam inclinaret. Sicque tanto fretus patrocinio, cœptum opus per Dei misericordiam tandem ela-

Interponente autoritatem apostolicam.

Ex literis fundationis infra descriptis.

Beremundus primus Prior.

Literæ fundationis.

Vovet fundator.

Papam interpellat.

boravi. Est pagus qui vulgo dicitur Gonawiz in Patriarchatu Aquileiensi, ubi situm est prædium eminentioribus montibus circumseptum antedicto Ordini aptissimum, quod a Leopoldo ministeriali meo, legitimo concambio conquisivi, retribuens ei quatuor villas istas. . . . . . In quo prædio, in honorem Domini nostri Jesu Christi et sanctæ Genitricis ipsius, et sancti Joannis Baptistæ omniumque Sanctorum, reverendissimi Ordinis cellas fundavi, et prædium cambitum ibidem super altare patenti manu legavi, cum omnibus usibus et appenditiis ad id pertinentibus. . . . . . Et tale præceptum dedi, ne quis terminos eremitarum ibidem inhabitantium, venationibus, piscationibus, et pascendis gregibus, et lignis succidendis, neve tumultuosis accessibus contemplatores Dei inquietare, et ordinem illorum perturbare præsumat. . . . Hujus vero institutionis meæ seriem nulli successorum meorum liceat infringere. Nolo etiam et omnimode contradico ne Patriarcha, vel aliquis Episcoporum potestatem habeat immutandi. . . . . Ad confirmationem hujus traditionis et legationis meæ testes subscripti sunt per aurem tracti. Ego Ottacher Dei gratia Marchio de Styria. Henricus Pris, Erchenbertus gener ejus, Luipoldus de Hohenek et filius ejus Wergandus, Alram, Richerul, et alii quamplures. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCLXV, Alexandro III Apostolicæ Sedi præsidente, Friderico Imperatore regnante, Udalrico in Cathedra Aquileiensi præsidente, Basilio Priore in Eremo Cartusiæ, Beremundo Priore loci hujus existente feliciter, Amen. »

ANNUS 1160

Cellas fundat.

X. Has qui legerunt literas, tempus Fundationis assignarunt ipso quo datæ sunt anno; sed ex earum tenore satis apparet Domum jam tum fuisse ædificatam et fundatam, monachosque in ea cum Priore habitasse. Sunt etiam qui eam novem ante annos erectam scribunt, quod fieri non potest, quando quidem Ottocharus primus Styriæ dux, fundatoris filius, in quibusdam literis suo loco exscribendis profitetur, patrem suum Cartusienses in suam transtulisse ditionem « consilio et auxilio Alexandri Papæ », qui tantum anno superiori

TEMPUS FUNDATIONIS DISCUTITUR.

ANNUS 1160

Madriag. in Vita S. Brun. hispan. edita.

Quæ fertur fundationis occasio.

creatus est. Quidam putant Petrum Cellensem tunc S. Remigii abbatem loqui de colonia monachorum ad Ottocharum mittenda, in epistola quam nostro Basilio aliquando scripsit. Verum in ea fieri mentionem de alia Domo in Daniæ regno extruenda, suo loco probabimus. Quam Lazius, Romanus Hay, et ex utroque Haeftenus sive illius continuator fundandæ istius Cartusiæ occasionem referunt, hanc verissimam esse Patres Seizenses constanter asseverant: nempe suo fundatori Ottocharo cervam albi coloris non vulgaris staturæ in venatione incassum insectato, et præ lassitudine humi sub arbore procumbenti S. Joannem Baptistam in somnis apparuisse, et Dei nomine imperasse ut monasterium Cartusiense in ipso, ubi cerva dilapsa fuerat, loco ædificaret. Adduntque lepusculum tunc a cæteris venatoribus agitatum, felici casu in Marchionis procumbentis sinum insilientem, suggessisse causam cur postea Ottocharus suæ Cartusiæ nomen indiderit *Seitz*, quod Sclavonio idiomate lepusculum sonat. Porro Beremundus Seitzensis Protoprior, post jacta utriusque ædificii spiritualis videlicet et temporalis fundamenta, Matrem Cartusiam repetens ibidem mortuus est decimo Calendas Octobris incerto anno. Quod spectat fundatorem jam satis ex supradictis liquet eum fuisse Principem celeberrimum, quem præterea reperio privatum bellum anno 1156 cum Bavaro gessisse, et biennio post Friderico Imperatori in recipiendis Cremona et Mediolano auxilio fuisse. Patrem habuit Leopoldum cœnobii Runensis Ordinis Cisterciensis autorem. Avus ejus Ottocharus monasterium Steyergastense Ordinis S. Benedicti pariter ædificavit, cujus proavus Adelbero vivebat sub undecimi seculi initium, Ottonis Imperatoris tempore, cujus filiam sibi sponsam copulaverat. Quandonam obierit Fundator noster hactenus incompertum; constat solummodo illum adhuc floruisse anno sexagesimo septimo hujus seculi. Mortuus vero sepulturam habuit in hac cartusia, cum Joanna uxore sua, Uladislai primi Bohemiæ Regis filia. Alii aliam ei dant conjugem, sed documentis Seizensibus fides potius habenda est. Præter hanc cartusiam cœnobium

Unde nomen Seitz inditum.

Ex Calend. Maj. Cart.

Fundatoris genus.

Ex mss. ejusdem Cart.

Bucelinus in Hist. Germ.

Henning. in Geneal.

in Varau pro Canonicis Regularibus construxit. Eo mortuo Nostri ad tantam devenerunt penuriam, ut locum etiam deseruissent nisi ab ejus filio, quem Summus Pontifex Alexander ad eis prompte auxiliandum admonuerat, impediti fuissent, ut post decem et septem annos dicturi sumus.

ANNUS 1160

Eo mortuo Nostri locum deserere volunt.

XI. Circa hæc tempora Henricus comes Trecensis, Theobaldi Ordinis nostri quondam amici filius, Domum Cartusiensem in sua ditione construere meditatus, Patres Commissarios qui locum ad id operis in ejus Comitatu destinatum viderent, sibi mitti a Basilio Cartusiæ Priore et cæteris Ordinis Patribus ad Comitia generalia tunc congregatis petiit, opera et calamo Petri Cellensis usus, ut ex sequenti illius epistola animadvertere est :

HENRICUS COMES TRECENSIS CONSTRUCTIONEM UNIUS CARTUSIÆ MEDITATUR.

« Dominis et Patribus carissimis Basilio Priori Cartusiensium cum cæteris Prioribus et sancto Conventui, Frater Petrus abbas Cellensis, consilium et auxilium veritatis et pacis. Refusione uberiori irrigatur hortus Dei ille conclusus, fons signatus, quoties in unum conveniunt fistulæ et canales benigni spiritus Dei, non ad calices Babylonicos absorbendos, sed ad fæces Jacob expurgandas et ventres steriles fœcundandos. Spiritus Dei a quatuor ventis cœli singulos vestrum de loco suo evocavit, ut unum corpus plenum gratia et veritate efficeremini. Vos enim qui Priores estis et curam aliorum suscepistis, quasi venæ in corpore Cartusiensis Ordinis estis. Tam itaque unanimiter regimini vestro invigilare omnes, et tam temperanter a subjectis vestris mandata et consuetudines Ordinis exigere debetis, quanta in charitate in humano corpore venæ omnes sibi sociantur, et salubrem vegetationem omnibus membris æqua distributione sanguinis largiuntur. Eadem siquidem cautela fugere debet nimiam exilitatem et subtilitatem vena, quam immoderatam grossitudinem et repletionem. Nimia namque repletio, nisi cito evacuetur, acutam facit et longam ægritudinem gignit. Rursum nimia exinanitio vires detrahit et bona valetudine destituit. Domini et Patres carissimi, ostium vestri Ordinis et visione rara et interrogatione assidua jam trivi ; et si consilium alterius Jethro admitti-

Pet. Cel. Ep. 12. lib. 5.

ANNUS 1160

tis, non usquequaque dispensationes, quæ de corde charitatis procedunt, anathematizabitis. Quam enim frivolum et inconstans est sine ratione et autoritate meliorum mutare decreta et statuta seniorum, tam pertinax est et extra regulam temperantiæ, quæ est mater virtutum, velle temporibus et moribus hominum negare quæ deceant et expediant. Ignoscite quod vocem funestam quidem quantum ad sonum, sed veram quantum ad sensum, in vestro sancto Conventu de latibulo meo ausus sum proferre, et de his hactenus. Cæterum salutat vos Dominus Henricus comes Trecensis et universitati vestræ mandat cum omni supplicatione, ut suæ petitioni acquiescatis; et nobis hoc injunxit, ut ad vos unum de nostris mitteremus per quem voluntas et desiderium cordis vobis innotesceret. Quod autem non proprio sigillo scripsit vobis, occupationis maximæ fuit de suis et regiis negotiis. Est autem petitio ut ei concedatis locum præparare Ordini vestro sumptibus suis, juxta morem vestrum, in terra sua, ubi fuerit visum his quibus hoc negotium injunxeritis. Petit etiam ut Priori de Monte Dei et Priori de Valle S. Petri injungatis hanc curam. A multis enim temporibus hoc ipsum cœpit, et orationibus vestris adjutus cupit perficere. Ex parte etiam nostra hoc ipsum humiliter et devote petimus, quia Deo juvante auxilium et consilium non ficte huic operi subministrabimus. »

AD EUM MITTUNTUR DUO PRIORES ORDINIS.

XII. Ex mandato igitur Basilii et Capituli generalis delegati Simon et Engelbertus, Montis Dei et Vallis S. Petri Priores, accesserunt ad Comitem, visoque quem assignaret ad opus loco, judicarunt illum proposito Cartusiensi minus commodum. Quod cum percepisset Comes a devotione sua nonnihil refriguit, opusque vel neglexit vel intermisit. Sed paulo post novo ardore succensus, evocavit e Monte Dei quosdam, qui locum alium explorarent aptiorem. Hujus rei iterum meminit Cellensis Abbas in epistola ad prædictum Simonem, quæ est hujus tenoris :

Petrus Cellens. lib. 5.

« Dominis et Patribus suis de Monte Dei Simoni Priori cum cæteris Fratribus, Frater Petrus qualiscumque Cellensis abbas, vultus in propitiatorium semper tenere. Varius rerum cursus

seculorum volubilitati irremediabiliter innexus, nihil stabile, nihil æternum sibi inesse evidenti ratione approbat. Currit, fluit, fugit, labitur et evanescit quidquid unquam habere potest mundanus usus, etc. Summa itaque dementia est currere post defectum, appetere non apprehensibile, instare fumo, etc. Alias sine dubio cursum vestrum convertistis, Fratres et Domini carissimi ; alio appetitu vivitis, alia instantia pretiosas margaritas in foro et nundinis veteris et novi Testamenti quæritis, alio usu in carne præter carnem vivendo corpora vestra quæ sunt super terram Christo concrucifigitis, alia conversatione æterna et quæ non videntur concupiscitis. Ideo ad montem Domini sicut passer evolastis, etc. Adjuro vos per campos cervosque camporum, ut cum transierit, post tergum ejus clametis pro pace universalis Ecclesiæ, pro his qui in sublimitate sunt ; pro Comite nostro cujus cor tetigit Deus ædificare vobis locum, in quo secundum genus vestrum, fructum faciatis ; pro me peccatore suo et vestro, pro omnibus nobis commissis.... etc. De mendacio, inquit, venia petita, me ipsum condemno apud vos. Nec enim solvi quod promisi, vel semel in annum revisere nidum sanctarum illarum virtutum, Montem Dei, in quo plumescunt animæ charismatibus gratiarum. Fefellit me tunc ignota futurorum facies, et involuta plurimorum casuum series. De præsenti quo mens mea tota illa Quadragesima impinguata eructabat mellis et butyri rivulos, pensabam sequentes annos, etc. Peccavi, quid aliud dicam ? Si me excuso, os meum condemnabit me. » Denique sub finem epistolæ rursum loquitur de fundanda Cartusia a Comite Trecensi. « Ut ad propositum redeam, et congrua structura cohærere primordiis extrema faciam, venire ad Montem Dei inter illa numero, quæ si bono animo fiant, remunerabilia sunt ; si malo damnabilia. Fur enim ille qui fratris illius leprosi pannos, dum Missa celebraretur, abstulit, præmium bonum pro tali facinore non habebit. Recipiet vero mercedem, qui pro sancto desiderio videre castra Dei, apud vos properaverit. Satis est, si non plus satis sit. More enim meo tarde incipio, sed et tarde finio. Comes

ANNUS 1160

ANNUS 1160

Henricus reaccenso spiritu instat quærere locum idoneum, et asserit illum alium locum non se dimisisse, nisi quia vos noluistis acquiescere. Consulo ergo ut non grave sit iterum mittere aliquem de Fratribus cum quo ipse videam, vel per me vel nostros locum, ut jam dictum est aptum Ordini vestro. Sine mora facite hoc. Sigillatim et generaliter omnes vos saluto, quandoque venturus ad vos, si Deus voluerit, et forte cum redierit nuntius vester ad vos. Interim orate pro nobis. Robertulum nostrum saluto ; Richardum, Stephanum, Rogerium, Nicolaum, et iterum omnes simul. »

Res caret effectu.

Ea omnia sine effectu evanuerunt, nec ulla uspiam memoria habetur hujus Cartusiæ Trecensis. De Rogerio monacho in præfata epistola nominato alibi dicemus, de Robertulo et Stephano jam alias diximus, de Nicolao vero et de Richardo nihil habemus ; cumque eorum obitus non reperiatur in Montis Dei Calendario, hinc colligimus eos alio missos fuisse, et in aliqua alia Ordinis Domo præfuisse et obiisse.

STEPHANUS SANCERRÆ COMES FRATER EJUSD. HENRICI ALIQUANDO CARTUSIENSIS.

XIII. Quidam denique recentiores Scriptores dicunt præfatum Henricum hanc fundationem meditatum fuisse intuitu Stephani Sancerræ comitis, fratris sui, quem perperam credunt tunc fuisse Monachum vel Conversum Cartusiensem ; cum e contra ex variis constet autoribus, eum post conceptum a fratre de construenda cartusia propositum, diutissime seculi vanitatibus deditum vixisse. Anno siquidem 1163, prout narrat Guillelmus de Nangis, « Guillelmus comes Nivernensis Stephanum Sacri Cæsaris comitem bello devicit, et de suis multos occidit et cepit. » Et in *Gestis Philippi Francorum Regis* legitur, quod circa annum 1180 ipsum Regem bello attentare præsumpserit. Anno denique 1190, juxta citatum Guillelmum de Nangis, Cruce assumpta iter transmarinum arripuit cum Philippo et Richardo Galliæ et Angliæ Regibus. Ex quibus patet Stephanum non fuisse vitam Cartusianam amplexum nisi post præfatum annum 1190. Quamdiu vero inter nos vixerit, nullus scribit. Nicolaus Gillius in *Annalibus Galliæ* ad Ludovicum septimum, ejus meminit, sed paucis verbis, quibus asserit eum fuisse Prin-

Guillelmus de Nangis in Chron.

cipem religiosissimum, Cartusianumque tandem effectum. Idem habent nostri Molinus et Clemens Bohicius, et quidam autor Vitæ S. Bernardi gallice descriptæ. Sed dubito an aliquid simile apud veteres Autores inveniatur.

ANNUS 1160

XIV. Hoc anno, Indictione nona, Gentilis Hungariæ Regis quondam cancellarius, tunc vero Ecclesiæ Agrigentinæ episcopus, precibus Matthæi Bonelli concessit Priori sive Magistro S. Stephani de Bosco de Turre et successoribus ejus, ecclesiam S. Christophori, salvo jure Agrigentinæ, cui libras duas incensi quolibet anno solvere debeat, ipse et successores ejus. . . . Matthæi Bonelli fit mentio in Vita Guillelmi Regis I his verbis : « Erat Majonis magni Amirati genere Apuli gener Matthæus Bonellus, genere Siculus, nobilitate insignis, multorum oppidorum, præsertim Caccabi Dominus, affinitate cum pluribus Calabriæ Proceribus conjunctus. » Hæc vero sancti Christophori ædes, quam ab episcopo Bonellus pro Nostris obtinuit, erat in territorio Prizii, quod deinde oppidum constructum ejusdem ecclesiæ fuit.

GENTILIS EPISCOPUS AGRIGENTINÆ BENEFACTOR CALABRIÆ.

Rocchus Pirrus notit. 3 Eccles. Agrigent.

JESU CHRISTI

ANNUS 1161.

Alexandri PP. III.	Ord. Cartus.	Basilii Pr. Cart.
Ann. 2.	Ann. 78.	Ann. 11.

PETRI CELLENSIS CUM MONTIS DEI MONACHIS PIUM LITERARUM COMMERCIUM.

I. ANNUS salutis incipit millesimus centesimus sexagesimus primus, Indictione nona, quo Petrus Cellensis appropinquantibus sacris Paschæ diebus, animum suum sacratissimi Agni sanguine penitus madentem, filiis suis tunc Cartusiæ Montis Dei alumnis ac Simoni eorum Priori dignissimo aperuit, et, ut ita dicam, totum effudit, scripta ad eos eleganti epistola pietatis et amoris plenissima, cujus quædam magis pia ad Nostrorum excitandam devotionem lubet subjicere :

Pet. Cellen. Epist. libr. 5. Epist. 11.

« Dominis suis de Monte Dei, Simoni Priori et toti sancto Conventui, Frater Petrus abbas Cellensis, sanctum Pascha. Quotidianum Pascha celebrare non cessat anima unius cujusque vestrum, dum quasi columba stat ad fenestras suas, et vocem de cœlo explorat, a Libano vocantem sponsam suam. Extento prorsus et retento collo ad caput vestrum, quod in cœlis est, sine cessatione vitam istam umbrosam fastidientes evolare super pennas ventorum contenditis. Jam ibi verum, non annua repetitione sed continua stabilitate, celebraturi Pascha cum Illo et in Illo qui Pascha nostrum immolatus est Christus. Ita est. Sed adhuc ascenditur et descenditur per scalam Jacob, donec quod ex parte est evacuetur, quod fiet quando votum in habitum convertetur, et in Hierusalem hymnus Deo solvetur. Interim, Fratres, in umbraculis habitantes et sub umbra illius quem desideratis sedentes, co-

ANNUS 1161

quite, imo assate carnes Agni tota nocte, singuli in cella sua, et mane comedetis eas. Certe tota nocte debet cremari caro Agni, quia toto mortalitatis tempore, accensa caldaria conscientiæ, facies Salvatoris desideranda, et undis desideriorum fortiter bullientibus, ne in die judicii semicocta offeratur, percoquenda. Habete vascula munda, juxta namque et in oculis præterfluit aqua. Sed numquid vane? Sed numquid gratis? Plane supina et crassa negligentia imputanda est singulis, nisi sint omnia munda, quibus et copia aquarum redundat, et temporis opportunitas superest, et amor incumbit totius munditiæ, et Ordinis consuetudo non refragatur. Sic est, ego vidi, ego interfui, et utinam totiens et tam sedulo cor expurgassem, quotiens et quam indesinenter manus et faciem die et nocte rigavi, non lacrymis, sed aquis. Hoc autem feci ut hospes, quia non ultra ostium, sed in ostio tenui; vos autem intra et ultra ostium promovistis pedem, non advenæ sed domestici cellæ et cœli effecti. Postquam vero vasa vacua ab ambitione emundaveritis confessione et Scripturarum meditatione, implete aqua et ad ignem mittite, et tanquam unguenta pretiosa bullire facite. Domini et Fratres, detineo vos plus justo, ad quorum januam stat et pulsat Jesus volens suum Pascha vobiscum recolere, et de reliquiis mensæ illius magnæ partem bonam reservavit, quam adhuc recentem et calentem denuo de arca cœli refert et profert vobis. Ne vereamini ne caro antiquata sit et putrefacta vetustate nimia, quia jam annus millesimus centesimus sexagesimus primus est. Nequaquam, Fratres, nequaquam ascendat in cor vestrum hæsitatio ista, quia caro ejus dum esset corruptibilis non vidit corruptionem; multo vero minus facta incorruptibilis, et genere vivendi et loco manendi. Recens est, calida est, sana est, vitalis est, regnum cœlorum dat, quia possidet; non est illa caro et sanguis de quo dicitur: Quia caro et sanguis regnum Dei non possidebunt. Quo studiosius arceantur a dentibus et stomachis vestris carnes animalium quæ corrumpunt et corrumpuntur, eo dignius accedunt ad animas vestras sanctificandas carnes illæ, quæ sicut non moriuntur, ita nec corrup-

Ejusdem testimonium de eorum puritate cordis.

1.Cor.15.50.

ANNUS 1161

tionem inesse patiuntur ubicumque refectionem præstaverint. Has imperat Religio, et quo religiosior sis, eo frequentius et ut ita dicam glutinosius comedere debes. Nondum quievisset manus vel animus, sed reprimit et modus dictorum et tempus alia faciendi. Orate pro nobis. Novellum illum angelum vestrum A. salutate, et Robertulum nostrum. Plurimum et multum singulos, et sigillatim et communiter saluto. »

Intima et tenera salutatio.

Ex ms. Montis Dei.

Monachus ille quem novellum angelum Petrus appellat, cujus nomen sola et unica litera capitali designatur, vocatur Albertus, qui anno præcedenti fecerat professionem ; ejus obitus in Montis Dei Calendario notatur ad diem 23 Maii, sed quo anno obierit nondum deteximus. De Roberto, quem hic Robertulum et alibi suum Benjamin vocat idem Abbas, jam supra diximus.

GAUFREDUS EPISC. GRATIANOP. PRINCEPS IMPERII.

Ex ms. Nicol. Chorier.

II. Hoc etiam anno Gaufredus Gratianopolitanus episcopus, quondam Cartusiæ monachus, obtinuit a Friderico Imperatore tanquam Imperii Princeps, omnia Regalia, sive potius eorum confirmationem, quæ sui Prædecessores et ipse hactenus possederant. Sic enim in sua bulla aurea loquitur Fridericus : « Tam futurorum quam præsentium ætas indubitanter..... quod fidelem et dilectum Principem nostrum Gautfredum Gratianop. Ecclesiæ venerab. episcopum ejusque Ecclesiam, cui Deo autore præesse dignoscitur, et universa sibi pertinentia sub nostram imperialem protectionem atque tutelam recepimus ; et Regalia nostra, prout ea melius et liberius antecessores sui usque ad ejus tempora habuerunt..... Imperiali autoritate prædicto Episcopo ejusque successoribus confirmamus etc. Hujus vero confirmationis testes sunt Hermannus Episcopus. . . * rdensis, * Syus Papiensis episcopus, Stephanus Viennensis archiepiscopus, Gaufredus Amalionensis* episcopus ; Otto comes Palatinus et junior Otto frater ejus, B. Dux Polonicus, Everardus comes de Phirrerke, Henricus comes de Tubingen, comes Cuonradus filius comitis Rabadonis, comes Genehardus de Luch.......th. Burchardus burcravius Megdeburgensis, etc. Ego Ulricus cancellarius, vice Reinaldi Colonien. archiep et Italiæ archicancellarii re-

* Verdensis.

* *Negat Ughel. Syrum sedisse.*

* *Forte Ameliensis.*

cognovi. Acta sunt hæc anno Dom. Incarn. MCLXI. etc. »

ANNUS 1161

III. Circa eadem tempora ad cœlos evolavit vir piæ admodum et religiosæ conversationis, Joannes de Montemedio Portarum monachus, cui S. Antelmus dum ibidem præerat plurimam exhibebat ob sanctitatis illius meritum reverentiam, ei adventanti humiliter assurgens; quod nunquam prætermisit facere, etiam cum Episcopi et Abbates aut cujuscumque dignitatis adessent personæ, sicut legitur in Vita ipsius S. Antelmi. Hunc ipsum Joannem putat Chiffletius autorem esse quinque epistolarum, quas ipse nuper edidit ad calcem Tractatus *de Quadripartito Cellæ Exercitio*. Idem cum Chiffletio sentimus. Cognomen vero suum ipse Joannes prodit sub initium epistolæ Bernardi Portarum Prioris ad Aymonem de Varennes et Aymonem de Rohoria, quos ad fugam seculi simul cum ipso Priore Bernardo et Stephano de Chalmeto adhortatur. Sic autem incipit epistola : « Bernardus Prior Portarum, et filii ejus Joannes de Montemedio et Stephanus de Chalmeto, Reverendissimis et in Christo dilectissimis Aymoni de Varennes atque Aymoni de Rohoria, etc. » Stephanus de Chalmeto hic nominatus, frater erat carnalis nostri Joannis de Montemedio; nec repugnat cognominum diversitas, quæ uti nunc passim videmus, ita et frequentius prioribus seculis in usu fuit. Stephano fratri suo noster Joannes autor fuerat atque hortator ad vitæ secularis sarcinam abjiciendam, ad eum scripta in hunc finem prolixa epistola non minus eleganti quam devota, et ita validæ ac vividæ efficacitatis ut obfirmatiores in peccato animos emollire valeat. Ejus initium tale est : « Stephano dilectissimo in Christo Joannes frater ipsius carne ac spiritu, in Christi visceribus inveniri et ab auditione mala non timere. » Quanto vero conversionis ejus, imo et omnium hominum procurandæ studio arderet, his verbis ostendit : « Negotium siquidem de quo ago, salus tua est. An tibi tantum negotium potest incumbere ? Hæc tibi scribere ea me causa impulit, ea mihi ratio persuasit, quia scilicet omnium (si fieri posset) hominum, maxime vero fidelium salutem desiderans, non

JOANNES MON. PORTARUM MORITUR.

Chiffl. in præfat. in Manual. Solitar.

Plures scripsit epistolas.

Ad fratrem quem hortatur ad vitam monasticam.

ANNUS 1161

possum de tua salute non esse sollicitus, et eam quo possum affectu et desiderio apud Dominum flagitare. Hanc in meis orationibus a Deo postulare non cesso. Raro pro me sine tui memoria ad Deum deprecationem facio. Inspirante gratia Dei visum est mihi non satis esse orationibus insistere, nisi et tentarem animum tuum et verbo exhortationis, prout Dominus dare dignaretur, excitarem. » Et post multa : « Quod si adhuc dissimulare contendis, certus sum quod pro præsenti exhortatione accedet mihi aliquid præmii a Domino ; tibi autem augebitur peccatum pro contemptu. Et quid dicam ? Lassescit manus et non fatiscit vel affectus ; languescit dextera, et non tepescit, imo fervescit et ignescit charitas, etc. » Denique tam potentis exhortationis jaculo transverberatus Stephanus mundo valedixit, habitumque suscepit Cartusiensem in Portarum Domo quam et post S. Antelmum per multos annos rexit.

AD ALIOS PLANE MELLIFLUAS SCRIPSIT.

IV. Aliam non minus succidam ac mellifluam *de Modo Orandi* ad Latoldum monachum Joannes scripsit epistolam cum variis orationibus devotissimis ; ex cujus epistolæ textu apparet eum alias ad eumdem epistolas, quæ perierunt, direxisse. Tertiam quoque de eadem materia ac præsertim de gratiarum actione, ad Hugonem monachum dedit, et cum ea alterius, de qua supra ad Latoldum scriptæ, apographum misit. Quartam *de Custodia Cordis* tractantem scripsit ad quemdam Berardum, monachum quidem sed non nostri Instituti, ut ex ejus verbis conjici potest. Quintam denique ad Bernardum nepotem suum qui de Cartusiensi ad alium Ordinem transire cogitabat, qua eum ad perseverandum in primo proposito, miris ac intimum amoris sensum redolentibus verbis persuadere conatur. Ipsa ejusdem epistolæ inscriptione Portarum Cartusiæ se monachum profitetur, ita scribens : « Frater Joannes Domus Portarum qualiscumque monachus, Bernardo dilectissimo secundum spiritum filio et secundum carnem nepoti, debitam in divino famulatu perseverantiam et profectum. » Ipsum vero nepotem Cartusiensis Instituti fuisse, non tamen de primaria Domo

aut etiam de Domo Portarum, his verbis significat : « Fortasse hoc novit Satanas, te scilicet citius moriturum ; et ideo ita importunus est ut tibi perseverantiæ bonum tollat. Novimus enim de Domo in qua es, et de Cartusiensi, de nostra et de aliis hujus Propositi, particulares exisse, quorum nonnulli post paucos dies, aliqui vero post paucos menses obierunt, etc. » ANNUS 1161

JESU CHRISTI

ANNUS 1162.

Alexandri PP. III Ann. 3.	Ord. Cartus. Ann. 79.	Basilii Pr. Cart. Ann. 12.

ALEXANDER III IN GALLIAM VENIT.

I. SEQUITUR annus millesimus centesimus sexagesimus secundus, Indictione decima, quo Alexander Papa fugiens Friderici Imperatoris persecutionem in Galliam navigavit, in qua tutum refugium semper invenit Apostolica Sedes. Hujus in Gallias adventus nos necessario meminisse ex sequentibus annis apparebit.

Vid.an.1171.

Obiit hoc anno die 2 Julii Hugo Prior Majorevi. Hic, lecta epistola sive tractatu quem Joannes de Montemedio Portarum monachus ad Latoldum Majorevensem de Modo orandi scripserat, totus pietate ardens ab eodem Joanne « instantissime postulavit ut aliquas etiam orationes adjiceret ad personam Spiritus Sancti specialiter pertinentes. Qui cum etiam animadvertisset in calce ejusdem epistolæ Joannem ita mentionem fecisse gratiarum agendarum, ut si locus vel tempus permitteret plura inde dicere potuisset, rursus instanter et omnino importune petiit ut de gratiarum actione operosius scriberet. » Quod et ipse fecit scripta ad eum Epistola, quam habes a Chiffletio editam ; in qua inter cætera illum admonet « expedire, ut qui pro peccatis vehementer conteruntur, post mœrorem ex eis conceptum, se ad gratiarum actionem convertant ut animum pro peccatis mœrentem gratiarum actio consoletur, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur. » Nec dubium quin hæc Hugoni animi affectio tunc fuerit, quem propterea Joannes multis pergit erudire

ANNUS 1162

quomodo post lacrymas debeat semper Deo gratias agere, eumque tandem ad calcem epistolæ sic affatur : « Feci quod potui, sicut petisti. Violentus es. Utinam hac violentia regnum cœlorum diripere merearis. Fructum autem laboris mei a Domino tuis orationibus expectabo. » Mortuo Milone præfatæ Majorevensis cartusiæ Priore et in illius locum suffecto Stephano tunc Procuratore, noster Hugo idem Œconomi officium, B. Pontio de Balmeto suadente, suscepit. Factus deinde Prior, Petri Venerabilis amicitiam coluit, scriptis ad ipsum literis quas superius habes. Vix exactis in Prioratu tribus annis, apud S. Antelmum tunc Cartusiæ moderatorem adeo instanter egit ut repetendæ cellæ licentiam obtinuerit. At Basilius Antelmi successor nolens virum qui aliis prodesse poterat sibi soli vivere, eidem illum regimini restituit. Utrumque statum per novem annos, quibus tunc præfuit, multum promovit, pluresque Nobiles quos ad Deum piis suis colloquiis converterat, ad professionem admisit. Ab Anastasio Summo Pontifice terminorum confirmationem impetravit, et a Friderico Ænobarbo bullam auream, qua infeudationem jurisdictionis in Majorevensis Domus homines obtinuit.

PETRUS CELLENSIS FIT S. REMIGII ABBAS.

II. Eodem etiam tempore Hugone S. Remigii Remensis abbate, quem alibi Odoni Montis Dei fundatori successisse vidimus, defuncto, eidem monasterio per electionem Petrus tunc Cellensis abbas Cartusiensium amantissimus præficitur. Hic suum, quem hactenus erga Montis Dei Fratres habuerat, affectum testatum volens, Odonis fundationem scriptis sexennio post suam electionem literis confirmavit.

S. THOMAS ARCHIEPISCOPUS CANTUARIENSIS ELIGITUR.

III. Cum multa de S. Thomæ Cantuariensis archiepiscopi historia nostris Annalibus necessario attexenda occurrent, præsertim quod Cartusienses quosdam in suis tribulationibus adjutores habuerit et ex ejus morte primus in Angliam aditus Ordini nostro patuerit, operæ pretium duximus gesta ejus quædam delibare, ut inde liquidior eorum quæ dicturi sumus hauriatur historia. Ait ergo cardinalis Baronius, qui ex multis opusculis de Vita ejusdem sancti Præsulis suos

ANNUS 1162

concinnavit Annales : « Eodem anno Londini in Anglia generale Concilium celebratur, convenientibus omnibus Episcopis ad subrogandum Metropolitanum Angliæ totius Antistitem Cantuariensem Archiepiscopum. . . . . . convenit simul et Rex ad hoc ipsum, communibusque omnium suffragiis electus est Thomas ex Cancellario . . . . protestatur adversus Regem ne eum Episcopum Cantuariensem eligeret, alias enim ipsi fore adversarium et contrarium inimicum, propter ecclesiasticam libertatem. Unde revera totius discordiæ inter Regem et Archiepiscopum prodiit occasio. »

ESKILLUS ARCHIEP. LUNDENSIS CARTUSIAM IN DANIA VULT FUNDARE.

IV. Cartusiam in Regno Daniæ Eskillus, Lundensis archiepiscopus Daniæ et Sueciæ Primas, circa præsentem annum ædificare voluit, de cujus situ cum vix per decem aut duodecim annos steterit, nihil prorsus post tot elapsa secula reperire potuimus. Illius institutionis autorem tempusque accipimus ex literis jam memorati Petri Cellensis abbatis. Hunc enim in suam familiaritatem adsciverat Eskillus per Gallias aliquando iter faciens, sive cum in Claramvallem venit S. Bernardum visendi gratia, sive cum Romam adiit ad Adrianum IV Pontificem, cui privato etiam nomine carus erat. In hoc itinere beatus Præsul cartusiam Montis Dei invisit, ibique miratus monachorum sanctitatem, Cartusienses in sua etiam conserere patria constituit, sicut jam conseverat Cistercienses, Claravallenses ac Præmonstratenses. Communicato itaque suo consilio cum præfato Cellensi Abbate, quem forsan comitem tunc habuerat, curam ei commisit petendorum ab Conventu Majoris Cartusiæ monachorum, quos in Daniam deduceret Rogerius Montis Dei professus, in quo inter cæteros Fratres præclarissimas animi et virtutum dotes præfulgere audierat et per seipsum didicerat. Interea rediens in patriam, captus spoliatusque fuit in Germania. Quæ res, dum injuriam missis ad Fridericum Imperatorem legatis acrius pro Archiepiscopo persequitur Adrianus Papa, exacerbatis hinc inde animis ansam præbuit schismati quod inter eos erupit, ut docet Radevicus. His licet et civilibus ærumnis occupatus Eskillus, nihilominus per epistolam Pe-

Menologium Cistercien.

Montem Dei invisit.

Radevicus l. 1. de Gestis Frederici cap. 8. in Notis Sirmundi ad Epist. Petri Cellensis.

trum urget ut apud Nostros negotium acceleret, quod ille velut rem impetratu difficilem, ut in sua epistola loquitur, non potuit absolvere nisi post unius anni curriculum.

ANNUS 1162

V. Extat ea de re Petri epistola ad Eskillum, qua illum monet Cartusienses tandem acquievisse ut præfatus Rogerius in Daniam proficisceretur, locum novæ cartusiæ idoneum perquisiturus ac præparaturus. Exhortaturque ut quod tam sancte tamque avide cœpit, ad effectum perducat. Hujus epistolæ partem hic in ejus laudem ac memoriam, et ad ampliorem hujus cartusiæ notitiam inserere operæ pretium duximus :

PETRUS CELLENSIS PRO EO MONACHOS PETIT ET OBTINET.

« Domino et Patri suo carissimo Eskillo Lundensi archiepiscopo, Frater Petrus Cellensis abbas, omne bonum a Domino Deo. De superabundanti bonorum cœlestium gratia eatenus tam vultus quam manus vestræ resudant, ut nisi verecundia his temporibus ab humana regione se subduxisset, suffunderentur maximo rubore noti et amici vestri in benedictione largitionum vestrarum. Equidem malim dicere vos in dando pluere quam seminare. Nam qui seminat primum in spe percipiendi fructus seminat, deinde non fundit sed spargit, postremo nonnisi cultæ terræ semen suum credit. Horum nihil imitatur pluvia, sed seipsam, ut sic dicam, perdit in terræ visceribus ut postea resurgens cum maxima frugum prole afferat fructum tricesimum, sexagesimum et centesimum, etc. » Deinde post medium epistolæ, de Fratribus Cartusiensibus in Daniam mittendis sic loquitur : « Cæterum culpari non debet servus de contemptu mandati, cujus mens et voluntas nulla negligentia revocatur ab impletione voluntatis Domini. Ex vestra Dignatione in mandato ab anno præterito accepi, quatenus Cartusienses Fratres expeterem et de maturando negotio vestro eos commonefacerem. Erat autem negotium, sicut scitis, quatenus ad vos mitteretur frater Rogerius, ad locum Ordini illorum in partibus vestris perquirendum et præparandum. Disposuerat namque in animo vestro plena et perfecta charitatis effusio, nova seminaria de omni genere sacrorum Ordinum seminare provinciam vobis a

Ex libro. I. Epistol. Epist. 23.

ANNUS 1162

Deo commissam, ut exinde fructus qui permanent in æternum susciperetis et manipulos justitiæ de laboribus eorum ad æterna tabernacula reportaretis. Jam non solum in herbas sed in spicas, Cisterciensis sive Clarævallis Ordo ibi multiplicatione Fratrum excrevit. Nihilominus et Religio Præmonstratensis. Quia igitur gustavit et vidit prudentia vestra quod bona sit negotiatio ista, ad ulteriora manum porrexistis, et de illo Ordine qui quasi Cherubim sive Seraphim immediate residenti Agno, qui habet oculos septem et cornua septem, in throno gratiæ accedunt, gazas vestras exornare voluistis. Ecce factum est ut imperastis. Acquievit sanctus Cartusiensium Fratrum Conventus justis petitionibus vestris. Equidem res impetratu difficilis ; sed quis vobis negare quod forte Spiritus Sanctus in sancto templo suo suggerebat ? Certe nec illi nec nos diffidimus servum suum fidelissimum et amicum Domini vos possidere, cujus famam et opera præclarissima reclamat mundus. Quod cœpistis tam sancte, tam avide, tanquam quodammodo intemperanter præ desiderio animæ, sic effectui mancipate ut melior sit finis orationis quam principium. Valete. »

Mabillon. in Notis. ad Ep. Petri Cellen.

Petrus fuit abbas Cellensis ab anno 1150 usque ad præsentem annum, quo præfectus est abbatiæ S. Remigii. Cum igitur epistolam scripserit adhuc Abbas Cellensis, hinc recte colligimus Rogerium in Daniam missum fuisse paulo ante vel circa præsentem annum.

QUIS FUERIT ROGERIUS.

VI. Quis vero fuerit Rogerius de quo tam præclara mentio habetur in præscripta epistola, adhuc accipe ex Necrologio Virorum sanctitate illustrium cartusiæ Montis Dei, ubi hæc de illo notantur : « Die VI Novembris apud Montem Dei, Venerabilis Rogerii, qui fuit ex primis Cartusianis qui in Daniam pro fundatione unius Domus perrexit ad petitionem beati Eskilli Sueciæ Primatis ; qui inde ad Montem Dei redux, reliquos vitæ annos cum Maria ad pedes Domini religiose exegit. » Ejusdem iterum meminit idem Abbas Cellensis in alia epistola ad Simonem Montis Dei Priorem, ad cujus calcem hæc habet : « Sigillatim et generaliter omnes vos

saluto, etc. Interim orate pro nobis, etc. Saluto Rogerium, Nicolaum, et iterum omnes simul. » Hanc autem ad Simonem epistolam ante præfatam ad Eskillum scriptam fuisse arbitramur, licet posteriori ordine habeatur in libro a Sirmundo edito, in quo quidem absque temporis ratione omnes epistolæ videntur positæ.

ANNUS 1162

Liber 5. Epist. 13.

Cum advenisset in Daniam Rogerius, ibi per aliquot annos moratus est non multum promovens novæ Domus erectionem ob paucitatem monachorum, quos ab Ordine illuc mitti non parum erat negotii. Quamobrem Eskillus Petri tunc abbatis S. Remigii usus opera et calamo, novos incolas rursum tentavit obtinere ut suo loco dicemus.

JESU CHRISTI

ANNUS 1163.

Alexandri PP. III	Ord. Cartus.	Basilii Pr. Cart.
Ann. 4.	Ann. 80.	Ann. 13.

S. ANTELMUS ELIGITUR EPISCOPUS BELLICENSIS.

I. MILLESIMUS centesimus sexagesimus tertius, Indictione undecima, venit annus quo S. Antelmus in Majoris Cartusiæ cellula delitescens, inspirante Domino, eligente et postulante Clero Bellicensi, ac demum electionem ipsam confirmante Alexandro tertio Summo Pontifice, in Bellicensis Ecclesiæ thronum evehitur anno ætatis suæ quinquagesimo quinto aut circiter, ut ex Vitæ illius contextu colligere erit. Quod vero Episcopus hoc anno creatus sit, habemus ex eisdem Vitæ ejus actis in quibus autor dicit illum solemniter fuisse consecratum Sexto Idus Decembris die Dominica in Nativitate B. Mariæ, quæ quidem hoc anno ipsa Dominica die accidit. Eumdem annum assignant Sammarthani, qui tamen Antelmum a Nantelmo distinguere videntur ; quem nihilominus eumdem esse constat. Nam variis in codicibus indiscriminatim scriptum legimus Nantelmum et Antelmum. Et in Cartusiæ Calendario antiquissimo scribitur Nantelmus. Unde et ipsi Sammarthani in Vita ms. Pontii de Balmeto legentes hæc verba : « multos a vanitate convertit ac rectitudini vitæ restituit, quorum unus Nantelmus Bellicensis Ecclesiæ Secretarius dignitates respuens et vias duras Cartusiæ apud eremum Portarum sequens, ostendit quantum incrementi Ecclesiæ Dei attulerit. » Hæc, inquam, illi legentes sola horum verborum ducti autoritate Nantelmum ab Antelmo dis-

tinxerunt; sed quis allucinationem non videat ? præsertim cum constet S. Antelmum Sacristam fuisse Ecclesiæ Bellicensis, et Cartusiensem habitum induisse in Domo Portarum eo tempore quo Pontius Præsulem adhuc agebat. Nec obstat quod in Vita sua S. Antelmus dicatur ad nostrum Institutum allectus, Bernardi Prioris et Bosonis Portarum Procuratoris adhortationibus. Nam potuit primum a Pontio « rectitudini vitæ restitui, ut supra vidimus, et a Portarum Patribus ad perfectam conversionem attrahi. Denique in citata Pontii Vita Nantelmus dicitur ei successisse in episcopatu et miraculis claruisse ; quæ certe plane conveniunt sancto Antelmo licet non immediate Pontio successerit. In chartis S. Sulpitii Abbatiæ idem Nantelmus confirmat donationem Ecclesiæ Longæcombæ a Pontio factam, ut habent Sammarthani ; sed cum annum non designent, hæc nostrum Antelmum spectare verisimillimum est. His ita stabilitis, jam ipsum Vitæ S. Antelmi autorem audiamus sic pergentem post ea quæ anno 1158 exscripsimus : ANNUS 1163

II. « Sed non licuit ei longo tempore absconditum manere, quia voluit Dominus lucernam sub modio non diutius latere, sed super candelabrum positam in Domo Dei lucere. Cum Bellicensis Ecclesia suo fuisset orbata Pastore, Canonicis dissentientibus, pars potentior quemdam elegerunt adolescentem genere nobilem domo episcopia sibi tradita ; pars vero altera contradicens et alterum eligens, monachum scilicet quemdam, miserunt ad Dominum Papam qui tunc in Galliarum partibus versabatur, ut ejus autoritate confirmatum atque consecratum eum haberent Episcopum, ductore et gubernatore Sigibodo astuto ac facundissimo viro, diversarumque Scripturarum scientia non indocto ; cujus ornatis et politis verbis facile faventem sibi habuit curiam. Sed in harum neutra electione Papæ contulit, qui distulit his qui venerant dare responsum, perpendens et alios venturos expectans qui dicerent et ipsi, vel si quid melioris haberent consilii. Interea Christus Eclesiæ suæ providens, utili disponit de Pastore. Erant de Fratribus moderatiores pauci quidem, quia sapien- QUOMODO ELECTUS.

ANNUS 1163

tes semper rariores, quibus neutra sapiebat electio ; hi cæteros ad concordiam mediare satagentes, magnum illum anachoretam Antelmum eligunt quibus omnes assentiunt congaudentes, ipse etiam prior electus cum amicis, erat quippe consanguineus ejus : sed quia hunc non sine magna vi ab eremo avelli posse sciebant, ad Dominum Papam properaverunt Alexandrum, qui cum audisset eorum negotium gavisus est dicens illos fore felices tali Pastore, et hoc a Deo ipsis propitio processisse consilium. Primum vero pius Pater hos qui ad se venerant, cæterosque per se ipsos eos tradere ad concordiam curavit. At Sigibodus qui sibi cuncta pro velle contigisse putabat, tam bonam electionem nisus est destruere, multis argumentis astruens suam stare debere, istam improbari. Blande vero admonitus, sed et rogatus a Præsule, tanti Patris non valens resistere voluntati, coactus tandem præbuit assensum. His itaque pace conjunctis, Dominus Præsul scripsit Antelmo, Apostolica autoritate præcipiens ut Ecclesiæ Bellicensis ad quam electus erat suscipere curam nulla occasione differret. Priori quoque et omni Conventui ex præcepto eum tradi poscentibus, et si nollet, per obedientiæ virtutem cogi.

FUGIT AUDITA ELECTIONE.

III. «Cumque rem nosceret Antelmus et advenisse qui eum vellent adducere, subducens se fugere proposuit, Dominum nostrum Jesum Christum in hoc imitatus, qui cum vellent homines eum rapere et Regem sibi facere, fugiendo et abscondendo se declinavit ab eis, docens alios hoc exemplo potestates dignitatesve ambiendo non appetere. Fugit equidem Dominus, causam qua fugeret non ignorans ; hic vero extra se positus, quid faceret nesciebat ; Dominus qui non suam sed Patris venerat facere voluntatem, quia tempus a seculis dispositum nondum aderat quo a Patre clarificatus suum perciperet regnum. Hic non intelligens quod res a Deo ageretur, necessarium conabatur evitare ministerium ac propriæ

Revocatur a fuga.

parere voluntati. Perquirentes autem eum Fratres et inventum de latebris educentes, vix in Conventum venire compellunt. Referunt ei Domini Papæ mandata, tradunt literas,

jubet Prior ex præcepto, rogant Legati ex persona totius Ecclesiæ Bellicensis, monent Fratres ut curam ad quam Deo disponente electus erat susciperet, et adversus Dei voluntatem niti in sua perseverando non auderet. Sed quid agunt apud eum abnuit omnino, et se de eremo non egressurum in perpetuum contestatur. Tandem callide cogitantes dicunt ei : Unum tibi, frater, incumbit e duobus, aut ex Apostolici Præsulis mandato injunctum suscipere ministerium, aut ipsum te adire oportet qui postquam tuam noverit voluntatem nunquam tibi vim faciet. Hac igitur spe ductus, iter arripuit, Legatis eum non deserentibus ; quo perveniens venerabiliter exceptus est a Summo Pontifice et a tota Curia, noverant enim magni esse meriti. Ut autem ventum est ad colloquium, dixit Antelmus se non ob aliud venisse nisi ut misericordiam inveniret, ne ad id cogeretur quod nec sibi nec Ecclesiæ cui expetebatur expedire sciebat. Cœpitque se in multis accusare, illiteratum, idiotam se et indoctum inhonestumque, et inutilem indignumque vociferans ; hæc et plura sibi imponens, voto etiam vovisse eremum se nunquam relicturum, invitumque cogi non debere.

ANNUS 1163

Ad Summum Pontificem pergit.

« Cumque magnis precibus misericordiam imploraret, respondit ei Pater : Noli, fili, noli occasiones prætendere ; non enim decet te fingere. Novimus tuam, in quibus addictus fueris, industriam ; ut quid nunc inerti pusillanimitate tuus deprimitur animus ? obedire te oportet ; quod scripsi, scripsi. Attende Scripturam dominantem : Quasi idolis immolare est non obedire, et quasi peccatum ariolandi nolle aquiescere. Quanta sit obedientiæ virtus, quam professus diu tenuisti, animadverte. Qui temetipsum abnegare Christumque sequi professus es, non debes tuam sequi voluntatem, eodem Domini nostri exemplo, qui factus obediens usque ad mortem, cum ex humana conditione gustum ejus formidaret, ait : Pater, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, non mea voluntas sed tua fiat. Talibus et similibus verbis eum blandiens mulcere curavit, quibus auditis confusus tacuit et ob Patris reverentiam ulterius reniti non adjecit. Consecratus

A quo cogitur consentire.

Ab eodem consecratur.

ANNUS 1163

igitur solemniter Episcopus Antelmus a Præsule Apostolicæ Sedis Alexandro, sexto Idus Septembris, id est in Nativitate B. Mariæ die Dominico, mansit in Curia ipso Papa eum retinente diebus aliquot. Cumque de multis esset in communi colloquio sermo, ipse frequenter de Scripturis idonea proferebat testimonia. Unde et dicebant : Non est hic, ut asserere nitebatur, omnino indoctus et illiteratus ; qui cum esset recedendi cura sollicitus, aptis quibusdam munusculis donatum, cum benedictione Papa dimisit in pace.

QUALIS FUERIT IN EPISCOPATU.

IV. « Quibusdam jam de beati Viri vita vel moribus memoratis, nunc de his quæ in Episcopatu gessit vel qualiter se habuerit, Deo auxiliante, huic compendioso operi vel pauca inserantur. Idem qui prius extitit, morum gravitate, virtutum constantia, Religionis perseverantia, orationes, abstinentias, vigilias, et cætera afflictionis genera multiplicans potius quam minuens. Divinum Officium non in capella sua, sed dignius atque honestius in majori ecclesia cum Canonicis humiliter frequentabat. Omni fere die, quod ei raro licebat ante, salutarem Deo hostiam offerebat omni cum devotione, non sine lacrymarum affluentia. Sacrorum Ordinum ministros, quam maxime sacerdotes, summo dignos asserens honore, omni reverentia venerari suis præcepit auditoribus, eisque sine criminis nota seipsos prædicavit honestos Dei exhibere ministros. Sed audiebat de ipsis unde dolebat. Erant enim ex eis quidam, quod etiam memorari pudor est, publici concubinatus ; quidam vero, quod dictu nefas est, adulterii reatu infames. Primo igitur ordinationis suæ anno, collectis in Synodo presbyteris, precibus et minis admonuit eos dicens : Quanti sit honoris, quantæ dignitatis, quam sanctum ministerium vestrum advertere debetis, Fratres et compresbyteri nostri. Vos sicut beatissimus scripsit Apostolus Petrus, genus electum, regale sacerdotium, vos mediatores inter Deum et homines. Sacerdos etenim Angelus Domini exercituum est ; sicut luminaria in mundo lucere debetis, ut alios non tam verbo quam operis doceatis exemplo ; quid est Creatorem omnium omnipotentem manibus contrectare, panem illum vivum qui

Austeritates auget.

Quotidie celebrat.

Clerum ad correctionem hortatur.

ANNUS 1163

de cœlo descendit de mensa Domini sumere, quicumque hoc, nisi mundo corpore et pura mente, temerario ausu præsumit, ut ait Apostolus, judicium sibi sumit non dijudicans corpus Domini. Sed sunt ex vobis qui hoc non attendunt ; non quidem ignorant, sed negligunt. Nam quod abominabile est et execrabile, turpiter se humiliantes et a tanto honore in sordibus præcipitati, sancta polluere non verentur, per immunditias suas Deum ad iracundiam provocantes. Numquid parum vobis est, vobis loquor qui tales estis, quod sicut per Ezechielem Dominus dicit, vos non pascentes oves quid debuistis facere, videlicet infirma confortare, debilia roborare, fracta consolidare, dispersa inducere, a dentibus luporum eripere, vos ipsos opponere non curatis, nisi et fœditatis vestræ taxo corruptas Dominicas oves, qui ad vitam ducere debuistis ducatis ad mortem ? His vel similibus ad correctionem eos provocans addidit, dicens : Quæ hactenus commisistis, etsi vindicare omitto vel punire, dignum tamen fuerat vos Ecclesiæ bonis et Ordine privari. Verumtamen ex hoc, qui se castigare noluerint, districta eos non parcam ferire sententia. Nolo talia patiendo, me peccati vestri culpam incurrere ; non parcite vobis et parcet Deus. Hæc primo sui Episcopatus anno egit Antelmus. »

REGI GALLIÆ SUAM ELECTIONEM SIGNIFICAT.

V. Ubi vero designatus fuit Episcopus, suam Ludovico Galliæ Regi electionem denuntiavit scripta sequenti epistola :

Rex olim Cartusiam adierat.

« Excellentissimo Domino suo Ludovico, Dei providentia Regi Francorum, Antelmus Bellicensis Ecclesiæ humilis minister, sic terrenum regnum regere ut in cœlis cum Sanctis valeat regnare. Ex quo, illustrissime Rex, vestræ Serenitatis sublimitas parvitatem Cartusiensis Domus, suam nobis præsentiam exhibendo, visitare dignata est, in armariolo nostri pectoris, ea qua potuimus dilectione suscepimus. Tunc enim, ut ita dicamus, nostris visceribus incorporati estis ; verum nec facile eruemini. Nunc quoque Dei voluntate, nescio aut disponente aut permittente, Ecclesiæ Bellicensis qualiscumque designatus Episcopus, nostris orationibus vestri memoriam habentes, preces pro vobis et regni stabilitate fun-

ANNUS 1163

dimus ad Deum. Proinde Magnificentiæ vestræ suggerimus ut humanis favoribus plusquam vobis non credatis; misericordiam et judicium, benignitatem et mansuetudinem ac similia imitemini, quæ scilicet insignia sunt regiæ dignitatis. De cætero Majestati vestræ supplicamus quatenus cuidam nepoti nostro carnali Parisiis studenti, pro Dei et nostri amore, unde sustentari et sapientiæ intendere possit subvenire dignemini. Valete. »

S. HUGO FIT CARTUSIENSIS.

VI. Eodem tempore, id est circa præsentem quem nunc agimus annum, S. Hugo natione Delphinas, patria Gratianopolitanus, e castro dicto de Avallim, ad urbe primaria tribus leucis dissito, natus annos viginti tres vel circa, Canonicus regularis, vitæ austerioris exquirens semitas, relicto priori habitu quem ante quindecim annos induisse diximus, ad Cartusiensium Instituta convolavit. Quomodo vero res se habuerit, et qua occasione seu potius Dei Providentia ad sublimioris Propositi cognitionem et amorem devenerit, non humano honore sed puriore Dei dilectione melior effectus, ex Actis ipsius accipe :

Vid. sup. ad an. 1148.

Omnibus ipsum laudantibus solus seipsum deprimit.

Vita ms. l. 1. cap. 7.

« Verum, ut dicit Scriptura, cum consummaverit homo, tunc incipiet. Jam Hugonem pro modo suæ conversationis seu professionis, ac supra modum suæ ætatis perfecte consummatum in virtutum apice omnibus conclamantibus, ipse nec initium quidem perfectionis vel dignæ conversationis se attigisse putabat. Comperta vero sancta et sublimi opinione Cartusiensium monachorum, cum inexplebili cordis desiderio eorum anhelabat informari exemplo. Ac primo quidem dissimulata hujus desiderii violentia, obtinere studuit ut simul cum Priore suo jam superius memorato, illorum mereretur aspectu et affatu potiri. Quo facto, tantus mox in ejus pectore spiritualis illius amor conversationis succensus est, ut nullatenus incendii ejus flammam intra se cohibere posset. Experiebatur enim jam feliciter ardens infeliciter ardentis verum eloquium dicentis :

Cartusiam invisit.

Quoque magis tegitur, tectus magis æstuat ignis.

ANNUS 1163

Intuebatur vero, et intuens mirabatur locum ipso quoque situ nubes pene supergressum, cœlis contiguum, ab omni penitus inquietudine terrenorum semotum. Considerabat etiam tantam ibi opportunitatem vacandi soli Deo; cui quoque negotio hic videbatur adminiculari præcipue prædives librorum abundantia, legendi facultas copiosa, orandi quies inconcussa. Et quidem quoad loci dispositionem, hæc ita se habere dignoscuntur. At in loci habitatoribus attendebat carnis mortificationem, mentis serenitatem, spiritus libertatem, hilaritatem frontis, puritatem sermonis. Instituta eorum solitudinem non singularitatem commendabant, segregabant mansiones sed mentes sociabant. Unusquisque habitabat secum, nec habebat aut satagebat aliquid suum; omnes manebant seorsum et communiter quisque degebat; seorsum manebat unusquisque ne impedimentum experiretur ab aliquo, communiter degebat ne fraterno privaretur solatio. Hæc et hujusmodi sunt notata ibidem, ac præcipue obedientiæ secura munitio quæ multos sæpe solitarios hanc non sequentes destituit et extremæ perniciei exponit. Hugoni placebant, Hugonem rapiebant, ipsumque tanquam extra se repente effectum sibi funditus vindicabant. Erat in illo cœtu sanctorum seniorum quidam magni quondam in seculo nominis, tunc quoque in sancto Proposito celeberrimæ opinionis; huic secretius Hugo pectoris sui æstus aperiens, nec tam consilium an faceret, quam quonam pacto quam citius quod optabat perficeret, cum gemitu et fletu inquirens, ab eo longe aliud quam sperabat responsum accepit. Intuens vero vir prædictus adolescentem ut aspectus renunciabat, qualitate delicatum, ætate tenellum, sciens etiam ipsum natalibus clarum, nec moribus ejus credebat posse rigorem illius Ordinis congruere, nec viribus convenire. Hunc igitur terrifica sic responsione, quasi a tali præsumptione compescens ac constantiam ejus explorare nitens, inquit : Istud, o filiole, quomodo vel qualiter cogitare præsumis ? Homines, quos rupes incolere cernis præsentes, saxis omnibus duriores sunt, nec sui sciunt nec aliorum secum habitantium misereri. Locus ipse horridus

Libris abundantem.

Quales erant monachi.

Mentem suam aperit cuidam seni.

A quo deterretur.

ANNUS 1163

ipso aspectu, visu gravissimus. Porro usu ipsius cilicii asperior amictus cutem et carnem desuper ossibus vivo tibi abraderet; disciplinæ rigor teneritudinem istam quam in te intueor penitus exossaret. Hic vero Christi tyro et beatissimi Martini familiaris cultor et devotus imitator, illato terrore constantior, Laurentii secum invictissimi eloquium tacite versabat in pectore, qui prolato ante se omni tormentorum genere terrere eum cupientibus ait: Has epulas semper optavi. Ut enim caminus injectis exilit aquis et flammarum in sublime comas extollit, sic Sanctorum ignescens desiderium, cum obviant adversa, fortius convalescit.

AB ALIIS ANIMATUR.

Ubi supra cap. 8.

VII. « Senem itaque memoratum tanquam votis suis crudelius adversantem declinans, aliis quibusdam ex Fratribus cordis sui æstus confestim pandit ; nec morantur illi cum ingenti favore et instanti exhortatione persistendi in stabili proposito, suum ei et assensum impertiri et auxilium polliceri. Tunc Hugo gaudio gestiens infinito, hæc Priori suo celanda summopere deprecatur; Evangelicæ nimirum institutionis sedulus æmulator inventum meminit thesaurum abscondi oportere, donec omissis potius omnibus quæ habuisset quam venditis, emere illum mereretur et securius possidere. Verumtamen licet dissimulatione multa quod moliebatur, dum tegere niteretur, effugere tamen suspicionem solertis nequivit Pastoris nimio eum amore zelantis. Unde ad propria eis cum festinatione regressis, sic lacrymis ora suffusus senior illum affatur: O, inquit, fili carissime, scio, utique scio, quod in grande malum meum et irreparabile ecclesiæ meæ damnum te ad Cartusiam adduxi. Te sibi Cartusia totum rapuit, te possidet; nos interim te corpore tenus vix tenemus, sed anima tua nobiscum non est; sed non istud vereor diu erit. Nam spiritum ab ineunte secutus ætate, carnem nihili ducens, illius procul dubio impetu non istius ductus, a nobis in brevi es abducendus. Proh dolor! lumen oculorum meorum sic subito extinguitur, baculus senectutis meæ, cum eo jam solito plus indigeam, nutabundo præripitur. Sed numquid dulcedo mellis mei sic repente vertetur in

Prior suus illum a proposito avertere conatur.

absynthium, et gloria mea, quam de filio sapiente tantum gloriabatur pater, ita redigetur in nihilum? Miserere fili, miserere potius patris tui, nec tantæ strenuitatis tuæ solatiis canos meos jam busto proximos destituendo, innatæ tibi pietatis cancellos transcendas. Quod si materna viscera ecclesiæ quæ te Deo genuit, si fraterna dulcedo piorum quæ te suaviter fovit, non funditus revocant animum ad perfectiora æstuantem ; saltem in hoc paternæ condescende senectuti, ne adhuc spirantem deseras qui amodo in te solo debuit respirare. Inter hæc et alia hujusmodi jam utriusque spiritum luctus absorbuit, cum resumpto vix flatu senex etiam hæc locutus est : Spero, inquit, spero de ingenita sibi bonitate confisus dilectissimi filii mei, quia exaudivit me. Juret ergo mihi in nomine Domini Dei sui filius meus, quod Patre derelicto, Cartusiensibus dum vivam minime sociabitur, alioquin suspicionis telum, quo viscera spiritus mei atrociter transfixit, timor nullatenus avelletur.

ANNUS 1163

« Deus bone ! quid inter hæc mentis, quid animi servo tuo fuit ? Quantus in corde ejus geminæ dilectionis conflictus sæviebat ? O mira res ! o perplexitas mira ! utrobique tempestas et utrimque serenitas. Hinc et inde ad naufragium fluitantem et ad portum impulsum : si vocanti ad perfectiora non obediat Deo, deseritur una charitas ; si potestati contradicat ordinatæ a Deo, læditur gemina charitas ; una deseritur quæ Dei est, gemina non impletur quæ Dei et proximi est. O angustiæ undique ! sed præ nimia, quod dictu mirum est, charitatis latitudine, quid tamen faciet sic dilatatus et sic angustatus ? Dicere inter hæc quid poteras, o anima dilatata, o anima angustata ? Quid eligas, ignoro. Verumtamen dico ego quod quodlibet horum elegeris, sive præstiteris sive renueris præstare quod posceris, vita non mors est tibi. Verum quid elegeris, quem exitum inveneris, qualiter effugias manus importunas, jam videamus. Solitus utique et assuetus obedire Præpositis et subjacere, eis nescius contradicere, ignorans nolle acquiescere, das manum exigenti, et petenti fide corporaliter præstita satisfacis, exitum de cætero tui ne-

Inde Hugonis perplexitas.

Jurat et promittit se Priorem non derelicturum.

ANNUS 1163

gotii divino prorsus arbitrio committis. Meministi Matrem Numinis, Virginem salutis humanæ puerperam, voto virginitatis illibato in nuptias consensisse ; Dei tamen sapientia dispensante nullum inde voti præjudicium, imo et magnæ integritatis præsidium et fœcunditatis solatium acquisivisse. Nec dissimile sane præsumebas et sperabas tibi a puritatis tuæ inspectore, a teste conscientiæ et intentionis tuæ judice Deo omnipotente ; sed neque in longum Deus te fraudavit a spe tua. Nam paulo post, cum hæsitares aliquandiu et quid ageres ignorares, cum et dispendia spiritualis vitæ quotidie sustineres et contra fidem datam venire potius abhorreres, infudit subito cordi tuo superna Clementia verissimæ et lucidissimæ radium discretionis, inspirans tibi et certificans te plenissime sacramentum non esse observandum, inconsideratius extortum contra utilitatem animæ aut in detrimentum veræ salutis. Sciens igitur et exultans quod revera ista loqueretur in te Dominus Deus, audiens eum et exaudiens, disposita tibi domo credita nullo sciente, quia nullo insidiante nec tale aliquid suspicante, clam discessisti, Cartusiam advenisti cum gaudio exceptus, in multa ibidem gratia profecisti. Inquisitus sane multoties a puero tuo utrum aliquando ullum ut assolet scrupulum hujus fidei transgressio tibi peperisset, mihi semper istud respondebas : Nunquam certe inde scrupulum sed potius jugiter jubilum sensi, cum factum memini unde profectum tantum cepi. » Hæc ibi.

A Deo illuminatus non obstante juramento clam aufugit et fit Cartusiæ monachus.

AN PECCAVIT HUGO VIOLANDO JURAMENTUM ?

VIII. Verum enim vero duo hæc quæ admisit S. Hugo, juramentum scilicet et egressio e monasterio insalutato superiore, cum magna cautione legenda sunt. Nec enim hujusmodi exempla sunt tam facile imitanda, quæ solum peculiaria sunt sanctis Viris divino spiritu afflatis ; ut accidit S. Hugoni. « Nam cordi ejus, ut vidimus supra, infudit subito superna Clementia verissimæ et lucidissimæ radium discretionis, inspirans ei et certificans ab eo plenissime sacramentum non esse observandum, inconsiderantius extortum contra utilitatem animæ aut detrimentum veræ salutis. » Et id quidem juxta solemnem S. Isidori regulam apud Gratianum : « In male pro-

Bohic. in Annal. mss. Ord. Cart.

22. q. 4. Can. in malis.

missis rescinde fidem. » Quæ vero sit mala promissio et illicita obligatio fusius pertractant Theologi. De egressione ejus insalutato superiore agit noster Sutor, ad quem lectorem Cartusiensem remittimus. Quod autem S. Hugo ex Canonico regulari ad nostra Instituta transierit, in hoc imitatus est duos Stephanos S. Brunonis socios, quos id licite fecisse nemo ambigit. Postea Paulus IV Canonicos regulares ad Cartusiensium Instituta, ut pote austeriora, transire posse etiam Pontificio sanxit diplomate. Jam vero enarremus, qualem se in nova Ordinis militia præstiterit Hugo. Sic igitur sequitur in Actis:

ANNUS 1163

Franc. Suar. to. 2. de virt. relig. lib. 2.

Sutor, l. 1. tract. 2. c. 6.

An potuerit ad nos transire?

Magn. Bullar. tom. 1.

IX. « Hic vero universa quæ servus Dei egit, quæ pertulit, quæ meruit, quæ percepit, quantum posceret utilitas multorum, si tentaremus evolvere succumberent vires nec vivendi spatia sufficerent, et ad reliqua ejus gesta prosequenda, ora penitus obmutescerent. Sed transeamus ad ista cursim, nec reticentes omnia nec singula recensentes, quæ præcipua vero dicenda paucis pro posse absolventes. In primis vero id non prætereundum videtur, quod de primordiis suis crebro familiariter nobis ipse referebat. Mox, inquit, ut infra cellæ limen pedem posui, exurgentem novæ tentationis novum in corde meo motum sensi ; nec uniformis tentatio illa fuit, sed novam ingresso militiam omnia tentator innovavit antiquæ malitiæ suæ instrumenta, præcipue quasi balistam robustissimam et eo ut sperabat insuperabilem, quo mihi inseparabilem tetendit. Imo accendit contra me stimulum carnis meæ, die namque ac nocte non discedebat a me imminens mihi et urgens me Angelus Satanæ colaphizans me. Quid ad hæc ego, Jesu bone ; imo quid bonitas tua ad hæc ? Faciens fecisti bonitatem cum servo tuo. Ego quidem genibus terram, gemitibus cœlum, pectus pugnis, genas lacrymis rigavi, tutudi, pulsavi, cecidi. Sed hæc omnia et alia innumera quasi aerem verberans feci, quousque et tu qui non dormis neque dormitas, qui custodis Israel, o Samaritane benedicte, manum apposuisti ; tu custos de nocte manum apponebas vix semivivo, ut putabam, relicto a latronibus hinc inde repente irrepentibus et dire

QUALEM SE PRÆBUERIT IN NOVA MILITIA.

Ubi supra cap. 9.

Tentationem carnis patitur.

ANNUS 1163

irrumpentibus, ac omne malum subito dissipabas. Tunc videns cordis mei aream arefactam carnisque fornacem fatiscentem, cedentibus inde fluxis cogitationibus, hinc ignitis motibus, mirabar quis fuissem, quis subito effectus essem. Talibus erga me, imo contra me alternantibus vices, obliviscebar persæpe mei, memor tui de terra Jordanis; inde quasi de duobus unum nomen et originem fluvius ducit, duplicabam confessionem humiliationis meæ et glorificationis tuæ, misericordias tuas tibi cantans et injustitias meas adversum me pronuntians, sentiebam quia tu remittebas impietatem peccati mei. Manens enim in Hermon et in monte modico, dum detestarer et anathematizarem omne lubricum turpitudinis obscœnæ, humilians me et post ferale incendium pulverem me et cinerem sentiens esse, mox benefaciebas servo tuo revelans oculos meos ut considerarem mirabilia de lege tua. Dabas quoque mihi fatigato et defecto, vel modice interdum prælibare manna istud absconditum : illud vero tantillum quod huic mœrori prægustare dabas, tale erat et tam immensum, ut facile contemnerem propter ipsum obtinendum plenius et dulcius, quidquid mundus novit dulce vel amarum, leve vel asperum : verum in his rara mihi hora et parva mora ; rursum ad certamina, rursus ad bella rapiebar. Nusquam vero, sed nec unquam defuit licet indigno mihi piissimi miseratio Redemptoris, semper in cordis mei aure vox ejus erudiens et confortans me atque consolans, semper manus ejus mecum eripiens et corroborans me. Et hæc quidem ac plurima in hunc modum mente contrita, non modo pro consolatione nostra sed pro devotione et humiliatione sua, secretius agens de statu suo quem in Episcopatu deflebat immutatum, de his quæ in vita priore humanitus vel pertulerat aut divinitus perceperat, memorare solebat. Inserebat autem hæc in suipsius vehementem suggillationem, quasi Deo pro beneficiis suis congrue non responderet, aut se post largiora Domini sui dona, jam in ætate robusta infirmioribus annis viribus animi imparem exhiberet.

SOLITUDINEM ARCTISSIME SERVAT.

X. « Potitus tandem cupitis amplexibus formosæ et luminosæ

Rachelis, sedebat novus eremi accola, tanquam religiosissima Maria, Hugo in cella solitaria; sedebat vero solitarius, qui tamen non erat solus; sed erat cum eo Dominus Deus per quem erat in cunctis prospere agens. Sedebat quidem cum multa humilitate, pedibus adhærens dilectissimi sui Jesu, aviditate summa audiens verbum ejus. Hic istam sibi præcipue familiaritatis confidentiam ad suum conciliavit Jesum, qui illum in sanctam extulerat superbiam, ut de cætero in totum vitæ suæ reliquum omnem mundi gloriam, omne culmen arbitraretur ut stercora; omnem superborum et sublimium hujus seculi fastum, velut in imo positum, ipse in sublimi quodam fixus rerum vertice longe despiceret. Hic sibi vocem assumpserat qua diceret Sapientiæ: Soror mea es, apud quam opes superbæ sunt et gloria, quibus participans tanquam frater copiis bonæ sororis, positus est a Domino in superbiam seculorum, sicut inferior hujus scripti textus edocebit, etc. »

ANNUS 1163

Ubi supra cap. 10.

Deinde multa habet autor de vigore disciplinæ sub Basilii regimine et de virtutibus comitis Gerardi, de quibus alibi; tandemque sic prosequitur. « Quid hic egisse quantumve profuisse vel profecisse Hugonem putamus, ubi inclytus ei a primævis, ut ita dicam, mensibus discendi amor cum libris, cum magistris, cum ingenio præclarissimo, cum otio quam opportuno, tam firme et continuo tantum juvari et promoveri potuit, quantum in sylvis infinitis ignis inexplebilis. In his studiis dies continuabat et noctes, nec aliud suis causabatur profectibus novercari et gaudiis, nisi temporis brevitatem, cui mirum in modum legenti semper vel meditanti aut oranti, omnis dierum noctiumque prolixitas, minori quam optasset spatio tendebatur.

FRATRIBUS OBSEQUIUM PRÆSTAT.

Ubi supra cap. 11.

XI. « Itaque Hugo cum Maria vacabat quidem verbo Dei, cum qua nihilominus ministerio quod ei competeret ferventi animo insistebat. Nam sicut Maria nunc caput, nunc totum corpus, nunc pedes Domini ungere gaudebat; ita et Hugo modo Prioribus, modo coæqualibus, modo etiam inferioribus suis dulcis obsequii gratiam impendere, et quadam

ANNUS 1163

Ministrat seni monacho.

devotionis suæ benevolentia eos gratius refovere curabat et cupiebat. Quod dum circa universos quam sincere tam et impigre exerceret, injungitur ei cura et obsequela senis cujusdam monachi magnarum virtutum viri. Hunc jam valetudinarium, ac præ ætate et debilitate suprema cellulæ suæ parietes nunquam excedentem, Hugo in horis regularibus decantandis, vel quibuslibet necessariis ministrandis servitor devotus indefessus, tanquam nutrix alumnum suum, aut mater filium juvabat et mulcebat, nec aliter quam ipsi Domino Jesu Christo in omnibus ei ministrabat.

A quo arguitur quod velit sacerdos fieri.

« Contigit aliquando, tempore sacrorum Ordinum ab Episcopo loci celebrandorum instante, annis jam aliquantis in tali conversatione peractis, de ipsius promotione verbum fieri. Hoc sciens vir Dei, Hugonis pariter institutor et alumnus, cœpit dicere illi quasi tentans illum : Ecce, ait, fili, jam in te est an velis sacerdos fieri ; si acquieveris, ad hunc gradum modo promoveberis. Ad hoc ille, cui jam olim nihil dulcius nihil æque dulce erat, quam sacris deservire mysteriis quamque divinis sacramentis saginari, Jesumque suum quia sibi dulcissimum, ut inferius plenius docebitur, cordis faucibus et corporis in hostia liberius contingere salutari, æstuanti ad audita desiderio, mox suppliciter et pure quod optavit aperuit. Ait ergo : Quantum in me est, Pater, nihil sane magis appeto in vita ista. Tunc vero senex ad eum : O quid dixisti ! O inquam, quid dixisti, aut quis crederet te ausurum aut dicturum ista ? O miraculum ! O toties legisti : Quia ad sacerdotium non accedit invitus, accedit indignus ; et tu modo non invitus, imo et avidus, ut ipse fateris, accedere non metuis ! Ad hanc vocem territus et quasi fulmine tactus, tota corporis strage ad pedes objurgantis prosternitur, flens ubertim et veniam tantæ præsumptionis gemebundis vocibus petens ; qui ad modicum velut simulans anxietatem, cum ad tantam ejus devotionem et humilitatem totis et ipse visceribus concuteretur, tandem ita leniter et flebiliter : Surge, inquit, surge ; quo etiam ad jussum ejus sedente, hæc spiritu prophetico vir Dei locutus est : Ne turberis, inquit, jam non

ANNUS 1163

fili, sed Domine mi; ne, inquam, turberis; scio et vere scio quo spiritu, quo affectu locutus sis hæc verba. Tibi igitur dico, et vere dico, mox quidem sacerdos, ac post cum tempus præstitutum a Deo advenerit, etiam episcopus eris.

Eum Episcopum futurum prædixit senex.

FACTUS SACERDOS QUAM PIE CELEBRAT.

Ubi sup. c. 12.

XII. « Promotus itaque juxta verbum viri Dei ad gradum sacerdotii, quantum crevit in ordine tantum in sacra profecit devotione. In altaris quidem officio ita versabatur ac si visibilem manibus contrectaret Dominum Salvatorem; videbatur astantibus divina celebranti, opere et veritate ipsum cum Sponsa illud epithalamium decantare : Dilectus meus mihi, et ego illi. Tantam ei dilectus devotionem conferebat, tantam illi dilecto attentionem exterius ipse dabat; iterumque panis et vini visibilem speciem intuitus, ad invisibilia mentis intendens aciem : Dilectus, inquit, meus candidus et rubicundus. Ad duo ista quæ et quanta cordis ejus uterus conceperit, quæ vox, quæ poterit lingua retexere ? Interdum etiam crucis lactucam cum Agno Paschali expressius, imo impressius gustans, et internis dentibus terens, totis animæ suæ vocibus clamabat : Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Nec enim perfunctoria afficiebatur compunctione ad horam, ac postmodum ad levia mentem relaxabat; sed animum in vigore discretionis continens, illud Prophetissæ et peccatricis egregie sibi vindicabat: Vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati. Domabat corporis membra vigiliis, jejuniis, flagellis, et juxta morem Ordinis usu cilicii, et potu aquæ cum arido pane. Nihil omittebat de austeritate quam communis Regula et Majorum admittebant exempla ; peculiaria etiam quam plurima super rogare non desistens, genua flectebat crebrius, corpus totum sternebat in terram; jacensque pronus cum Moyse et Aaron, cum Josue et Daniele, divinam exorabat Clementiam, quatenus a populo suo furorem suum averteret et propitiationem acceleraret. In omni Quadragesimæ septimana tres ferias in aqua et solius panis edulio, nullo penitus condimento adhibito, nisi forte salis adhiberetur prælibatio, transigere consuevit. In ultima hebdomada sabbato adjiciebatur observan-

Ejus austeritates.

Orat pro populo.

ANNUS 1163

tia in simili dieta. Nunquam debilitas, aut infirmitas, seu casus alius, ante sumptum Episcopatum, alio cibo vel potu, illud quatriduum eum compulit aliquatenus relaxare. Abstinentiæ huic adscribebant medici in ætate progressiori stomachi illius nimiam refrigidationem. Unde plures interdum perferebat dolores, et juges pene molestias. Hanc quoque designabant causam, quia virtus in eo appetitiva virtute digestiva erat potentior, corpulentioremque eum jam quinquagenarium faciebat quam fuerat pridem adolescens. Sic ergo non modo sobrie et juste et pie, imo parce et benigne et devote Deo et proximo et sibi vivendo, ad summum sacerdotii gradum dignissime subeundum divinitus meruit præparari. Scalam nempe virtutum haud segniter dietim conscendens, cujuslibet dignitatis apicem sanctitatis jam culmine præcellebat. »

Quomodo Canonicus apud nos induitur.

Ex codice Maj. Cart.

Hactenus de gestis sancti Hugonis privatim in cella degentis antequam Procurator efficeretur, qua de re inferius suo loco dicemus. Ejus forsan ad nos transitus occasione, facta est ordinatio in quodam Capitulo generali sub Basilio, quæ talis est : « Canonico regulari, quando in Ordine nostro recipitur, dimittitur habitus suus usque ad diem professionis suæ ; sed monachus mox ut recipitur, nostra induitur cuculla. » Ex quibus verbis videtur conjiciendum, quod Canonicus regularis novitium ageret in habitu suo regulari, usque dum professionem emitteret. At contrarium colligitur ex Rifferii Statutis, quæ hanc ordinationem vel explicant vel sic corrigunt : « Si qui recipitur monachus est, statim sua exutus, nostra est induendus cuculla. . . . . . Si vero Clericus secularis, aut Canonicus regularis, alteriusve cujuslibet Ordinis fuerit, nec superpellicium nec aliud de priori habitu ei dimittitur, sed confestim rasus induitur, sicut qui de seculari conversatione venerunt, indui consueverunt. »

REX ANGLIÆ INFENSUS THOMÆ CANTUAR.

XIII. Eodem tempore oriri cœperunt simultates inter Regem Angliæ Henricum secundum et Thomam archiepiscopum Cantuariensem, dum pius et fidelis Pastor opponit se murum pro Domo Israel adversus violentas ecclesiasticæ liber-

tatis oppressiones. Inde factum est ut sacrilegi quidam bonorum Ecclesiæ usurpatores, adjunctis sibi quibusdam Episcopis, Regem et omnem ejus familiam in eum concitarent, dicentes illum regias consuetudines et donationes velle abolere. Sed hæc fusius in rebus ejus gestis, quæ hic tamen prælibare necessarium fuit ad eorum intelligentiam quæ, sequentibus annis, referemus de legatione Priorum nostri Ordinis ad eumdem Regem.

ANNUS 1163

Baron. ad hunc an. n. 19.

Acta S. Thomæ apud Sur.

XIV. Hoc etiam anno, ut Patres Hispani asserunt, Domus Scalæ Dei fundatur in loco *de Populeta,* circa villam seu Grangiam sic dictam, nunc in oppidum *de Popoleda* conversam; deinde translata est ad locum *Vallis Olivarum* ad radices Montis Sancti in diœcesi Tarraconensi, Principatus Cataloniæ, in montibus Pratarum situm; et a civitate Tarraconensi sex leucis distantem, et quatuor ab oppido de Cambrills, quibus occidua est, et octo ab urbe Ilerdensi ad occasum. Erexit illam Ildefonsus II Rex Aragonum, sive potius illius nomine Petronella ejus mater et tutrix; nam tunc temporis duodecimum ætatis annum non excesserat Ildefonsus, cum natus tantum fuisset anno 1152, si credimus Hieronymo Blancæ. Nomen *Scalæ Dei* novæ Domui inditum hac occasione tradunt. Quibusdam Nobilibus a Rege missis ad investigandum locum nostro Instituto idoneum, occurrit opilio ad interiora deserti gregem minans. Hic cognito eorum consilio locum eis ostendisse dicitur, in quo asserebat se non ita pridem in somnis vidisse scalam ad cœlos usque pertingentem, et juvenes alatos miræ pulchritudinis per eam descendentes et ascendentes. His ad Regem vel ad Reginam matrem relatis, cum missi Nobiles situm loci monasterio aptissimum confirmarent, illud ibidem ædificandum fore decretum est. Visionem fusius narrat Josephus Valles Canonicus, in Libro quem de Cœnobiis nostris in Hispania positis sua lingua edidit. Verum vel hujusmodi portentum ad aliud tempus rejiciendum est, vel illud critici suspectum habere poterunt, quod nomen *Scalæ Dei* huic domui sit tantum impositum post fundatoris mortem, a Petro ejus filio et succes-

SCALA DEI FUNDATUR IN CATALAUNIA.

Joachim Alfaura in Orig. Dom. Ordin. Cartus.

Rex Aragonum fundator.

Blanca de Rebus Arag.

Unde illi nomen.

Ex mss. ejusd. cart.

Valles de fundation. cartus. in Hispan.

ANNUS 1163

Ex ejusd. cart. Archiv.

sore, ut affirmat Jacobus, ejusdem Petri filius, in diplomate dato anno subsequentis seculi octavo decimo, in quo sic loquitur : « Quoniam dictus sanctorum eremicolarum conventus Ordinis Cartusiensis magni Regis Aragonum Ildefonsi felicis memoriæ avi nostri . . . . Cujus conventus monasterium magnificus pater noster *Scalam Dei* voluit appellari. Omnipotenti Deo pro tanto et tali munere gratias referentes, ut per hanc scalam ad cœlestia scandere valeamus, ad cunctorum notitiam volumus pervenire quod nos Jacobus Dei gratia Rex Aragonum, etc. » Primi hujus novellæ plantationis incolæ tum e Majori Cartusia, tum e Domo Repausatorii assumpti sunt viri sancti Petrus de Montesancto Prior, Raymundus de S. Stephano Procurator, Gerardus et Anselmus Monachi sacerdotes ; Fulco, Pontius, et Raymundus de Almozara Conversi.

Primi monachi hujus Domus incolæ.

AYNARDUS CONVERS. ILLUC MISSUS.

XV. Hi septem nominati reperiuntur in Tabulario ejusdem Domus, quibus adjungendus est frater Aynardus vir simplex et innocens, sed miræ constantiæ et audaciæ ut ex sequenti patebit facinore, quod in hac Domo degens patrasse scribitur ab autore coævo in S. Hugonis Lincolniensis Vita his verbis : « Non adeo barbaram sub cœlo gentem includit oceanus, quæ posset Aynardi apud se commorantis præconia non mirari, aut ejus ad cœlestia jam sublati merita laude celebri minime venerari. Hic quondam a Cartusia in partes Hispaniarum missus gratia informandæ novæ Domus Ordinis sui, duos bonæ religionis viros in eremo degentes sibi vicina, in magnæ familiaritatis gratiam susceperat. Contigit autem ea tempestate Saracenos a finibus Africæ in illas regiones irruptione facta, multaque hominum cæde subito patrata, spolia inde cum præda copiosa ad suos asportasse ; qui inter viros quoque ac mulieres quos prædantes ceperant, eremitas Aynardo carissimos pariter abduxerunt ; quo ille cognito, extorta prius precibus importunis et lacrymis a Priore et Fratribus quam ultro impetrata licentia, navigavit ad Africam, quo dum pervenisset ac dictos Dei famulos sollicite inquisitos demum invenisset, non ante destitit virum potentem qui eos captivos

Vita mss. S. Hugonis Lincoln. lib. 4. c. 13.

Duos Eremitas a Saracenis in Africam abductos liberat.

ANNUS 1163

tenebat, rogando, monendo, pœnas divinitus inferendas minando, velut quibusdam præcantationibus delinire, quousque eosdem, quod vix sperari poterat ab homine gentili, absque redemptionis pretio liberos impetraret dimitti; cum quibus reversus ad propria lætabatur in Domino quasi qui invenisset spolia multa. Tam libere vero et adeo constanter cœcitatem infidelium Agarenorum objurgaverat, tantaque autoritatis fiducia lucem eis Christianæ veritatis annuntiaverat, ut nemo esset qui illum contemnere auderet, sed universi ad primos ejus affatus et aspectus nutu Dei in stuporem versi, non minimam ei reverentiam exhibebant. Erat enim nivea canitie reverendus, et voce gravis, oculis quiddam divinum scintillantibus, ad indigna terribilis, ad congrua jucundissimus et lenis. Hic etiam cum vice quadam per fines apostatarum Albigensium transiret, conserto cum eis sermone audivit eos protervis vocibus omnia Dei Ecclesiæ sacramenta blasphemantes, qui nimio contra impios zelo exardescens accessit ad proximos illarum partium catholicos Proceres virosque potentes, induxitque eos ut sumptis armis in perfidos irruerent et ex eis innumeros trucidarent. Unde contigit ut illis in locis nullus erroris infandi assertor ulterius compareret. Jam vero hujus facti exemplo longius propagato, brutum illud homunculorum pestiferumque genus magno fidelium sudore abrasum est, ac Deo miserante deletum; deinde Cartusiam rediit Aynardus, in Daniam postea mittendus ut alibi vidimus.

Catholicos in Albigenses excitat.

XVI. Porro ad veritatem hujus facti stabiliendam repeRiuntur in Scalæ Dei Tabulario instrumenta, quibus innotescit quosdam eremitas ante et post fundationem ejusdem cartusiæ in loco vicino degisse. Siquidem anno 1164 Arbertus de Castrovetulo, Dominus Cuiranæ, ad instantiam Ildefonsi regis Aragonum et Comitis Barcinonensis, dedit Raymundo de Vallebona et Petro sacerdoti cæterisque eorum confratribus, unum locum in Montesancto ubi et sita est cartusia, ut ibidem Deo servirent. Et ipse Rex eisdem eremitis anno 1171 sequentem fecit donationem, cujus apographum in gratiam studiosi lectoris subjiciendum duximus :

EREMITÆ EUMDEM LOCUM OLIM INCOLUERE.

ANNUS 1163

« In Christi nomine et ejus gratia, ego Ildefonsus Dei gratia rex Aragonum, comes Barcinonæ et marchio Provinciæ, pro remedio animæ meæ et parentum meorum dono, laudo, atque in perpetuum concedo Domino Deo et beatissimæ Virgini Mariæ, et tibi fratri Raymundo de Vallebona, et omnibus Fratribus tuis præsentibus et futuris, Populetam cum omnibus terminis et affrontationibus, et cum omnibus introitibus et exitibus suis sicut unquam melius habuit in tempore Saracenorum et Christianorum. Habet autem affrontationes jam dictus honor de Populeta, de stricto S. Marcelli usque ad splugam de ipsa pinu sicut aquæ undique discurrunt. Ex duabus vero partibus sicut montes undique claudunt, et discurrit pluvialis aqua in rivo de Quirana infra jam dictos terminos. Sicut ab istis terminis jam dictis totus jam dictus honor concluditur et terminatur. Sic ego Rex dono Domino Deo et beatissimæ Virgini Mariæ, et tibi Fratri Raymundo de Vallebona et Fratribus tuis præsentibus et futuris, ad vestrum proprium aloidum liberum, francum et ingenuum. . . . . . voluntates vestras per secula cuncta, Amen. Salva nostra fidelitate, et de tota nostra potestate per secula cuncta, Amen. Signum Ildefonsi regis Aragonum, comitis Barcinonæ et marchionis Provinciæ. Facta Charta in Oscha, mense Februarii anno Dominicæ Incarnationis 1171. Signum Raymundi de Mulnellis. Signum Petri de Arazuri. Signum Michaelis Sancii. S. Deusavida Desos. S. Raymundi de Cervaria. S. Sancii Garziæ Justitiæ. Ego Bernardus de Calidis scriba Domini Regis scripsi hanc Chartam et feci hoc signum. »

Mortuo Raymundo, Petrus sacerdos socius ejus, qui et de Vallebona cognominatus est ex loco quem habitabat, Moniales ex Regno Navarræ in eremitorium sive monasterium Vallisbonæ introduxit, consilio et persuasione Dominæ Berengariæ germanæ nobilis Raymundi de Cervaria. Huic parthenio primum præfuit nobilis mulier Orga abbatissa, et post eam Sandina.

Gerardus sanctus Eremita.

Erant etiam tunc alii eremitæ in eodem monte, inter quos præsertim florebat Gerardus apud Sanciam reginam, Ilde-

fonsi fundatoris nostri uxorem, magno in numero habitus. Hic post vitam sanctissime transactam in eremo decessit, cujus corpus in hujus cartusiæ ecclesia honorifice asservatur in ligneo sepulchro, quod etiamnum visitur in Choro Conversorum juxta altare Omnium Sanctorum cum tali epigraphe : « Hic jacet corpus venerabilis Patris Fratris Gerardi primi eremitæ eremitorii S. Bartholomæi, qui in magna austeritate vitæ vivens, multisque virtutibus et miraculis fulgens, beato fine quievit. » Non igitur dubium quin ex his eremitis fuerint hi, quibus frater noster Aynardus cum tanta charitate tantoque zelo libertatem procuravit. Sed ad fundationem Scalæ Dei prosequendam sermo noster redeat.

ANNUS 1163

XVII. Ildefonsus rex, præter locum quem primis Patribus assignavit, alia etiam loca in eodem monte in eorum gratiam obtinuit a supradicto Arberto de Castrovetulo, qui in quodam instrumento dato anno 1170, meminit eorum « quæ prius concesserat Petro de Montesancto et sociis ejus. » Ex quibus verbis patet hanc Domum jam ante præfatum annum a Nostris fuisse habitatam. Denique pius fundator relicta ex Sancia uxore copiosa prole, obiit anno 1196 septimo Calendas Maii, sepultus in monasterio Populeti ab hac Domo trium leucarum intervallo distante, quod a patre inchoatum ipse perfecerat. Quanta vero Nostris sit largitus dici non potest, cum nullum extet ab eo concessum diploma aut privilegium. Attamen quædam dedisse colligitur ex literis Jacobi I ejus nepotis jam superius citatis.

FUNDATOR ALIA BONA CONTULIT.

Petrus Ildefonsi hæres terminos dilatavit et plura privilegia concessit. Jacobus I dictus Expugnator quicquid ab avo et patre concessum fuerat confirmavit, et in confirmationis diplomate, ubi declarat ut diximus patrem suum hanc cartusiam voluisse Scalam Dei appellari, multa adjecit : « omnia etiam jura, inquit, infra terminos Scalæ Dei ad nos pertinentia, videlicet fidelitates, homagia, census, proventus, reditus, firmantias, justitias, questias, tayllas, demandas, adepticas, exercitus, cavalcadas, caltas, fortias, monetativa, bovagia, leudas, pedagia, vicinatica ; omnes etiam terras, possessiones

Ejus posteri dotem augent.

ANNUS 1163

cultas et incultas seu ab eremo derelictas, sylvas, nemora, montes et colles, plana et ardua, aquas currentes et non currentes, piscationes, venationes, ædificia, molendina et quæcumque alia scripta vel non scripta ad nostrum jurisdictionem spectantia, Venerabili amico nostro Rodulpho Priori Scalæ Dei et universis successoribus suis et Fratribus ejusdem monasterii, absque omni retentione et diminutione donamus, etc. Recepimus propterea monasterium, Priores, Fratres et homines quoslibet Scalæ Dei cum omnibus eorum rebus et substantiis sub nostro speciali guidatico et commisso, etc. Datum Illerdæ Nonis Octobris per manum Blasqui notarii nostri, et mandato ejusdem scripta a Joanne Egidii sub era 1256, anno Incarnationis Domini 1218. etc. »

Benefactores.

Templum majus regnante eodem rege ædificatum est, sumptus suppeditante Guillelmo de Sirca seu de Cervaria, cujus corpus primum in regio Populeti monasterio, diu post ad hanc cartusiam delatum in dextero ejusdem templi pariete jacet. Ejus mentio habetur apud Zuritam, qui inter tutores quos Jacobus Rex filio suo constituit, Guillelmum de Cervaria nominat. Ad Guillelmi sinistram sepulti sunt Petrus ab Aragonia eques, Comitis Pratarum filius, pronepos Jacobi II regis et pater Margaretæ regis Martini I uxoris ; et Franciscus de Cardona Ferdinandi Cardonensis ducis filius. Inter præcipuos Scalæ Dei benefactores annumerandi sunt Sparagus Banca hujus nominis I Taraconensis archiepiscopus, qui decimas et primitias possessionum cum Ecclesiæ suæ Capitulo an. 1218 largitus est. Joannes Ribera civis Ilerdensis hanc Domum suo testamento hæredem universalem instituit. Petrus Sala civis Dertusensis idem præstitit anno 1457. Michael Segrera[a] magnus benefactor dicitur in Charta Cap. gen. Eodem titulo insignitur Sybilla[b] Desbru abbatissa Bonæ Requiei. Gabriel[c] de Castilione appellatur « quasi alter fundator », et habuit plenum monachatum sub die 2 Novemb. ; in hac Domo cui omnia bona sua contulerat sepultus. Galcerandus[d] de Villafranca miles. Joannes[e] dux Cardonæ. Beatrix Torrero[f] et Michael et Constantia ejus liberi : Michael vero

Indicat. rerum ab Arag. Regib. gest. Lib. 2.

[a] Ex chart. 1458.
[b] Ex chart. 1461.
[c] Ex chart. 1490.
[d] Ex chart. 1509.
[e] Ex chart. 1513.
[f] Ex chart. 1519 et 1520.

Torrero habuit plenum monachatum in Domibus Hispaniæ sub undecima Septembris. Henricus de Cardona[g] cardinalis S. R. E. archiepiscopus Montis Regalis, et Petrus de Cardona archiepiscopus Tarraconensis in eadem Charta benefactores Scalæ Dei appellantur. Ludovicus[h] de Cardona dictæ Tarraconensis Ecclesiæ archiepiscopus. Francisca[i] Manriquez ducissa de Cardona. Laurentius[k] episcopus Nicopolitanus, cujus perhonorifica fit mentio in hujus Domus Historia ms., tum propter eleemosynas concessas tum præsertim ob illius singularem pietatem et summam humilitatem. Eleonora[l] de May uxor Michaelis de May vice cancellarii Imperatoris in hac Domo sepulta cum marito. Alphonsus[m] de Aragon filius ducis de Cardona et de Segobrica, magnus protector et fautor hujus Domus et Vallis Christi dicitur. Antonius Ros[n] consiliarius Regis Catholici habuit Missam de B. Maria per totum Ordinem propter beneficia Scalæ Dei et Monti Hilari collata. Josephus[o] ab Aragonia fundatorum hæres et Scalæ Dei patronus benemeritus appellatur. Illustris Dominus Jacobus Aloscola[p] civis Barcinonensis. Sunt et infiniti alii hujus Domus benefactores, amici et fautores quorum nomina in eisdem Chartis capitularibus occurrunt, quæ consulto præterimus ne lectori fastidium creemus. Ex his tamen innotescit quanta sit erga Cartusienses Hispanæ gentis pietas : ad cujus laudem et beneficiorum qualemcumque memoriam et commendationem, fatemur Ordinem nostrum apud nullam aliam nationem tot nactum fuisse benefactores vel amicos. De quibusdam aliis fundatoribus adhuc alibi dicemus. Quanti vero sancti monachi per hanc scalam e terra in cœlos ascenderint, suis locis satis frequenter videbimus. Hæc enim Domus viris piissimis uberrima fuit.

ANNUS 1163

[g] Ex chart. 1530.

[h] Ex chart. 1533.

[i] Ex chart. 1540.

[k] Ex chart. 1544.

[l] Ex chart. 1549.

[m] Ex chart. 1550.

[n] Ex chart. 1584.

[o] Ex chart. 1600.

[p] Ex chart. 1604.

V. ad annum 1333 et 1403.

JESU CHRISTI

ANNUS 1164.

Alexandri PP. III	Ord. Cartus.	Basilii Pr. Cart.
Ann. 5.	Ann. 81.	Ann. 14.

ALEXANDER III CONFIRMAT INSTITUTIONES CAP. GENER.

I. SEQUITUR annus millesimus centesimus sexagesimus quartus, Indictione undecima, quo Alexander Papa apud Senones in Gallia tunc demoratus, Basilii Cartusiæ Prioris et cæterorum Ordinis nostri Priorum rogatu bullam concessit, qua confirmat factas in Capitulis generalibus Institutiones. Nec solum ad Patrum, ut diximus, instantiam privilegium hoc largitus est; sed juxta instructionem quam ab iis Episcopis acceperat, qui Domos Cartusienses suis in diœcesibus sitas Capituli generalis potestati subjecerant, ut alibi narravimus; et id patet ex ejusdem bullæ tenore, qui talis est :

Inter Privil. num. 3.

« Alexander Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Basilio Cartusiensium Priori, et universis Prioribus, et Fratribus de Ordine Cartusiensi, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Ex rescripto literarum circumpositorum Episcoporum nuper accepimus, quod illi ea quæ a vobis ad honorem Dei et ad observantiam Ordinis vestri communiter statuta esse noscuntur, rata et firma consistere decreverunt, et sui scripti munimine roboraverunt. Unde nos vestris precibus inclinati, omnes Institutiones vestras, quæ ad observantiam Religionis Ordinis vestri de communi assensu Capituli rationabiliter factæ sunt, ratas et firmas habentes, eas vobis autoritate Apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Datum Senonis XV Cal. Maii. »

Legimus apud Baronium Alexandrum post celebratum superiori anno Turonis Concilium ad civitatem Senonensem accessisse, ibique habitasse a Calendis Octobris ejusdem anni usque ad Pascha anni 1165, quod accidit die quarta Aprilis. Cum igitur præfata bulla data sit Senonis quinto decimo Calendas Maii, sive die 17 dicti mensis Aprilis, hinc patet quod Alexander eamdem diem Senonis egerit anno tantum præsenti; ac proinde quod hæc bulla ad eum referenda sit.

ANNUS 1164

Quando data.

Baron. an. 1163. nu. 18.

II. Eodem etiam tempore, aut certe secundo sui Pontificatus anno, Antelmus accinctus gladio spiritus ad faciendam in Clericos prævaricatores vindictam, specimen veri Pastoris exhibuit, uti in rebus ejus gestis continetur his verbis: « Secundo vero anno, de ligatis in peccatis qui se vinculis solvi noluerunt, sed infami contubernio fecibus obvoluti, catenas colla prementes pati maluerunt cum dedecore quam debitam honestatem cum honore et Dei amore amplecti, sex aut septem audivimus Ordine privatos. Itaque quos non potuit gratis per mansuetudinis lenitatem, correctos vi per justæ severitatis asperitatem dilexit, fovit et defendit, ut nullus esset qui sacerdotes in aliquo lædere, aut quid turpe de ipsis auderet dicere. Suas vel Ecclesiæ terras, cœmeteria, et omnia ad se pertinentia salva custodire; clericos, viduas et pauperes defendere curavit magnopere. Nam quicumque ipsum, in ea quæ susceperat tuenda injuriam faciens, offendisset. Erant utique circa eum raptores et malefactores non pauci, quantæque esset potestatis, quantæque dignitatis nulli parcens, nullius personam excipiens, nihil metuens etiamsi martyrium speraret, tunc constantior, sicut scriptum est: Justus ut leo confidit; qui eum offendisset, inquam, anathemate ligans, ipsum nunquam nisi satisfactione accepta solvebat. Nam et cum comes Humbertus Amedei filius, quemdam ejus sacerdotem capi fecisset, eumque sibi reddi petiisset Episcopus nec impetrasset, Præpositum ejus, qui eum ceperat, cum omni domo sua excommunicavit. Cum autem didicisset ubi teneretur presbyter, misit qui eriperet eum, episcopum Mauriennæ

S. ANTELMI ZELUS IN CORRIPIENDO CLERO.

Præpositum Humberti Comitis excommunicat.

Guillelmus Mauriennæ episcopus.

ANNUS 1164

Dominum Guillelmum, qui eo invento monuit qui aderat Præpositum ut dimitteret eum ; quo nolente, assumens presbyterum Episcopus eruit de custodia, Præposito contradicente et vociferante : Ego quidem non resisto vobis, sciet vero Dominus meus quis sibi abstulit captivum suum ; sed postea cum intimatum esset sacerdoti qui insidiarentur ei ut iterum caperetur, fugam inire disposuit. Quod sentientes quidam de pueris Præpositi cum egrederetur, in insidiis præparati, cum gladiis occurrerunt ei, qui se defendere parans graviter vulneratus ab eis, infra paucos dies mortuus est. Præterea Comes calumniabatur quædam in Ecclesiæ possessionibus Regalia, non tamen pro ea occasione in eam injuriam facere, vel exactionem Antelmo episcopo vivente præsumpsit. Super his igitur cum appellasset eum Episcopus, indignatus magis cœpit minari, dicens non diutius se passurum quin ea, quæ sui juris asserebat, exigeret. Cumque iterum moneret et interminaretur Excommunicationis sententiam nisi calumniæ abrenuntiaret, et propter sacerdotis mortem quantum ad eum pertinebat Deo satisfaceret ; Comes monita ejus spernens et minas, se a nullo excommunicari posse respondit, cum a Summo Pontifice ratum haberet hoc privilegium.

IPSUM COMITEM EXCOMMUNICAT.

III. « Nec mora, præcelsum illum Principem excommunicare in præsentia sua non est veritus. Qui totus in ira succensus cum mala minaretur ei, et qui cum eo erant dicerent ut pro tantæ temeritatis ausu in Principem capite puniretur ; tunc constantior Vir Dei, inculcata sententia, pertinacem expressius a Christo et ab ejus corpore, quod est Ecclesia, tradidit Satanæ. Stupebant qui aderant timentes ei, cum ipse maneret intrepidus ; gauderet quippe vehementer, si tanta dignus foret gratia, ut pro justitia martyrii palmam mereretur et gloriam. Verus enim Pastor erat, non de negligentibus illis quibus per Ezechielem Dominus improperat dicens : Non ascendistis ex adverso ut staretis in prælio, nec opposuistis murum pro Domo Israel. Ex adverso ascendere est, ut beatus exponit Gregorius, quibuslibet Potestatibus prave

agentibus libera voce contraire; et in die Domini in prælio stat Pastor murumque opponit, si oppressos ab injustis innocentes justitiæ vindicat autoritate. Boni igitur Pastoris, id est Christi, formam sibi imprimens Antelmus, supra gregis custodiam invigilans consuevit lupo veniente non fugere, in afflictorum angustiis non se subtrahere, sed si necessitas incumberet, etiam pro ovibus animam ponere. Christianissime vero curabat lupum illum nequissimum, qui ovili Dominico die nocteque indesinenter molitur insidias, qui mentes fidelium mille modis dilaniat, animas quærens jugulare non corpora, ex se in populum monitis et obsecrationibus, in se jejuniis, vigiliis et variis afflictionibus, apud Deum assiduis orationibus procul abigere. Abigebat, inquam, eum a fidelium cordibus, sagittis potentibus, acutis, cum carbonibus vastatoriis, id est verbis Dei transfigentibus corda per pœnitentiam, et Sanctorum exemplis consumentibus vitiorum vetera, et ad virtutum nova opera accendentibus. Saucios, seu mortiferi serpentis veneno corruptos curabat, ut bonus medicus singulis quibusque vitiorum morbis obviantia adhibens medicamina, omnes pii patris affectu diligens, omnibus providebat. Nam et cum Phinees accinctus gladio, zelo justitiæ vindicabat in impios, non erat hæc severitas odii sed amoris. Non enim minus quam suam desiderabat eorum salutem. Tales quippe cupiens eos qualis ipse erat; ipsosque qui in anima, quam qui in corpore læsi erant, magis dolebat. Idcirco vitia damnans, mala persequens, durius eos qui pia ejus monita neglexerant, corripiebat ut corrigerentur; damnabat, ne damnarentur. »

ANNUS 1164

IV. Hactenus Acta, quorum autor inferius refert Beatum episcopum : « non minus pristinæ vacasse Religioni (cujus etiam Constitutiones ubique curabat a Nostris attente observari), ad cujus nutum propterea omnium Priorum intendebant oculi; ita ut penes eum esset sanctorum dispositio negotiorum. » Et revera cum Majorevenses satis gravem hoc præsenti anno a quibusdam vicinis Nobilibus injuriam paterentur, opem S. Præsulis poposcerunt et acceperunt. Ille enim ad

NOSTRAS CONSTITUTIONES SERVAT ET TUETUR.

Vide infra ad ann. 1169. nu. 16.

ANNUS
1164

Pacem Majorensibus conciliat.

Cartular. Major. fol. 19.

Majorevum se conferens, piis validisque hortationibus Nobilium animos ad compositionem reduxit, quam ipsemet scriptis mandavit ut sequitur :

« Ad concordiam et pacem futurorum, ut quietius in silentio vivant, placuit antiquis res gestas literis memoriæ commendare. Noverit igitur quicumque hanc Cartam legerit vel audierit, quod ego Nantelmus humilis Bellicensis Ecclesiæ episcopus, ad Domum venerim Majorevi ob quasdam calumnias quæ obortæ fuerant inter Domum illam et milites de Rubeomonte, inter quos pax hoc modo, Deo largiente, reformata est. Remota siquidem omni querela, et sedato omni rancore ac discordia, concesserunt et libere dederunt Domnus Willelmus et Domnus Garnerius cum filiis suis, pro se suisque omnibus vivis et defunctis, Fratribus Majorevi omnia quæ ab ipsis vel ab antecessoribus suis dono, vel pretio adquisierant, et quibus ipso die investiti erant. . . . . . ita ut nullam personam cujuscumque Ordinis vel Religionis in terra hac ad habitandum suscipiant ; imo suscipere volentibus pro posse suo omnibus resistant. . . . . Præterea omnia quæ Fratrum Majorevi sunt, in manutenentia et custodia sua susceperunt : euntibus et redeuntibus ad Domum supradictam, firmam de se suisque hominibus securitatem dederunt. Et si quam aliquando injuriam sæpedictis Fratribus, vel ad se venientibus vel redeuntibus fecerant, veniam suppliciter postulaverunt. Hæc quæ dicta sunt, sicut fideliter intellexi, promiserunt et juraverunt in manu nostra Domnus Willelmus de Rubeomonte, et filii ipsius Willelmus et Aymo : Domnus Garnerius et filii ejus Willelmus, Guitfredus, Garnerius et Gaucerannus. Laudantibus etiam idipsum uxoribus eorum quæ ad Eremum venire minime poterant.

« Definita vero sunt hæc apud Majorevum in Domo inferiori, anno ab Incarn. Dom. MCLXIIII. Interfuerunt autem huic determinationi mecum hi : Guillelmus capellanus noster monachus Portarum, Magister Anselmus canonicus Bellicensis, Andreas etiam S. Sulpitii monachus, et Willelmus monachus de Majorevo, Humbertus Prior, et Johannes Procurator;

Conversi Bonusfilius, Philippus, Girardus, Villelmus; sacerdotes seculares Vicardus de Balmeto, Jordanus et Villelmus de Brenno, Humbertus de Burco, Dua et Joannes de Isinava; milites vero Hugo et Vicardus de Balma, Alardus de Biliniaco, Garnerius de Balmeto, Jorannus de Cambariaco, Evrardus de Martiniaco, Jordanus, et Aimo de Enflafol. Fuit etiam ibidem Guido Præpositus Ecclesiæ Bellicensis, Lambertus clericus, et Pontius frater ejus de Balmeto, Villelmus Pellicerius de Nantuaco. Sciendum vero est quod pro prædicta concessione et donatione, Villelmo de Rubeomonte condonatæ sunt sex libræ Gebennensium; filii etiam Domni Garnerii supradicti in Conventu Monachorum laudaverunt quæ prædicta sunt, et habuerunt inde ferme quadraginta soldos Gebennensium. » ANNUS 1164

Villelmum de Rubeomonte, qui primus in præfatis literis nominatur, Rubeomontiorum stirpem fuisse putat Guichenonius. Sed contrarium probatur ex Cartulario Majorevi, ubi plures ante Villelmum floruisse deprehendimus. Ex quibus fuere Guiffredus, qui cum filiis suis et Hugone et Bosone suis fratribus, quædam bona Pontio Priori et postea Bellicensi episcopo, circa annum 1120 vendidit. Alter quoque Villelmus cum filiis suis Villelmo et Hylione quædam pascua concessit Miloni, qui prædicto Pontio successerat. Sunt et alii, qui Villelmum a Guichenonio citatum tempore præcesserunt. Sed hi sufficiant. Cartular. Maj. fol. 40. Ubi supra. fol. 17.

Dum apud Majorevum sanctus Antelmus moratur, a Villelmo de Toria et Humberto ac Gisleberto fratribus ejus, in ejusdem cartusiæ gratiam, solutis tamen quatuor libris Gebennensis monetæ, obtinuit quidquid juris et dominii infra terminos habebant. « Sed quod majus est, ut habetur in literis, fidelem amicitiam et manutenentiam promiserunt. Hoc autem factum est in Conventu omnium Monachorum, præsente Domno Humberto Priore et quatuor ex Fratribus laicis Bonofilio, Girardo, Humberto, et Villelmo Chatboldi. Aderant etiam in ipso Conventu : Hugo de Balma, Stephanus de Maornaco et Villelmus de Nath milites. » Hanc Ibid. fol. 27.

ANNUS 1164

Cartular. Maj. fol. 28.

venditionem statim confirmavit Stephanus comes Burgundiæ, forsan et ipse præsens, Antelmi velut recens episcopi salutandi causa, ut conjicimus ex illius diplomate quod venditionis instrumento adscriptum est, ut sequitur :

« Stephanus comes Burgundiæ Fratribus Majorevi salutem et omne bonum. Donationem et venditionem, Patres et Domni carissimi, quam fecerunt vobis Domini de Toria, quoniam de nostro feudo est, dono et concedo vobis hilari et devoto animo vestrisque successoribus in perpetuum, pro salute animæ meæ et antecessorum meorum. Quod donum meum ideo donationi eorum supposui ; ne quis posterorum vel meorum vel ipsorum super hoc inquietet vos. Factum est hoc anno MCLXIIII. »

S. THOMAS CANTUARIENSIS AUFUGIT IN GALLIAM.

Heribertus et Willelmus in Vita S. Th.

V. Hoc ipso anno S. Thomas Cantuariensis certo sciens suæ vitæ parari insidias, clam ex Anglia ad Alexandrum in Galliis tunc degentem aufugit : quo audito Rex Henricus missis ad Summum Pontificem nuntiis, iisque reversis discens se in suis petitionibus repulsum, res omnes Archiepiscopi suorumque confiscari præcepit ; totam ejus cognationem, omnes qui eum familiaritate vel quovis titulo contingebant, proscriptos addixit exilio. Inter hos primus fuit Joannes Sarisberiensis vir sapiens et eruditus, ejusdem S. Thomæ Clericus et Notarius, qui transfretans venit in Galliam cartusiamque Montis Dei adiit ; unde recedens Engelberto Priori Vallis sancti Petri exilii sui causam intimare curavit. Ipse vero scripta ad illum sequenti epistola, precibus ejus et totius Conventus se et exulem Archiepiscopum commendavit sic dicens :

Joannes Sarisber. et alii ejus amici exulant.

Joan. Sarisberens. causam exilii sui intimat Engelberto Priori Vallis S. Petri.

Joan. Sarisber. Epist. S. Thom. lib. 2. Epist. 38.

« Causam exilii mei, ex relatione Prioris de Monte Dei et ex mea, vobis esse notam arbitror. Ut tamen vobis liquidius constet, eam paucis expono. Domino Cantuariensi et Ecclesiæ, ut potui adstiti ; nec tamen quod conscientia teste secure audeo profiteri, Dominum Regem Angliæ ex proposito injuste offendi. Ipse autem et me et fratrem meum proscribit bonis nostris, et ego exilium patior. Mihi vero nec opes, nec amici, nec arma sunt, quibus tantum Principem valeam ex-

pugnare, aut quas de beneplacito suo mihi et meis infert, propulsare injurias. Unde et ad vestrum et aliorum sanctorum patrocinium confugere habeo, ut vestris intercessionibus flagellum istud ab Ecclesia sua et nobis amoveat Dominus, aut convertat in usum salutis nostræ. Et ecce Ecclesiam jam gravior infestat turbatio, tanta quidem ut ad subveniendum inane videatur auxilium hominis. Ad pedes itaque Sanctitatis vestræ et Fratrum vestrorum tota mentis devotione provolutus, affectuosius supplico ut misereamini nostri, saltem vos amici Dei, et Cantuariensis Ecclesiæ; et meum et fratris mei et coexulantium nobis, vestris precibus sublevetis exilium. Jam enim desperamus de humano auxilio. Hoc quoque attentius deprecor ut pro Rege Angliæ intercedatis ad Dominum, quatenus eum Deus revocet ab hac pressura Ecclesiæ, et ut miserator Dominus, qui solus huic morbo mederi potest, persecutores Ecclesiæ suæ aut convertat aut conterat. »

ANNUS 1164

VI. In Calabria hoc anno diem suum obiit Nicolaus Magister Eremi sancti Brunonis. In Calendario vetusto dies signatur pridie Calend. Martii. Quidam ad annum 1160 revocant illius obitum, sed perperam : nam hoc præsenti anno confectum fuit quoddam instrumentum, in quo Magister Nicolaus denominatur tanquam adhuc vivens, ut testis est Constantius in Actis S. Brunonis et successorum ejus, qui de Nicolao et de ejus successore sic loquitur :

NICOLAUS MAGIST. EREMI MORITUR.

Surianus in Annotat. in Vitam S. Brunon.

« Perscrutando et subtiliter perquirendo in quodam antiquo transumpto Privilegiorum nostrorum, inveni multa privilegia facta tempore cujusdam Magistri Nicolai, et ultra decem ; ita quod a Patre Brunone et Lanuino et citra, Magister nullus fuit qui tot et tanta privilegia obtinuerit, sicut iste Nicolaus, etc. Nicolaus igitur, remoto Andrea vel defuncto, regimen Eremitarum vel Magisterium suscepit, quem famosum Patrem fuisse arbitror et multum commendabilem, et præfuit plures annos. Cui successisse præsumitur Magister quidam Landricus nomine, de quo nulla in Calendariis antiquis, ubi aliorum Patrum nomina reperiuntur, fit

Landricus succedit.

ANNUS 1164

mentio. Sed eum tantum reperi in quodam privilegio Guilielmi Regis Siciliæ et ducis Apuliæ sic dicentis, videlicet : Residentibus itaque nobis in palatio nostro felicis urbis Panormi, tu Landrice, venerabilis Magister monasterii Sancti Stephani, ... etc. Quod privilegium factum fuit anno Dominicæ Incarnationis, MCLXVI mense Maio, Indictione 14. Et inter ultimum privilegium factum Magistro Nicolao (quod fuit anno MCLXIV) et istud Landrici, interpositum nullum reperi, nec mentionem fieri de aliquo Magistro cognovi. Ergo Landricus successit Nicolao, Nicolaus autem obiit die octava vigesima Februarii. » Hæc Constantius. Landricus vero postea factus est abbas S. Euphemiæ, ut post biennium dicemus.

JESU CHRISTI

ANNUS 1165.

Alexandri PP. III.	Ord. Cartus.	Basilii Pr. Cart.
Ann. 6.	Ann. 82.	Ann. 15.

ARTALDUS ARVERIÆ PRIOR PAPAM ET IMPERATOREM AD PACEM SOLLICITAT.

I. REDEMPTORIS nostri annus millesimus centesimus sexagesimus quintus, Indictione decima tertia, sequitur ordine temporis, quo Beatus Artaldus a Sothonoda Prior cartusiæ Arveriæ, et post annos viginti futurus Bellicensis episcopus, Ecclesiæ tranquillitatis studiosus epistolas ad Alexandrum Papam et Fridericum Imperatorem direxit, pacis ergo inter eos componendæ et quietis Ecclesiæ restituendæ. At ille suum zelum ultra modum ardere sinens, Alexandrum etiam ausus est exhortari quatenus causam suam piorum permitteret arbitratui. Piam Artaldi simplicitatem simplicemque pietatem Summus Pontifex admiratus, non indignans sed velut benignus Pater amanti filio clementer sic respondit :

Alexandri ad eum epistola.

Ex Arch. cartus. Arver.

Extat etiam ad calcem man. solitar.

« Alexander Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio A. Priori Alveriæ Salutem et Apostolicam Benedictionem. Dum piam simplicitatem et simplicem pietatem, qua commonitus et inductus tuas nobis literas destinasti, studio sollicitæ considerationis attendimus, non id præsumptioni, sed devotioni potius imputamus ; credentes hoc magis de cordis puritate procedere, quam ex duplicitate qualibet provenire. Nos etiam id ipsum crebro ad mentem reducimus, statumque nostrum et pristinam libertatem et dignitatem Ecclesiæ ad memoriam revocamus, considerantes et sæpius revolventes quid sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ plus expediat, an vide-

ANNUS 1165 licet aliorum judicio subjacere, cui datum est ab ipso suæ fundationis exordio alios judicare et a nemine judicari, quam in tribulatione ista sic interim remanere, quousque per Omnipotentis gratiam optatam pacem recipiat et quietem. Si autem exemplo humilitatis, immo et dejectionis Christi, qua voluit non solummodo judicari sed etiam condemnari et turpiter crucifigi, nos ipsos judicari permittimus, et causam Ecclesiæ de qua jam judicatum est in disceptationem reduci et iterum ventilari, cum universus orbis (excepto illo solo viro potenti, Friderico videlicet, et his quos ipse potest seculari potentia coercere) nos in Patrem summumque Pontificem jam receperit; videmus maximum et inæstimabile periculum sanctæ Dei Ecclesiæ imminere, et tantum exinde detrimentum et scandalum provenire, quod eadem Ecclesia, pro cujus utique libertate tuenda Patres nostri usque ad effusionem sanguinis dimicarunt, nulla ratione posset de cætero pristinam et antiquam recipere libertatem, sed in tantam ancillationem et miseram servitutem, non solum Romana quæ aliarum caput et mater est, verum etiam universalis Ecclesia deveniret, quod in amissæ solatium libertatis nullatenus respiraret.

« Scimus enim et pro certo cognoscimus, quod vir ille sublimis et potens ad hoc solummodo nititur et intendit, ut Ecclesiam Dei in ancillationem et in supremam redigat servitutem. Nec mala ista et pericula futura conjicimus, sed præsentia cernimus jugiter et videmus. Assidue namque Prælatos in Ecclesiis sub ejus imperio constitutis pro beneplacito suæ voluntatis instituit et destituit; ea pro suo velle ordinat ac disponit, et nihil pene est quod in eis alterius ministerio statuatur; ita ut etiam ille schismaticus et hæreticus, cui ipse tanquam Romano Pontifici reverentiam exhibet et honorem, si forte aliquid præter ejus conscientiam et assensum in qualibet Ecclesiarum duxerit statuendum, ipse totum ducit in irritum et condemnat. Sane quod facit in membris, id ipsum et in Capite (si nunc suum in hac parte posset desiderium adimplere) intenderet et cuperet multo lubentius exercere, et

ita dignitas et libertas omnium ecclesiarum ad nihilum deveniret. Ista sunt, dilecte in Christo fili, quæ animum nostrum turbant; ista sunt quæ mentem ab hujusmodi examinatione judicii revocant, et quæ inducunt omnimodis et suadent viriliter pro Domo Domini nos opponere, variasque tribulationes et diversas angustias sustinere, et etiam extrema vitæ pericula (si necessitas ingruat) tolerare. Non enim amor propriæ excellentiæ, aut desiderium vel affectio dominandi, nos ad fastigium hujus dignitatis adducit; sed sola libertas Ecclesiæ compellit nos in ea, munda et pura conscientia remanere; quam videmus, si ab hoc proposito vellemus desistere, omni modo (sicut superius dictum est) deperire: scire namque te volumus et firma veritate tenere, quod nos a divitiis ad paupertatem, a quiete ad laborem, ab otio ad sollicitudinem, postremo a felicitate et gaudio ad cumulum sumus cujusdam infelicitatis adducti. Ut enim alia quæ circa nos sunt præsentialiter taceamus, omnes hi qui nobis carnis sunt propinquitate conjuncti, a prædicto viro potenti rebus sunt propriis spoliati, expulsi a domibus, et uxoribus filiisque relictis in aliam provinciam, quasi in exilium relegati, nullam habent sedem propriam in qua possint per tempus aliquod remanere. Ea vero, quæ ipse super his publicat et proponit, sicut semper uti mendaciis consuevit, falsa sunt penitus et nihil in se habentia veritatis. Quidquid namque asserat, quidquid etiam fateatur, nequaquam vellet causam hanc per judicium ecclesiasticum terminari: cum etiam Cardinales, quos hoc anno ad ejus præsentiam destinavimus (quos quidem nec videre dignatus est, nec quemlibet cum eis sermonem habere), nihil ab eo aliud potuerunt obtinere nisi quod aliqui deberent eligi, qui in sua potestate et præsentia constituti, id solummodo providerent quod utilius ad pacem reddendam Ecclesiæ videretur. Ecce quanta est ejus astutia, quanta fallacia, cum nihil unquam adversus Ecclesiam Dei cogitet ac disponat, nisi quod et deceptionem sapiat et errorem. Hæc igitur sunt quæ nostris oculis repræsentant pericula tam præsentia quam futura; et ideo ne majorem jacturam sancta

ANNUS 1165

ANNUS 1165

Ecclesia patiatur, non pro nostra sed pro communi omnium utilitate, providere nos oportet et summopere præcavere. Data Senonis quarto Kalendas Martii. »

Hanc epistolam Chiffletius ad Manualis Solitariorum calcem edidit, quam habuerat a nostris Arveriensibus monachis; et ex die, qua data est, colligit signandum esse præsentem annum vel superiorem. His enim duobus annis præfatum diem Alexander egit Senonis, ut etiam ex dictis anno præterito probari potest.

SCHISMA IN ECCLESIA GRATIANOPOLITANA.

II. Mortuo post annum 1161 Gaufredo episcopo Gratianopolitano nostri Ordinis quondam professo, quidam successerat intrusus vel electus; sed paulo post ab Alexandro Papa sede depulsus. Hic Ecclesiam quam ambierat, vi et armis sibi asserere tentans, Joannem ex nobilissima Cassenaticorum familia ortum, cartusiæ Repausatorii monachum, ab eodem Summo Pontifice præfectum et consecratum, cœpit variis vexationibus affligere. Hinc motus Basilius Cartusiæ Prior Regis Ludovici auxilium contra invasorem imploravit, ut ex sequenti epistola ab Andrea Duchenio edita innotescet:

Basilius causam veri Episcopi tuetur apud Franciæ Regem.

« Excellentissimo et omnium veneratione digno, Ludovico Dei gratia Regi Francorum piissimo, Fratres Cartusiæ utinam pauperes spiritu, post temporalem ad æternam pervenire coronam. In tantum, Domine Rex, de clementia et bonitate vestra confidimus, quod in angustiis nostris ad vos post Deum certum refugium nos invenire credamus. Quidam schismaticus olim Gratianopolitanus Episcopus, crudelissimus persecutor Domini Papæ Alexandri pro viribus suis extitit, et adhuc in eodem perseverat. Hic matrem vestram prædictam Ecclesiam multis injuriis et damnis affligit, et nobilem ac honestum Episcopum, quem Dominus Papa consecravit et eidem Ecclesiæ præfecit, cum quibusdam aliis schismaticis persequi non desistit. Et quoniam credimus dispositione divina evenisse ut terra illa et comitatus ille ad vestrum nepotem vertatur, videtur nobis et multis aliis, quod eidem terræ pacem et quietem providere debeatis. Rogat igitur et humili-

ter obsecrat prædicandam Excellentiam vestram qualiscumque parvitas nostra, quatinus super hoc Comitem sancti Egidii convenire non dedignemini; prudenter, solerter, atque instanter insinuando illi ut Dominum Episcopum nostrum et Ecclesiam sibi commissam condigno honore teneat, et more boni Principis contra impugnantes scutum protectionis semper opponat. Tenerrimum filium vestrum, quem vobis et terræ suæ dedit Dominus, proficere faciat Deus et Dominus noster, sapientia, ætate, et gratia. Valete. »

Filius Regis tenerrimus, de quo loquitur Basilius, natus fuit hoc anno, mense Augusto, unde patet hanc epistolam datam fuisse circa illud tempus.

III. Hoc anno, quarto Calendas Octobris, Andreas Cartusiæ Majoris Monachus et senior, miraculis clarus defungitur. In cujus funere servus quidam Cartusiæ aridum brachium habens, postquam defuncti Patris vestimenta contigisset, sanitatem obtinuit. Id ex antiquis monumentis eruit Molinus, et in sua Historia manuscripta retulit.

ANDREAS MONAC. CARTUS. MIRACULIS CLARET.

Molin. in Histor. ms. Ord. Cartus.

JESU CHRISTI

ANNUS 1166.

Alexandri PP. III Ann. 7. | Ord. Cartus. Ann. 83. | Basilii Pr. Cart. Ann. 16.

S. ANTELMI CONSTANTIA CONTRA COMITEM SABAUDIÆ.

I. MILLESIMUS centesimus sexagesimus sextus sequitur annus, Indictione decima quarta, quo S. Antelmus Ecclesiam suo pergens illustrare splendore, sententiam quam ab eo in Humbertum comitem vibratam ante biennium retulimus, constanti animo etiam Summo Pontifice reluctante, prosecutus est, rem ita narrante Vitæ illius autore:

Vita ejus ms.

« Non est autem prætermittendum quam constanti justitiæ autoritate, suam in præfatum Comitem Vir sanctus obfirmaverit ac tenuerit sententiam. Nam cum notificasset Comes ipse Sedis Apostolicæ Præsuli se excommunicatum ab Episcopo Bellicensi contra datam sibi gratiam, mandavit ei Dominus Papa per archiepiscop. Tarentasiæ Petrum et alium Episcopum, ut filium suum carissimum comitem reverendum Humbertum, quem satis temere excommunicare præsumpserat, absolveret; præcipiens Episcopis quod si nollet (noverat enim Viri constantiam), ipsi eum absolverent. Perlatis itaque mandatis, et multis admonitus verbis ut Summo Pontifici obediret ex debito, et iratum sibi Principem absolvendo eum placaret, respondit: Qui juste ligatus est solvi non debet, nisi pro læsa charitate læsor pœnitens satisfaciat, et si non digne pro meritis, misericordia tamen occurrente, veritate parcente, Catholicæ reddi mereatur Ecclesiæ. Neque enim vel beato Petro sic est hæc data potestas ut non solvenda solvere, sicut nec-

non liganda ligare deberet ; quanto igitur minus nobis ? Sciatis itaque certissime, quod ego a semel prolata non movebor sententia, sed firmam tenebo. Tunc dimiserunt eum Episcopi, nec juxta quod injunctum eis erat, Comitem absolvere præsumpserunt. Sed Dominus Papa, cum rescivisset, absolvit eum, mandans Episcopo Comitem ex Apostolica autoritate absolutum. ANNUS 1166

II. « Motus igitur Vir fortis in Christo ac moleste ferens, relicta Cathedra, solitarius sedere desiderans ut soli Deo vacaret, cellæ dilectam repetivit quietem. Sed Dominus qui ad id honoris eum traxerat, non permisit eum ibi permanere. Nam cum esset Bellicensis Ecclesia et tota patria illa de ipsius absentatione desolata, Clerici sui cum literis Papæ quem pro eo interpellaverant eum repetentes, vix tandem obtinentes reduxerunt debito cum honore et digna reverentia. Comes autem non se pro absoluto habuit nec ecclesiam ingredi præsumpsit, donec coram sancto Viro humiliatus et satisfacere promittens, absolutus est ab eo et Ecclesiæ redditus, quem licet semper valde dilexerit etiam cum ab Ecclesia removeret, nunc familiarius cum reverentia exhortabatur eum frequenter, modo suavium colloquiis, modo duris verborum stimulis. Sed cum negligentem eum videret, ut nec promissa implere nec mala vellet corrigere sed potius augere, cœpit eum super his durius appellare ; mala, quæ per eum vel sub eo fiebant, unde sua augebantur, improperare ; fidem quam per hominium sibi debebat, et ipsum hominium requirere. Oderat igitur eum Comes, testans non esse hominem sub cœlo quem sic odio haberet. Minabatur ei et vix se continens cogitabat in eum mala, sed reverebatur eum valde, sanctitati ejus deferens licet inimicus ; sed nec unquam in his quæ calumniabatur, eum lædere vel inhonestare præsumpsit. At si quis ei malum faceret, satis ei placebat. Aliquando cum appellasset eum Episcopus super commissi satisfactione reatus et aliis prætaxatis, dixit forensi jure ei respondere paratum. Cui Episcopus : Tu me, inquit, jure fori, ego te jure poli convenio, EPISCOPATUM VULT ABDICARE

ANNUS 1166

diemque determino novissimum ante justum Deum. Sed de his hactenus. » Hucusque autor anonymus, sed coævus.

TRES ECCLESIÆ PRÆLATI EODEM TEMPORE VARIA PATIUNTUR PRO ILLIUS DEFENSIONE.

III. Ad hæc noster Bohicius, sive a se sive ab aliquo alio, sequentes addidit animadversiones : « Vide, inquit, quiddam mirabile. Tres eodem tempore Ecclesiæ Prælati a tribus Principibus viris ob defensionem unitatis, libertatis et immunitatis ecclesiasticæ variis et diuturnis tempestatum procellis agitantur. Illi e contra ut cautes Marpesia stant immobiles, et in patientia sua non solum possident animas suas, sed et de Ecclesiæ oppressoribus opima spolia et præclaros referunt triumphos. Alexandrum siquidem Pontificem Maximum Fridericus Imperator in multitudine fortitudinis suæ persequitur; Thomam archiepiscopum Cantuariensem Henricus Anglorum rex ; Antelmum episcopum Bellicensem Humbertus comes Sabaudiæ. Tres Prælati isti æqualis non erant potestatis. In primo etenim eminebat plenitudo potestatis; in secundo media et limitata potestas cernebatur: sic enim suberat ut tamen haberet sub se Episcopos, quorum Metropolitanus erat, Primas et Legatus per Angliam; in tertio denique minor erat potestas, qui extra suæ terminos diœcesis non poterat quidquam ex Jurisdictione. Tres quoque seculi potentes inter se similiter differebant, quia in Imperatore summa inerat potestas quoad secularia; in Rege itidem magna, sed in Regno tantum suo et in terra potestatis suæ; at in Comite minor, idque in angustiis solum Comitatus sui. Sed jam certamina pugilum Christi vidimus; quis eorum finis extiterit videamus. Nova enim bella elegit Dominus et portas hostium ipse subvertit. Vivens Alexander ad pedum suorum oscula prostratum Fridericum Imperatorem, schisma tanta animarum jactura fotum ejurare fecit. Morienti Antelmo Humbertus comes fit supplex. At mortuus Thomas eum cœpit sui habere veneratorem, quem passus fuerat oppressorem. Sed de his inferius. »

FRANCO ALBOINI VIR NOBILIS FIT CARTUSIENSIS.

IV. Hoc anno vir quidam nobilis Franco Alboini se ac universa bona sua Ordini Cartusiensi adscripsit in favorem Domus Durbonensis, ut ex sequenti Charta apparet: « Franco

Alboini intuitu Religionis et pro anima sua Deo adjudicans, dedit se et universa bona ubicumque habet Deo et B. Mariæ et S. Joanni Baptistæ, ac Bertrando Priori et Fratribus Durbonis, etc. Unde orta controversia inter Priorem et Fratres Franconis Odonem et Guillelmum et sororem Sebrunam et matrem suam Casam, talem fecerunt transactionem cum Priore et Fratribus ejus, etc. Testibus Stephano de Bulco, Pontio Toscha, etc. »

ANNUS 1166

JESU CHRISTI

ANNUS 1167.

Alexandri PP. III Ann. 8.	Ord. Cartus. Ann. 84.	Basilii Pr. Cart. Ann. 17.

BASILIUS PRIOR CARTUSIÆ CAUSAM S. THOMÆ TUETUR.

I. SEQUITUR annus millesimus centesimus sexagesimus septimus, Indictione decima quinta, quo cum S. Thomas Cantuariensis archiepiscopus ab Alexandro Legatus Apostolicæ Sedis per Angliam creatus esset, Henricus inde acerbior factus bona vacantium Ecclesiarum quas occupaverat, quibusdam Aulicorum suorum addixit. Quid contra hujusmodi injustos detentores egerit novus Legatus, habes in Annalibus Baronii. Quod vero ad nos spectat, Basilius noster qui ante aliquot annos Alexandri Papæ partes contra Fridericum tuitus fuerat, ad hoc a S. Antelmo tunc suo monacho animatus, sancti quoque Thomæ et totius Ecclesiæ Anglicanæ afflictæ causam fovere quantum in se erat, conatus est. Quapropter nomine suo et sui Conventus, ad Henricum regem brevem quidem sed nervosam scripsit epistolam, qua eum admonet ab injusta bonorum Ecclesiasticorum occupatione desistere. Hæc epistola et aliæ fere omnes quas de negotio S. Thomæ his Annalibus interseremus, habentur in *Vita Quadripartita S. Thomæ,* quam ex Ms. Vaticani Christianus Lupus vir eruditissimus, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, edidit anno 1682 cum omnibus D. Thomæ epistolis et aliorum qui se in utramque partem hujus negotii interposuere. Est igitur epistola hujus sententiæ :

Ad Regem Angliæ scribit.

« Henrico Regi Angliæ Fratres Cartusiæ. Excellentissimo,

et in Christi visceribus amplectendo Regi Anglorum strenuissimo, Fratres Cartusiæ utinam pauperes spiritu, sic in præsenti seculo regnare ut in futuro valeat coronari. Cum S. Job sederet quasi rex circumstante exercitu, erat tamen mœrentium consolator. Rex Regum et Dominus Dominantium aperuit manum suam, et habenas Regi multipliciter dilatavit. Oportet ergo ut semper ante oculos vestros habeatis illam terribilem Sacrosanctæ Scripturæ comminationem, qua dicitur : Potentes potenter tormenta patientur, et fortioribus fortior instat cruciatus; et illud Psalmistæ: Terribili, et ei qui aufert spiritum Principum, terribili apud Reges terræ. Divulgatum est ab Oriente usque in Occidentem, quod Ecclesias regni vestri intolerabiliter affligitis, et exigitis ab eis inaudita quædam et inconsueta, quæ, si quæsierint, quærere tamen non debuissent antiqui Reges. Potest autem fieri ut in tempore vestro, quoniam multam contulit vobis Deus sapientiam, tanta afflictio utcumque tolerari possit, sed forsitan post decessum vestrum tales regnaturi sunt qui devorabunt Ecclesiam toto ore, et indurati cum Pharaone dicent : Nescio Dominum, et Israel non dimittam. Parcite, quæsumus, parcite dignitati vestræ, parcite nobilitati, parcite generi, parcite et famoso nomini vestro. Et qui plenus et potentissimus estis, formam compressionis futuris non dimittatis; mœrorem et ærumnam sanctæ Ecclesiæ, quæ fere ubique conculcatur, clementi oculo respicite, et regia consolatione eam fovere ac tueri indesinenter et infatigabiliter studete. »

ANNUS 1167

Epist. S. Thomæ lib. 2. epist. 70.

Sap. 9. 7. Id. 8. 9.

Ps. 75. 13.

Exod. 5. 2.

Nec solum Cartusienses, verum etiam Cistercienses, Grandimontenses et alii viri Religiosi procurandæ reconciliationi inter Thomam et Regem, suam industriam et preces adhibuere. Sed hi omnes oleum et operam perdiderunt. Spretis enim eorum monitis, Henricus infamia etiam eos afficere nisus est, ut ipse S. Thomas Episcopo Nivernensi ad Regem pro tuenda eadem causa pergenti scribit, eum præmonens ut sibi caveret ab insidiosis Regis fraudibus: « Dirigat, inquit, Dominus gressus vestros, ut in causa Ecclesiæ, cujus executio vobis pro parte commissa est, non declinetis ad dexteram

Ejus et aliorum admonitiones spernit Rex.

Lib. 5. Epist. 12.

ANNUS 1167

vel sinistram; sed via regia incedatis, ut nec sollicitationibus, nec minis, nec exquisitis dolis prævaleat adversus prudentiam et sinceritatem vestram, cujus tendiculas nullus unquam evasit, qui cum ipso contraxerit. » Et sub finem : « Sane quotiescumque vobis cum præfato Rege ex quacumque causa fuerit contrahendum, redeant in memoriam vestram Fratres Templi et Xenodochii Hierosolymitani; Cardinales et Nuntii Domini Papæ; Cartusienses et Grandimontani, Cistercienses et Episcopi terræ suæ, quos omnes in variis contractibus, dum propriæ voluntatis quocumque modo malitiam adimpleret, etsi hoc plerumque non meruerint, notari fecit infamia, etc. »

GUIDO EPISC. MAURIAN. CARTUSIENSIS.

II. Hoc anno dicitur obiisse Guido episcopus Maurianensis ex Portarum monacho, cujus non meminerunt Sammarthani, nisi sit idem ac Guillelmus quem dicunt professum Majoris Cartusiæ, et præfatæ Ecclesiæ sedisse præsenti anno juxta donationem factam ab Humberto comite Sabaudiæ ecclesiæ Ulciensi. Asserunt præterea illum adhuc vixisse anno 1188, etsi dicatur mortuus anno 1176 in quibusdam monumentis. Sed quomodo id fieri potest, cum Lambertus ejus successor interfuerit Concilio Lateranensi anno 1179 et in Præsulatu obierit anno 1198 ? Aut certe Guillelmus dicendus est abdicasse anno 1176 et privatus adhuc superstes fuisse anno 1188.

LANDRICUS PRIOR CALABRIÆ FIT ABBAS SANCTÆ EUPHEMIÆ.

Constant. in actis ms. S. Brunonis, et successorum ejus.

III. Hoc item anno vel sub præcedentis finem, Landricus Magister Eremi S. Brunonis in Calabria assumptus est in Abbatem insignis monasterii Sanctæ Euphemiæ in eadem Provincia; cui adhuc præerat anno 1175. Dicitur etiam postea creatus Episcopus ab Alexandro Papa, sed cujus Ecclesiæ adhuc incompertum. Ejus obitus non reperitur in Calendario Domus, eo quod obierit extra Ordinem. Landrico suffectus est in Magistratu Eremi Calabriæ Henricus, qui aliud privilegium a Guillelmo Rege Siciliæ sub initium sui regiminis obtinuit. Sic incipit hujus privilegii diploma : « Notum facimus universis bajulis Styli, tam præsentibus quam futuris, quod nos venerabili Henrico Magistro monasterii S. Stephani de Bosco de Arenes et successoribus ejus, etc. Data Panormi mense Maii, Indictione XV. » Millesimus deest, sed ex Indic-

tione 15 indicatur præsens annus. Quamdiu vero præfuerit Henricus, latet. Ejus obitus in antiquo Calendario ponitur ad diem 24 Julii. Successorem habuit Benedictum de quo postea.

ANNUS 1167

IV. Hoc pariter anno Fridericus Imperator fundationem Domus Sylvæ Benedictæ tot auxit bonis, ut merito ejus fundator dicendus sit. Neque solum hanc cartusiam, sed et Durbonensem locupletavit, et id maxime intuitu Terrici filii sui naturalis (ut quidam volunt) in hac Sylva Benedicta sub Conversorum habitu commorantis; quem in diplomate suo sic nominat : « Terricum carissimum et fidelem nostrum de progenie nostra oriundum. » Ipse vero Terricus in quibusdam literis sic se inscribit : « Noverint universi præsentes et posteri, quod anno Domini MCLXX ego Terricus, frater Conversus Ordinis Cartusiensis, de domo et progenie magni Friderici, etc. » In alio instrumento, ejus chyrographo consignato, Fratrem Theothdericum se nominat. Eum Buatius non filium sed fratrem nothum Friderici, factumque Conversum tantum post dotationem ejus existimavit. Ejus quoque meminit Theophilus Raynaudus inter Nobiles in S. Brunonis familiam allectos. Nec solum sanguine fuit illustris, sed et pietate, qua magnam sibi apud omnes tum exteros tum domesticos venerationem conciliabat. Tanti eum Majoris Cartusiæ Priores faciebant, ut lite gravissima inter Bonævallis abbatiam et Majorem Cartusiam orta, a Jancelino Priore Cartusiæ accersitus sit cum Episcopis et Abbatibus ut partes componeret ; quod et prospere peregit. Aliquando etiam a Capitulo generali, cum S. Stephano Portarum Priore postea episcopo Diensi, ad Raynaldum Lugdunensem archiepiscopum missus, ab eo et ejusdem Ecclesiæ Capitulo immunitatem ab omni vectigali in totius Ordinis gratiam obtinuit. Ab ipsis pariter Summis Pontificibus privilegia obtinuit, et præsertim exemptiones a solutione decimarum et confirmationes terminorum suæ Domus. Post Fridericum Imperatorem et Terricum, præcipui benefactores et amici Domus Sylvæ habetur :

FRIDERICUS IMPERATOR AUGET FUNDATIONEM SYLVÆ BENEDICTÆ.

Intuitu Terrici Conversi.

Qualis fuerit Terricus.

Buat. in notis ms.

In Stylita mystico, punct. 10. § 4.

A Summo Pontifice obtinet privilegia.

BENEFACTORES DOMUS SYLVÆ BENEDICTÆ.

V. Guillelmus de Pictavis et Aymarus filius anno 1183,

ANNUS 1167 Guigo comes Albonis anno 1240, qui fuit magnus fautor et benefactor totius nostri Ordinis. Raymundus comes Provinciæ anno 1240. Guido de Castronovo super Rhodanum anno 1241. Amedeus comes Sabaudiæ, qui anno 1285 Domum hanc in suam tutelam suscepit; cujus filius Eduardus et Sy. comitissa ejus uxor, in quibusdam literis in gratiam hujus cartusiæ concessis sine die et anno, dicunt Alexandrum de Balgiaco suum avunculum in hujus ecclesiæ Capitulo esse sepultum. Martinus de Viriaco, dominus de Faverges et de Monterevelli, anno 1243 sepultus in sacello cum pluribus aliis ejusdem familiæ, ex qua videtur esse Germanus de Viriaco cujus obitus designatur in Chartis capitularibus. Domini quoque de Claromonte tanquam benefici et amici habentur, sicut et Girinorum familia, qui sepulturam elegerunt in sacello quod Joffredus Girini miles construxit et dotavit, licentia prius a Capitulo generali anno 1400 obtenta. Sed præcipue inter primarios benefactores merito annumerandus Nicolaus Hinselin Parisinus, qui professionem ibidem emittens octodecim librarum Francicarum millia concessit, qua largitione alios omnes, qui bona sua contulerunt, unus superavit. Nec minus in spiritualibus profecit, cum postea factus ibidem Prior, disciplinam regularem cum omnium approbatione florentem præstitit usque ad mortem quam incurrit anno nostri
1660. seculi sexagesimo; relicto apud suos ingenti desiderio ob eximiam vitæ probitatem, simplicitatem christianam, mansuetudinem, ac liberalitatem maxime erga pauperes, quibus largas semper eleemosynas erogari præcipiebat.

Anno denique seculi sexti decimi sexagesimo secundo, quando inimici sacrosanctæ fidei Vineam Christi depasti sunt, hanc quoque diripuerunt Sylvam quam ad nihilum fere reduxerunt, aris aliisque ædificiis eversis. Et iterum viginti et octo post primam hanc expilationem annis furentius reversi, non solum eam deprædati sunt, sed monachis fuga elapsis Donatum quemdam occiderunt, Rectoremque multis ærumnis et pugnis affectum tamdiu captivum retinuerunt, donec centum aureos pro sua redemptione persolvisset.

JESU CHRISTI

ANNUS 1168.

Alexandri PP. III	Ord. Cartus.	Basilii Pr. Cart.
Ann. 9.	Ann. 85.	Ann. 18.

I. MILLESIMUS centesimus sexagesimus octavus, Indictione prima, incipit annus, quo Cartusienses nova indicia sui erga Sedem Apostolicam studii suæque fidelitatis præbuerunt. Jam non opus erat, ut olim fecerant, Galliam, Hispaniam, Angliam et alias regiones ad Alexandri partes trahere; quandoquidem eum omnes ut verum Christi vicarium colebant, licet tantulum titubaret Angliæ rex Henricus. Sed restabat Fridericus Imperator schisma in dies pertinacius fovens. Hunc igitur ad Matris Ecclesiæ sinum revocare ac vero reconciliare Pontifici Nostri adnisi sunt, ita jubente ipso Alexandro. Favebat rerum status. Nam Fridericus in Concilio Lateranensi excommunicatus exauctoratusque, in miseriæ cumulum, ingenti prælio vincitur a Mediolanensibus et Papiæ obsidetur. Hac occasione arrepta, mittunt ad eum Cartusienses fratrem quemdam Conversum olim in sæculo potentissimum, et arctissima ei conjunctum necessitudine. Ille ad incitas redactus Conversi monita audit, simulans se velle ad Catholicam redire unitatem et pacem cum Alexandro inire; pacificationis arbitros eligit Papiensem Episcopum quem ab urbe expulerat, Abbatem Cisterciensem et Cartusiensem Priorem; sed induciis, ut eos evocaret, obtentis, dum jam in ejus conspectum venire parati erant, suam ille fugam interea machinatus, præmisso Converso spem omnem reconciliationis subtraxit.

CARTUSIENSES APUD IMPERATOREM LABORANT PRO SCHISMATIS EXTINCTIONE.

Baron. ad hunc an. n.53 et seqq.

Ad eum mittunt Fratrem Conversum.

ANNUS
1168

SIMULAT IMPERATOR RECONCILIATIONEM.

Epistol. S. Th. lib. 2. Epist. 66.

II. Rem, prout ab ipso Fratre Cartusiensi audierat, paulo fusius narrat Joannes Saresberiensis Bartholomæo Exoniensi archidiacono ita scribens:

« Ex quo prospere per Dei gratiam circa mediam Quadragesimam a sancto Ægidio reversus sum, tuam, dilectissime, super his quæ in Francia et Italia gerebantur præmunire decrevi charitatem. . . . . . Cum teutonicus Tyrannus sentiret se militum præsidio destitutum, et Italiæ civitates in ipsum irruere properarent. . . . . . . Dum itaque in tantis versaretur Imperator angustiis et omnino desperaret de exitu, contractum habuit cum viris religiosis quos constabat esse fideles Domini Papæ, simulans se cum Ecclesia Dei pacem esse facturum. Est autem in Domo Cartusiensi vir admodum religiosus quondam familiarissimus Imperatori, qui ab eo pridem recesserat ob conscientiam schismatis, et ei plurimo compatiebatur affectu. Hic ergo accessit ad eum cum lacrymis, sibi pro certo innotuisse asserens quod pacem non erat habiturus, nisi Ecclesiæ Dei redderet pacem. Institit autem et obtinuit ut evocaret per litteras suas Priorem Cartusiensem, Abbatem Cisterciensem et Episcopum Papiensem quem expulerat, et promitteret se consilio eorum in omnibus adquieturum, dummodo illi in se reciperent periculum juramenti quod contra Papam Alexandrum fieri fecerat. Omnes qui hæc verba audierunt, exhilarati sunt, et Lombardi jam cœperunt mitius agere, sperantes hominem esse conversum. Interim sæpe dictus Marchio egit cum cognato suo Comite Maurianensi ut Imperatorem permitteret egredi, promittens ei non modo restitutionem ablatorum, sed montes aureos, et cum honore et gloria Imperii gratiam sempiternam. Viri autem religiosi quos evocaverat arripuerunt iter, excepto Abbate Cisterciensi qui gravi detentus infirmitate, vice sua misit Dominum Gaufredum Antissiodorensem qui Claræ Vallis fuerat Abbas, præmittentes Fratrem quemdam, qui a Tyranno exploraret ubi et quando eorum vellet uti colloquio. At ille adventu eorum audito, et literis jam de exitu suo certus, induciis impetratis, respondit eos ob hanc causam frustra

Prior Cartusiæ ab Imperatore advocatur.

venturos esse nisi Angelum de cœlis secum patenter adducant, aut veniant in potestate faciendi miracula, ut possint mundare leprosos et suscitare mortuos. Et sic illi ad propria reversi sunt. Hæc mihi idem Conversus Cartusiæ, qui legationem gesserat, retulit. » Et paulo post : « Imperator autem assumpto habitu servientis, quasi ut alicujus magni viri procuraret hospitium, cum aliis quinque servientibus noctu egressus est, lætus quod ei concesserant Italiam perdere quam demeruerat diutius retinere. » Hactenus Saresberiensis.

ANNUS 1168

QUIS ILLE CONVERSUS AD IMPERATOREM MISSUS.

III. Hunc porro Conversum suspicamur esse Terricum professum quidem Sylvæ Benedictæ, sed cujus industria sæpius Cartusiæ Patres in rebus gravibus utebantur, ut diximus anno præterito cum de præfatæ Domus Sylvæ fundatione egimus, et adhuc dicemus alibi. An vero Sarisberiensis « de Cartusiensi Priore » loquens, Majoris Cartusiæ Priorem intelligat, non liquido constat ; licet verisimilius videatur ex iisdem verbis eum non agere de alterius Domus Priore. Nam sicut superius loquens de Converso, dicensque « esse in Cartusiensi Domo virum admodum religiosum, etc. », non dubium sit quin ipsam Majoris Cartusiæ Domum significet ad quam Terricus e Sylvæ Eremo advocatus fuerat, quod clarius patet cum inferius dicit : « Hæc mihi idem Conversus Cartusiæ, qui legationem gesserat, retulit » ; ita procul dubio « Priorem Cartusiensem » nominans, non alium indicat quam ipsum Matris Cartusiæ Priorem, quem etiam anno sequenti Alexander ad Henricum Angliæ Regem delegare voluit, ut dicemus. Nec obstat, quod juxta antiquam Ordinis Consuetudinem Cartusiæ Priores Domus terminos non egrediantur, nam ubi intervenit Summi Pontificis præceptum, ibi non est legis aut consuetudinis transgressio. Nihilominus Basilium nonnisi invitum et post allegatum Ordinis morem Pontificis mandato obedivisse, et ad Imperatorem se transtulisse ideo conjicimus, quod Capitulum generale circa idem tempus celebratum, sequentem ediderit constitutionem : « Cum Dominus Papa causam alicui de Ordine nostro dele-

V. infra ad an. 1185. et 1196.

Ex compilat. ms. facta per Basilium Prior. Cart.

ANNUS 1168

gaverit, obediatur ei. Cum autem oportunum fuerit, postulabitur ab eo ut super hoc parcat nobis. Cum tamen causa injungitur, debet si tempus permiserit quærere licentiam exeundi. » Id non solum respicit Prioris Cartusiæ personam sed et omnes alios Ordinis Priores, qui tunc temporis et diutissime post, terminos Domus suæ egredi non poterant, nisi prius obtenta licentia, vel a Capitulo generali vel super annum a Cartusiæ Priore.

PETRUS ABBAS S. REMIG. MONTIS DEI FUNDATIONEM CONFIRMAT.

IV. Quod spectat res Ordinis privatas, Petrus S. Remigii abbas, de quo jam multa diximus, erga Montis Dei Cartusienses bene affectus, pii Odonis fundationem his literis autenticis hoc anno confirmavit :

« Universis Sanctæ Matris Ecclesiæ fidelibus, Petrus Dei miseratione dictus Abbas, et universi Fratres Ecclesiæ S. Remigii Apostoli Francorum, ad quos præsentes literæ pervenerint, salutem, et tam orationum quam omnium bonorum communionem in Domino. Sanctorum Patrum debent imitari vestigia qui gloriam hæreditatis eorum assequi concupiscunt. Unde nos Beati Patris Odonis venerabilis abbatis S. Remigii et contemporaneorum sibi Fratrum vestigiis inhærentes, venerabilem locum, quem illi autoritate bonæ memoriæ Domini Innocentii Papæ secundi et approbatione piæ recordationis Raynaldi secundi Remorum archiepiscopi, construxerunt in loco cui Mons Dei nomen est, ut ibi Fratres Ordinis Cartusiensis in perpetuum, libere, quiete et honorifice Domino famulentur, eisdem Fratribus et successoribus eorum in perpetuum unanimi et promptissima devotione concedimus et confirmamus, cum omnibus quæ inpræsentiarum possident vel in futurum, annuente Domino, poterunt adipisci. In quibus terminos, quibus eorum territorium limitatur, propriis vocabulis duximus exprimendos. Ab orientali plaga versus meridiem, etc. . . . Hanc autem concessionem et confirmationem nostram approbat Dominus Henricus Remensis archiepiscopus; et nos eam ut perpetuo valeat et inconvulsa illibataque sit, sigilli ecclesiæ nostræ impressione et honorabilium personarum et testium munimine fecimus roborari. Omnibus

Testimonium sanctitatis hujus domus fundatoris.

ANNUS 1168

præfati loci protectoribus et amatoribus, salutem, gratiam et benedictionem cum utriusque vitæ felicitate desiderantes et implorantes a Domino. Quicumque vero super his sæpedictam Ecclesiam Montis Dei aut Fratres ibidem Domino famulantes infestare vel inquietare præsumpserit, anathematis sententia, qua eum Sedes Apostolica percellit, condemnetur donec resipiscat et condigne Deo et præfatis fratribus satisfaciat. Hujus autem concessionis et confirmationis testes sunt, qui sunt subscripti. Signum Domini Petri abbatis et de ecclesia Sanctæ Mariæ. Signum magistri Fulconis decani. Signum Rogerii de Porta Carceris. Sig. magistri Herluini. Signum magistri Radulphi. Signum magistri Milonis et de Capitulo nostro. Signum D. Leonis abbatis. Signum Gisleni. Signum Gerardi Prioris. Signum Hayderici. Signum Joannis Supprioris. Signum Lamberti. Signum Petri. Signum Pontii cantoris. Signum Stephani. Signum Hugonis. Signum Jacobi sacerdotum. Signum Thomæ. Signum Samsonis diaconorum. Signum Nicolai. Signum Henrici. Signum Hugonis subdiaconorum. Actum anno Verbi incarnati MCLXVIII, Indictione prima. Regnante Francorum rege Ludovico anno XXXII, archiepiscopatus autem Domini Henrici anno sexto. »

IDEM ALIQUANDO UT CARTUSIENSIS VIVIT.

V. Hactenus Petri literæ, qui cum fundatoribus in administratione successisset, debebat et eorum pietati et paternitati succedere. Nec enim tunc se monachis solum patrem exhibuit, sed jam antea cum esset Cellensis abbas, Montis Dei alumnum se dicebat et præbebat. Ad eum enim properans cum Fratribus dies aliquot, sed et plures hebdomadas in cella sibi appropriata vitam Cartusiensem ducebat, ut in ejus Epistolis apparet; in quibus quantum dilexerit et quam sublime de Monte Dei deque illius incolis senserit, facile animadvertere est. Aliquando enim ex professo, aliquando ex obliquo et quasi per transennam, dilectum sibi montem celebrat. Aliquando quantum ex eorum absentia tristetur manifestat, suasque eis expromit miserias, ut pro ipso Dominum deprecentur, sæpius ingeminat. In cœnobii Remigiani regimine cum propemodum innumera ad Dei gloriam et Fratrum

ANNUS 1168

Fit episcopus.

utilitatem et decorem patrasset, virtutis et doctrinæ merito præcedente, post mortem Joannis Sarisberiensis amici sui, Carnotensis eligitur Episcopus anno 1180; non 1182 ut quidam scripserunt. Factus Episcopus non dubium est quin antiquos Montis Dei amicos literis quandoque salutaverit; suas vero visitationes ad vicinos sibi Vallis Dei Cartusienses transtulisse credibile est. Mansit in episcopatu annis septem usque ad annum 1187, quo fractus senectute multisque morbis ac præcipue articulari rabie depastus, beatam animam efflavit.

Moritur.

In Montis Dei Anniversariorum libro ejus obitus signatur ad decimum Martii, exscriptoris errore, pro ejusdem Martii decimo Calendas, qua die constat eum obiisse prout legitur in Necrologio Josaphatensi his verbis : « Decimo Calendas Martii depositio Domni Petri Carnotensis episcopi, summi et nostris temporibus incomparabilis Viri. Hic enim ad ornamentum collatarum sibi a Domino virtutum, etiam virgineæ perhibetur munditiæ gratia floruisse. Jacet in Choro nostro ubi Epistola legitur. » Inter plura quæ scripsit, extat liber *de Disciplina Claustrali* ad Henricum Campaniæ comitem. Quod Opusculum in sola Montis Dei Cartusia repertum, sed sub hujus sæculi decimi septimi initium perditum, tandemque ante aliquot annos a R. P. Luca Dacherio recuperatum, in lucem editum est. Ejus quoque Epistolarum codex e Montis Dei bibliotheca erutus a R. P. Jacobo Sirmundo vulgatus est notisque illustratus, cum eleganti ad Montis Dei monachos in gratiam dati codicis dedicatoria Epistola.

FUNDATUR SELLIONIS CARTUSIA.

VI. Hoc anno vel paulo ante, fundatam putamus Sellionis cartusiam in Bressiæ comitatu et Lugdunensi diœcesi prope Burgum, sive Sebusianum Forum, urbem Bressiæ primariam, ab ea uno tantum leucæ quadrante distantem, in loco palustri nec admodum salubri positam.

Ejus initia obscura.

Ejus initia et primi progressus valde sunt obscura crassisque circumfusa tenebris, quas discutere difficillimum est, cæcutientibus præsertim et multum a se dissentientibus Scriptoribus, tum in anno fundationis, tum in primo illius fundatore.

AUTORUM VARIÆ OPINIONES.

VII. Paradinus in sua *Historia Lugdunensi* fundationem

hanc adscribit Humberto hujus nominis II, Lugdunensi archiepiscopo « qui, inquit, motus pietate ac divino concitatus spiritu, Cartusiensium habitu induto, cartusiam ædificavit in loco Sellionis prope Burgum Sebusianorum. » Idque Paradinus refert ad annum 1251 errore typographi, ut probabile est, qui annum 1251 pro 1151 signavit.

ANNUS 1168

Parad. Hist. Lugdun. l. 2. c. 44.

Quid sentiat Paradinus.

VIII. Jacobus Severtius in *Chronologia historica hierarchicæ Lugdunensium Antistitum successionis,* anno 1607 Lugduni edita, pauca hæc de Humberto habet quoad hujus Domus fundationem : « Humbertus II Cartusianum conventum adstruxit, quam postmodum solitudinem professus est. » Sed in alia eorumdem Archiepiscoporum Chronologia, anno 1628 edita, Severtius, teste Guichenone, de eadem fundatione et ejus autore paulo fusius clariusque his verbis loquitur: « Qui quidem Archimandrita (Humbertus), cum vitam privatam et quietam divinorum Mysteriorum contemplationi deditam archiepiscopatui anteferre constituisset, non destitit donec Cartusianam Cellam juxta Burgum astruxisset, in qua postmodum hoc anno (scilicet 1148) et vitam iniret solitariam et professionem Cartusianæ Religionis faceret, dimissa dignitate ; unde confestim magna illius apud comprovinciales reverentia et penes exteros fama. »

QUID SEVERTIUS.

Chronolog. Histor. Antist. Lugdun.

IX. Hottomanus in *Admiralis de Coligniaco Vita,* referentibus Guichenone et Buatio, Sellionis abbatiæ meminit, quam fuisse fundatam dicit ab Humberto Domino de Coligny et de Ruremont, qui vivebat anno 1131. Sed videtur Hottomanus de facta Ordini S. Benedicti fundatione loqui, cui Sellionis Domus prius subjecta fuit, licet nulla extent testimonia quibus probari possit præfatum Humbertum de Coligniaco illius fuisse fundatorem.

QUID HOTTOMANUS.

X. In Ambroniacensis abbatiæ et ecclesiæ Nostræ Dominæ Burgensis cartophilaciis, quoddam asservatur instrumentum transactionis inter Abbatem Ambroniacensem et Sellionis Priorem anno 1193 factæ, in quo hujus cartusiæ origo describitur. Hujus instrumenti apographum vidimus in Historia ms. Molini nostri, estque sequentis tenoris :

TRANSACTIO INTER AMBRON. ET SELLION.

ANNUS 1168

« Quia juxta Sapientis dictum generatio vadit et generatio venit, ne propter generationum diversarum vicissitudinem gesta oblivione obruantur, sancitum est ut res gestæ ad posteros deducantur, hæc literis mandare. Quapropter nos B. Abbas Ambroniaci et J. Prior Sellionis tenore præsentium literarum, ad præsentium et futurorum notitiam deducimus quod anno ab Incarnatione Domini MCLXVIII, Otho sacerdos et monachus ecclesiæ Ambroniaci cupiens anachoreticam conversationem apprehendere, ferventi devotione ductus exiit de dicta Ambroniacensi ecclesia et accessit ad sylvam Sellionis, in ipso loco residentiam facturus quamdiu sibi ab Alto concederetur. Et verens si in alieno fundo Cellam statueret, ne fortassis reprehensibilis videretur, secessit in finem dictæ sylvæ, videlicet in confinibus parochiæ ecclesiæ S. Petri de Brou ad dictam ecclesiam Ambroniaci pertinentibus, et in ipso loco prope fontem ibidem a Domino sibi præparatum. Anno prædicto oratorium in honore B. Mariæ semper Virginis erigere cœpit, et juxta ipsum oratorium Cellam suam construxit, in quo loco per plures annos sedit ; et quamvis infirmitatem podagræ in ipso loco per longum tempus sustinuerit, adeo etiam quod ex ipsa infirmitate summitates manuum et pedum, videlicet extremam partem digitorum et articulorum amiserit, tamen in his quæ sunt hujusmodi anachoreticæ vitæ institutis sedulo institit ; et post multos labores et sudores infirmitatis prædictæ, et vigiliarum et jejuniorum consummationem, cursum præsentis vitæ in hujusmodi sancto proposito laudabiliter finivit. Post cujus decessum vir quidam Martinus nomine, sacerdos et religiosus, intravit locum prædictum ; et volens habere instructorem qui eum in his quæ sunt anachoreticæ vitæ legibus instrueret et in Ordine sanctæ conversationis dirigeret, obtinuit præfici in abbatem dicti loci Clementem monachum Ambroniaci. Qui quidem Clemens ritu Ordinis Cartusiæ et sancta conversatione personarum ejusdem delectatus, sese et Fratres de Sellione anno MCLXXXI transtulit ad prædictum Ordinem ; qua translatione facta, quia dicti Otho et Clemens fuerunt mo-

nachi Ambroniaci et quia dictus locus de Sellione erat situatus infra terminos parochiæ ecclesiæ S. Petri de Brou ad dictam ecclesiam Ambroniacensem pertinentis, ipsa ecclesia Ambroniacensis petebat dictum locum de Sellione; cujus quidem petitionis quæstio per prædictum Abbatem de consensu Capituli dictæ ecclesiæ, et per dictum Priorem de mandato Domini Prioris Majoris Cartusiæ et totius generalis Capituli dicti Ordinis, terminata fuit in hunc modum, videlicet quod talia suffragia ecclesiastica fiant in Domo Sellionis pro monachis ecclesiæ Ambroniaci defunctis, qualia fiunt et fieri debent in ipsa Domo pro Fratribus ipsius Domus. Et simili modo quod consimilia in ecclesia Ambroniaci pro Fratribus dictæ Domus fient, sicut fit pro personis ipsius ecclesiæ. Et quod si in dicto loco de Sellione deficerent personæ Ordinis Cartusiæ, quod locus ipse reverteretur ad jus et proprietatem dictæ ecclesiæ Ambroniaci. Scripta fuerunt in monasterio Ambroniaci de mandato prædictorum nominatorum Ambroniaci Abbatis et Prioris Sellionis, per Magistrum Albertum Notarium publicum, Calendis Junii anno MCLXXXXIII. Signum B. Abbatis, et J. Prioris, et Albertus cum Alphabeto. » ANNUS 1168

XI. Hanc quoque transactionem Guicheno inter suas Probationes inseruit, quam suspicatur esse corruptam ; quod jam ante eum noster Molinus monuerat, nosterque Buatius multis probare conatur eam esse falsissimam. 1°. Asserit constare ex Majorævi Tabulis, quod qui anno 1193 abbatiæ præerat Ambroniacensi vocabatur Aymo, et quod anno tantum 1196 obierit, eique successerit M. (id est Manasses) de quo Sammarthani qui Aymonem dicunt ab anno 1171 jam præfuisse. AN VERA SIT HUJUSMODI TRANSACTIO ?

XII. 2°. Hottomannus in Vita Admiralis de Coligniaco, ut diximus, meminit hujus Domus ad annum 1131, quam revera constat jam fuisse fundatam anno 1137 quo Aymo de Cornalou Domui Sellionis Ordinis S. Benedicti jus animalia per totam terram suam pascendi concessit, ut in Sebusiana Guichenonis Historia legitur ; et in præfata transactione Otho monachus in LOCUS SELLIONIS HABITATUS AN. 1137.

ANNUS 1168

hunc locum dicitur anno 1168 se primum recepisse. Præterea Alexander III Sellionis Domum sub Apostolica protectione recepit anno 1169, ejus terminos nominatim approbans literis ad Clementem Priorem datis; quod profecto non potuit fieri, si Otho anno 1168 locum hunc habitare tantum cœperit, quo tempore juxta præfatam transactionem nec Clemens erat Prior, necdum aliquid erat quod Apostolicam protectionem requireret.

3°. Qui hujus autographum transactionis viderunt, exaratum non esse asserunt eo, cujus usus erat his temporibus, caractere; imo colligunt ex Alberti Notarii chirographo, quod ante annum 1300 scriptum non fuerit, quo quidem tempore, ut volunt, vel saltem paulo ante, publici Notarii in his regionibus hactenus incogniti instituti fuerunt, quos tamen antiquiores fuisse probari posse putamus.

4°. Nunquam apud Ambroniacum, ulla mortuorum suffragia (sicut in transactione ponitur) pro cartusiæ hujus monachis, nec apud Sellionem pro Ambroniacensibus reddita sunt. His adde adjectivam *Majoris* vocem, quod *Cartusiæ* nomini in transactione connectitur, nondum in usu his temporibus fuisse.

AMBRONIACENS. JUS NULLUM IN SELLIONE HABUERUNT.

XIII. 5° Constat Ambroniacenses monachos nihil juris in hoc Sellionis loco unquam sibi vindicare potuisse; siquidem ex definitis anno 1084 Prioratus de Brou (qui tunc erat juris Ambroniaci) limitibus, fons Sellionis et Fons Niger excluduntur, qui etiamnum hujus cartusiæ termini sunt. Pars autem sylvæ Sellionis ea tempestate qua præfati Prioratus de Brou limites autoritate Archiepiscopi Lugdunensis constituti sunt, anno videlicet 1084, juris erat Dominorum de Baugé et de Saiz. Alteram vero partem possidebant abbatiæ de Jugo Dei monachi, qui postea habitasse creduntur in Sellionis Prioratu antequam ad Cartusienses transferrentur.

Sed hujus falsitatem transactionis inde maxime innotescere contendit Buatius, quod hujus Instrumenti molitores Prioratuum Sellionis et de Brou originem et historiam confuderint. Constare enim dicit ex *Matisconensibus Antiquitatibus*, quas

citat Guicheno in Broviensis Prioratus descriptione, Othonem sacerdotem et monachum Ambroniacensem in locum de Brou anno 1168 se recepisse, Cellamque prope fontem ædificasse, ac vitam ibidem sanctissime absolvisse. Othoni successit Martinus ejusdem Abbatiæ monachus, cui socius adjunctus est Clemens Ambroniacensis etiam religiosus. Hic Clemens per annos aliquot Prioratum rexit Broviensem, ac tandem anno 1187 Cartusiensis in Sellionis Domo factus est. Hæc est vera Othonis Broviensis Prioratus fundatoris historia. Prioratus vero Sellionis primum pro Benedictinis anno 1131 juxta Buatium erectus, Cartusiensibus anno 1151 adscriptus a quibusdam creditur.

ANNUS 1168

XIV. Buatius præterea opinatur locum in quo Otho Cellam construxit, esse parvum Sellionem qui nunc *Sellionet* nuncupatur, sive *le petit Seillon,* situsque est juxta fontem ad marginem sylvæ inter vias *de la Vaurettes* et Nigri Fontis, ubi quædam olim ædificia fuisse verisimile est, cum locus sit quadratus et fossis circumvallatus. Hæc scientes supposititiæ transactionis autores, sibi et aliis persuadere voluerunt nostrum Sellionem esse ipsam Othonis habitationem, sicque ex multis historiis unam conflare conati sunt.

PARVUS SELLIO ALIUS A LOCO UBI CARTUSIA CONSTRUCTA.

Noster Molinus qui hujus transactionis instrumentum quoad annorum consignationem corruptum credidit, idem studuit quoad historiæ narrationem conciliare. Dicit enim Othonem Bernardi et Pontii fundatorum Domus Portarum exemplo provocatum, et secretioris amore captum solitudinis, quod isti Portis anno 1115 hoc Sellione faciendum constituisse ; ita tamen ut ipse non Cartusiensem quemadmodum socii, sed suæ familiæ, id est Benedictinorum Domum construeret. Quo in statu Domum hanc dicit perseverasse annos circiter 25 aut 30 ad annum usque 1151, quo Clemens beati Brunonis Institutum amplexus est, impetrata postea Alexandri III Pontificis protectione. Tandemque concludit Molinus tenendum esse Sellionis abbatiam Cartusiensi Ordini fuisse anno 1151 incorporatam ; in suis vero ædificiis reformatam, necnon et redditibus magna ex parte auctam ab Humberto

Molinus. in Hist. Cartus. ms.

ANNUS 1168

Lugdunensi archiepiscopo, quem et hic albentes innocentiæ tunicas, ut ejus verbis utar, et sepulturam accepisse putat anno 1156. Sed Molino contrarii sunt Guicheno et Buatius.

SELLIONIS LOCUS OLIM SUBJECTUS ABBATIÆ DE JUGO DEI.

XV. Ille enim postquam transactionem tamquam falsam rejecit, pro certo habendum asserit Sellionem antiquitus fuisse, non Abbatiam sed simplicem Prioratum Abbatiæ de Jugo Dei subjectum, idque probari ex bulla Alexandri III data anno 1169; ex alia vero ejusdem Pontificis fieri manifestum, hujus Prioratus monachos habitum et regulam Cartusiensium anno tantum 1178 fuisse amplexos, Abbate de Jugo Dei consentiente, ac præfato Pontifice omnia eodem anno confirmante.

Buatius vero detectis, ut putat, transactionis falsitatibus, in notis ad Molini Historiam sic addit: « Vix adducor ut Cartusianos Sellionem habitasse credam ante annum 1169, quo ab Alexandro Papa circumscripti sunt limites Domus, Domno Clemente cartusiam gubernante. Etenim nullum hoc tempore antiquius instrumentum reperitur. Nam donationes Dominorum de Baugé, qui titulum fundatorum sibi vindicant, hoc tempore sunt posteriores. Quare suspectum habeo id quod refertur a Domno Molin, pagina 138, Humbertum 75 archiepiscopum Lugdunensem, et fundatorem et professum cartusiæ Sellionis in ea obiisse anno 1156, etc. »

AUTORUM INTER SE DISCREPANTIÆ.

XVI. Inter tot diversarum opinionum dissentiones, cujus partes potius sequi debeamus vix possumus dijudicare. Guicheno Paradini sententiam ob id solum spernit quod fundationem assignaverit anno 1251, sed quis non videat hunc esse typographi errorem qui pro 1151 impressit 1251. Non tamen propterea absolute credimus hanc Domum ad nos hoc anno fuisse translatam, licet id etiam sentiat Molinus. Errat etiam Paradinus cum dicit Humbertum archiepiscopum in hac ipsa suæ fundationis Domo Cartusiensium habitum induisse, quem apud Vallem S. Mariæ recepisse suo loco probabimus.

Idem sentit Severtius quod Paradinus, ac proinde in eumdem prolapsus est errorem circa Humbertum fundatorem;

verum quoad fundationis annum ab eo dissentit, cum ipsam ad annum 1148 referre videatur.

ANNUS 1168

Existimat Guicheno Alexandri Papæ bullam anni 1169 spectare Benedictinos in Sellionis prioratu tunc temporis, ut ipse vult, adhuc degentes. Asserit e contra Buatius Cartusienses jam tum introductos fuisse in hanc Domum, ac proinde in eorum gratiam privilegium pontificium datum fuisse; quod etiam ante Buatium recte intulerat Molinus, Clementem dicens cartusiæ Sellionis Priorem protectionem Apostolicam et terminorum novæ cartusiæ confirmationem a Papa obtinuisse anno 1169. Hujus bullæ autographum præ manibus habemus, cujus talis est tenor :

ALEXANDER III CONFIRMAT SELLIONIS TERMINOS.

XVII. « Alexander, etc. Dilectis filiis Clementi Priori Domus Sellionis ejusque Fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ Religionis infringat. Ea propter, Dilecti in Christo filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et præfatum monasterium in quo divino mancipati estis obsequio, sub Beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium juste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione Fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, etc. » Ibi describuntur termini, quibus fuse designatis sequitur in bulla : « Ad hæc vobis universa quæ a Rectoribus ecclesiasticis ad pacem vestram provide constituta sunt, per præsentis scripti paginam confirmamus Apostolica autoritate, omnimodis prohibentes ne quis vos vel quæ vestra sunt aliquatenus perturbare vel inquietare audeat; et specialiter ne quis infra terminos possessionis vestræ, vobis invitis, agriculturam, pastoratum, plaustrorum vel quadrigarum ductum,

ANNUS 1168

seu etiam lignorum damnosum vel insolitum tractum, injuriam vel violentiam cuique facere, prædam ducere, vel prædatum ire aut redire præsumat. Eosdem autem fines, nisi communis viæ transitum faciens mulier nulla introeat. Scilicet nec pascua vestris usibus mancipata et legitime concessa invadere, occupare, auferre, minuere nulla ratione aliquis cujuscumque Ordinis aut Religionis audeat; aut personis ad Vos conversionis causa vel salutaris consilii venientibus, vel rebus eorum molestiam vel calumniam faciat, aut eos quoquo modo a proposito sancto impediat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed illibata omnia et integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicæ autoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, etc. Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ episcopus. Ego Hubaldus Ostiensis episcopus. Ego Hubaldus presbyter cardinalis Sanctæ Crucis in Hierusalem. Ego Albertus presbyter cardinalis tituli Sancti Laurentii in Lucina. Ego Jacobus Dei gratia S. Mariæ in Cosmedin diaconus cardinalis. Datum Beneventi per manum Gerardi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Notarii, II Nonas decembris, Indictione secunda, Incarnationis Dominicæ anno 1169. Pontificatus vero Domni Alexandri Papæ III an. XI. »

Quid tandem de tempore fundationis sentiendum.

In hac bulla, nulla quidem Benedictinorum aut Cartusiensium fit mentio, sed cum plures alias viderimus bullas diversis Domibus nostri Ordinis datas ejusdem prorsus tenoris, in quibus nec denominantur Cartusienses, hinc facile adducimur ut eam cum Buatio credamus ad Nostros spectare; eoque libentius credimus, quod certa autoritate recens detecta, probare possim nostrum Ordinem eo tempore apud Sellionem jam receptum fuisse. Sciendum enim est Benedictinos Sellionenses post sui mutationem Instituti, Montismerulæ

Prioratum a suis sub S. Benedicti primordiis Regula ipsis subjectum (quem propter novæ professionis rigorem sibi retinere, aut ejus bonis tamquam extra terminos positis frui non poterant), Abbati de Jugo Dei ejusdem Nigri Ordinis cessisse. Id patet ex literis a Guichenone inter Historiæ suæ Probationes allatis, hanc anno 1186 confirmantibus quidem, sed quandonam primum facta fuerit silentibus. At postquam Benedictini monachi Montemmerulæ incolentes, Sellionensium exemplo Cartusiense Institutum complexi fuere, Abbas de Jugo Dei ad suam eos ditionem revocare volens, inter præcipuas quas Summo Pontifici exposuit rationes, hanc exaggerat, nempe quod jam per « quadraginta annos et amplius prioratum Montismerulæ possederant », ut fusius anno 1210 et sequentibus sumus dicturi. Hinc igitur liquet hujusmodi cessionem ante annum 1170 factam fuisse, ac proinde Cartusienses ante idem tempus Sellionem occupasse et forsan jam ab anno 1151, ut aliquid demus nostri Molini et Paradini autoritatibus. Porro ex hac cessione non levis elicitur conjectura Sellionenses monachos Benedictinos vel sui juris fuisse, vel abbatiæ de Jugo Dei potius quam Ambroniacensis. Quid vero de transactione sæpe memorata sentiendum sit, verane sit an falsa, penitus definire non valemus, cum ad id recte præstandum ipso originali opus esset. Sed etsi merito suspecta haberetur, nihil inde posse detrahi fatemur obligationi qua tenemur erga Ambroniacensem Abbatiam, propter varia multaque quibusdam nostri Ordinis Domibus collata beneficia.

Probat. Historiæ Bress. p. 120.

Vide dicenda an. 1210 et 1213.

QUI FUNDATORES CENSENDI.

XVIII. Denique, quod ad novæ attinet cartusiæ fundatores, primi ac genuini merito agnoscendi sunt Benedictini monachi qui se suamque Domum, illiusque facultates omnes nostri Ordinis voluntati penitus tradidere. Nec propterea idem titulus Humberto Lugdunensi archiepiscopo a plurisque concessus, ei videtur omnino denegandus. Nam licet nullum modo super hoc extet documentum in Domus tabulario, verisimile est tamen hanc translationem (si referenda sit ad annum 1151) sine illius consensu factam minime fuisse; qui

ANNUS 1168

antequam Archiepiscopatum abdicaret, potuit suis expensis ædificia (quæ tunc nisi vilia, per totum Ordinem non erigebantur) construere, vel ad ea construenda pecunias relinquere. Jam vero factus Cartusiensis, a Raynaldo III domino de Balgiaco, fratris sui filio, pro nova cartusia obtinere quidquid infra terminos ejusdem Domus, tam in nemore (ut loquuntur literæ) quam in terris planis habebat. Quam concessionem (quæ his temporibus ad unius cartusiæ fundationem sufficere poterat) cum Ulricus et Guido præfati Raynaldi filii et successores confirmaverint, ac nova donatione auxerint, æquum nobis videtur Humbertum, vel saltem Dominos de Balgiaco (ad quos locus, antequam monachis attribueretur partim attinebat), tamquam secundarius benefactor agnoscere; quorum propterea donationes hic subjicere libet. Et primum quidem Ulrici et Guidonis literæ, quibus concessio a Raynaldo eorum patre facta confirmatur, sic se habent :

ULRICUS ET GUIDO DE BALGIACO PRIMI BENEFACTORES.

XIX. « Quoniam humana negotia vetustatis consumpta morsibus deperire solebant, et oblivione nebulosæ caliginis a memoria nimis leviter recedebant, approbatæ consuetudinis usu præcipitur, et quasi juris est regula commendatum, ut ea quæ statuta sunt solemniter, literarum apicibus adnotentur. Noscant ergo universi quod ego Ulricus dominus Balgiacensis, pro Dei amore et pro salute animæ meæ, et pro animabus patris mei et matris meæ omniumque antecessorum meorum, donum quod pater meus dominus Raynaldus Deo et habitatoribus Domus Sellionis fecit, videlicet de his omnibus quæ infra terminos ejusdem Domus tam in nemore quam in terris planis habebat, laudavi et concessi Deo et prædicti loci habitatoribus in perpetuum, quibus mallens addere quam minuere, dedi quidquid in territorio Nigri Fontis habebam, partem scilicet ejusdem loci mediam. Donavi etiam eis quidquid apud Vassaliacum habebam, etc. Præterea concessi eis et laudavi donum quod Guichardus Flamens et Guido frater ejus, ipsis de quibusdam terris de Montarnol fecerunt. Concessi vero eis omne jus quod in nemore et in terris planis de Montarnol habebam. Ut hæc omnia perpetuæ stabilitatis ro-

bur obtineant, Chartulam hanc sigilli mei impressione munivi. Igitur ego Guido dominus Balgiacensis, simili modo pro Dei amore et pro salute animæ meæ omniumque antecessorum meorum, omnia hæc sicut præscripta sunt, Deo et habitatoribus Domus Sellionis libere possidenda dono et concedo in perpetuum, et non solum hujus donationis, verum etiam omnium donationum suarum sive emptionum fidejussorem, omniumque rerum suarum esse me contestor defensorem. Ut autem hæc omnia firmam possint habere stabilitatem in ævum, præsentem Chartam hac compositione exaratam sigilli mei munimine corroboravi. Præterea nos Ulricus et Guido domini prædicti, pro remedio animarum nostrarum, damus in perpetuum et quittamus Religiosis Sellionis omne dominium et jurisdictionem omnimodam in et super rebus et possessionibus, et hominibus suis acquisitis vel acquirendis. Si vero homines Religiosorum Sellionis sanguinem aut adulterium, vel aliud quodque crimen in nostris villis franchis, vel in locis aliis quibuscumque facerent aut committerent, cognitionem aut punctionem eisdem Religiosis remittimus perpetuo et quittamus. Pedagia vero, banna, leydas, copponagia, nobis et nostris solvere minime teneantur, et ad prædicta omnia firma tenenda nos et successores nostros perpetuo per juramentum volumus esse obligatos. Datum sub sigillis nostris anno Domini 1180, undecimo Calendas Aprilis, testibus Ogerio Bochi, Bernardo de Montbellet, Hugone del Saix, et Othone de Masorna militibus, præsentibus et vocatis in Domo Sellionis in robur et testimonium prædictorum. » ANNUS 1168

Raynaldus de Balgiaco, de quo in prædicta concessione, fuit etiam benefactor Domus Montismerulæ ut suo loco dicemus. Obiit juxta Guichenonem anno 1180. Ejus adfuerunt exequiis Stephanus de Baugé Matisconensis episcopus, et Humbertus Stephani germanus, olim Lugdunensis archiepiscopus tunc vero Sellionis Prior. Ulricus Raynaldi primogenitus filius, præter supradictam donationem, aliam quoque sequentis tenoris fecit :

IDEM ULRICUS PLURA ADIECIT.

XX. « Sola negotia signata literis et earum custodiæ man-

ANNUS 1168

cipata subsistunt, et a suæ stabilitatis constantia non recedunt. Ideo scripta memoriæ mandare curavimus quod Ulricus dominus Balgiacensis, pro salute sua, et patris ac matris suæ et dominæ de Miribel uxoris suæ jam defunctæ, et omnium antecessorum suorum dedit in perpetuum habitatoribus Domus Sellionis quidquid habebat apud Vassaliacum, tenementum scilicet Rellin qui sedecim solidos inde habuit, et donum ex sua parte fecit, et tenementum ad Caramilas. Hoc donum fecit Ulricus in Claustro Sellionis, tacto et osculato sancto Evangelio, et flexis genibus ante illud ; anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi 1187, X Calendas Aprilis, quando scilicet Saladinus æstate præcedenti Hierosolymam terram jam pervaserat. Testes autem fuerunt Boso Prior et omnis Conventus, Aymo et Guido, et Stephanus et Boso, et Hugo et Archipresbyter, et Bernardus et Hugo Corbiniaci Procurator ; et de Laicis fratribus Michael, Archardus Ravanis, Willelmus de Pavannes, Guigo de Bioleriis ; seculares quoque adfuerunt Otgerius Bocchi, Bernardus de Montbellet, Hugo del Sais, Otho de Masorna milites, adhuc etiam Stephanus archipresbyter de Treffort, Petrus de Montaneys tunc præfectus Burgi, et Guicardus del Sais et Robertus de Baiverio nondum milites, et Chalnes de Burgo, et Ulricus Notarius domini Ulrici Balgiacensis. Et sciendum quod in hac die Hugo del Sais et Guicardus frater ejus, dominum Ulricum Balgiacensem dederunt fidejussorem Fratribus Sellionis pro servanda pace super commercio quod fecerant ad invicem, de quo alibi scriptum apud Nos habetur. Ne autem domini præfati Ulrici ab hæredibus suis, et hæredum hæredibus unquam valeat depravari præsens scriptum, sigilli sui munimine jussit illaqueari. »

Obiit præfatus Ulricus anno 1220, qui ex priore conjuge unicum suscepit filium Guidonem, qui obiit ante patrem, relicta filia Margareta de Balgiaco Domus Poletensis fundatrice. Ex altera conjuge Alexandra Gerardi comitis Viennensis et Matisconensis filia, Domus Montismerulæ benefactrice, habuit plures liberos, quorum primogenitus extitit

insignis Domus Montismerulæ benefactor, et obiit circa annum 1249, vocatus Raynaldus hujus nominis IV. ANNUS 1168

XXI. Inter benefactores præcipuos, a Guichenone annumerantur domini de Saix, de Balma, de Buenc, de Beyviers; Comites quoque Matisconenses et domini de Coloniaco novo, quorum donationes confirmatæ sunt, annis 1232 et 1242, a dominis de Turre eorum hæredibus, ut ex Chronologica Christophori Justel Historia discimus, ubi literas harum confirmationum exscriptas lector inveniet. ALII BENEFACTORES.

XXII. Per tria et amplius secula regularis observantia in hac Domo prospere incessit usque ad annum circiter 1482 quo cœpit paulatim deficere. Quapropter Capituli generalis Diffinitores novo Priori « præcipiunt quatenus invigilet super reformatione personarum dictæ Domus ». Sed non ita facile fuit in pristinum eam fervorem revocare, propter frequentes Priorum obitus nimiamque illorum mutationem. Nam ab anno 1482 ad annum 1524 octodecim reperio eidem præfuisse, qui sæpe admonentur ut « invigilent diligentius circa observantias Ordinis. » At quod mirum est, eo tempore quo hæreses ecclesiasticam ac monasticam disciplinam ubique corrumpebant, cœperunt revirescere in hac Domo religiosæ primorum Patrum institutiones; ita ut Visitatores tum circa Priores, tum circa Monachos et fratres Donatos (Conversi namque nulli tunc ibi erant) nihil castigatione dignum invenirent. Imo in eorum Chartis legimus Priores semper « laudabiliter et utiliter præfuisse, ab omnibus suis dilectos et commendatos, Monachos in charitate et pace viventes, Donatos utiliter servientes. » Sicque perseveraverunt unanimiter in Statutorum observatione, usque dum Domus facultates a milite direptæ, partim etiam eversis ædificiis, monachos alere non possent. His igitur alio transmigrantibus, solo remanente Procuratore, Domus administratio Priori Montismerulæ demandata fuit per Chartam anni 1598 his verbis: « Domus Sellionis ad penuriam summam per bellorum injuriam redactæ administrationem relinquimus Priori Montismerulæ, sine cujus consilio Procurator Sellionis nihil grave

OBSERVANTIA ALIQUANDO NUTANS NOSTRO TEMPORE STABILITUR.

Ex Visitationum chartis.

ANNUS 1168 gerere præsumat; et de omnibus ei rationem reddat. » Deinde pace inita et confirmata inter Regem Galliæ et Sabaudiæ Ducem, uterque status ita sensim restauratus est ut inter Majores Ordinis Domus hodie locum obtineat, Novitiorum etiam seminarium facta, cum ab annis fere centum nullus ibidem ad Ordinis habitum admissus fuisset.

JESU CHRISTI

ANNUS 1169.

Alexandri PP. III Ann. 10.	Ord. Cartus. Ann. 86.	Basilii Pr. Cart. Ann. 19.

SUMMUS PONTIFEX LEGATOS AD REGEM ANGLIÆ MITTIT.

I. SEQUITUR millesimus centesimus sexagesimus nonus annus Christi, Indictione secunda, quo Alexander Papa constanter perseverans ut S. Thomam in suam restitueret Ecclesiam, novam hunc in finem decernit ad Regem Angliæ legationem. Ad tantum opus delegit primum viros præstantissimos, integerrimos, atque doctrina præstantes, Gratianum videlicet et Vivianum S. R. E. cardinales. His vero, re infecta, ad Alexandrum redeuntibus, alios duos Pontifex nominavit sanctitate vitæ conspicuos, nempe Antelmum Bellicensem episcopum, et Basilium Majoris Cartusiæ Priorem. Ad quos sequentem epistolam Regi nomine suo tradendam misit :

Baron. ad hunc annum.

S. Antelmum et Basilium Cartusiæ Priorem.

Epistol. S. Thomæ lib.4. Epist. 2.

« Alexander Papa Henrico Regi Angliæ. A regiæ sublimitatis memoria non credimus excidisse, quantum tibi super negotio venerabilis fratris Thomæ Cantuariensis archiepiscopi, utinam non contra justitiam detulerimus. Et quomodo nos ei os sæpe clauserimus, ne in te, aut in regnum tuum, vel personas tui Regni aliquam posset sententiam ferre, aut vos in modico aggravare, Celsitudini vestræ incognitum non existit. Nunc autem sub ea spe et fiducia quod omnipotens Deus tuum animum circa jam dictum Archiepiscopum mitigare debeat, et immensa sua clementia serenare, licet contra rigorem ecclesiasticum et justitiam etiam sustinuerimus, Serenitatem tuam per Apostolica scripta rogamus, mandamus et exhorta-

ANNUS 1169

mur in Domino, et tibi in remissionem omnium peccatorum injungimus, ut animum et voluntatem tuam vinci a Domino patiaris; nec contra Deum et salutem tuam pugnare velis, et suam adversus te indignationem, quod absit, merito commovere. Si autem præfati Archiepiscopi personam aut Nostram etiam, qui licet immeriti, in majori sumus Officio constituti, diligentius considerare volueris, et ad tuam nobilitatem et magnificentiam comparare, non tibi guerram aut indignationem istam, ad laudem et gloriam, sed ad dedecus potius poteris deputare; cum nullam ei reverentiam aut honorem propter nobilitatem vel magnitudinem suam, sed solum propter Deum exhibeas, et in eo ipsum Deum procul dubio venereris, eodem dicente : Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit. Quare si tuam in hac parte vinci duritiam et propositum patiaris, ad augmentum tibi et exaltationem proveniet. Et Deus, cui te humiliaveris, personam tuam sine dubitatione aliqua exaltabit; et tam spiritualiter quam temporaliter patientiam et humilitatem tuam remunerare curabit: sicut tibi per venerabilem fratrem nostrum Bellicensem Episcopum et dilectum filium Priorem Cartusiensem, præsentium latores, viros siquidem religiosos et Deum timentes, hæc et alia viva voce plenius significamus, volentes animi tui indignationem et motum lenibus et blandis verbis a suo proposito revocare. »

DEINDE SIMONEM PRIOREM MONTIS DEI ET BERNARDUM DE CORILO.

II. Verum timens Pontifex ne S. Antelmus Ecclesiæ suæ, Basilius vero Ordinis sui negotia urgentia causarentur delegationis devitandæ gratia, nolensque utrique vim facere, alios duos Legatos in eorum locum substituere decrevit. Hi fuerunt Simon Prior cartusiæ Montis Dei et Bernardus de Corilo monachus Grandimontensis, de quorum sanctitate et prudentia confisus Pontifex, magnam in spem venerat eos totum negotium feliciori exitu conclusuros. Sciebat enim ob reverentiam et sanctitatis testimonium quod præsertim de Simone omnes perhibebant, nequaquam muneribus vel vincendos vel tentandos fore eos, quorum professio non tantum munera sed et cæteras mundi illecebras contemnere erat.

Hujus delegationis meminit Baronius ad hunc annum his verbis : « Quatuor post hæc diebus, ad Regem Angliæ commonitorias primum, atque inde comminatorias literas dedit per certos nuntios ad hoc delectos, videlicet Simonem Priorem de Monte Dei et Bernardum de Corilo, qui primum commonitorias ad Regem darent literas ; et si opus foret, deinde comminatorias adderent. Extant ambæ epistolæ ad Regem Angliæ, datæ hoc anno, octavo Calendas Junii, quas perferendas primo dedit Episcopo Bellicensi et Priori Cartusianorum, ut ex ejusdem Papæ literis apparet. Sed quod haud adeo certus esset an ipsi eas ad Regem perferrent, delegit eumdem Simonem virum laudatissimum, et Bernardum collegam, ad quos extant literæ de ejusmodi eis imposito Legationis officio. » Hæc Baronius, qui subdit fragmentum earumdem literarum, quas nos integras in Nostrorum gratiam hic dare operæ pretium duximus.

ANNUS 1169

Baron. ubi supra.

« Alexander Papa, Simoni Priori de Monte Dei et Bernardo de Corilo. Ad vestræ dilectionis notitiam volumus pervenire, quod nos charissimum in Christo filium nostrum Henricum illustrem Anglorum regem, per nuncios et literas benigne ac paterne sæpe et sæpe commonuimus, ut venerabilem fratrem nostrum Thomam Cantuariensem archiepiscopum in gratiam et amorem suum reciperet, et ipsum ad Sedem suam et commissam sibi Ecclesiam revocaret. Quem utique sub spe et fiducia quod animum et voluntatem suam circa jam dictum Archiepiscopum mitigare deberet, hactenus sustinuimus. Verum quoniam apud eum in his hucusque proficere minime potuimus, unde tristes sumus et dolentes effecti, eumdem adhuc per vos, quos magis Deum quam faciem hominis et credimus et novimus revereri, sicut filium, cujus correctionem toto cordis affectu optamus, paterne duximus admonendum. Inde siquidem est quod Dilectioni vestræ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, et in virtute obedientiæ injungimus, quatenus pariter in unum convenientes, ad præfatum. Regem intra duos menses post harum susceptionem si citra mare fuerit, omni excusatione et contra-

Ad quos Papa scribit.

Ubi supra Ep. 1.

ANNUS 1169 dictione cessante insimul accedatis, et eumdem commonere diligentius et instantius exhortari curetis, et ipsi etiam ex parte Dei et nostra in omnium delictorum suorum veniam injungatis, quod memoratum sibi Archiepiscopum reconciliet, et omni indignatione et rancore semoto, eumdem in gratiam et amorem suum recipiat, et illum ad commissam sibi Ecclesiam non differat revocare, considerans diligentius et attendens quam periculosum sit, et tam animæ quam corpori perniciosum, contra Deum et Ecclesiam suam pugnare, sicut in universalis Ecclesiæ inimicis poterit evidenter agnoscere; si qualiter eos omnipotens Deus justo suo judicio humiliaverit, et vires ipsorum in quibus maxime confidebant hoc anno enervare curaverit, ad animum voluerit sollicite revocare. Non enim sibi ad ignominiam aut infamiam debet aliquam reputare, si suam in hac parte vinci voluntatem et animum patiatur, et se Deo ac Creatori suo humiliet, qui eum si hoc fecerit procul dubio exaltabit. Hæc siquidem sibi, et alia quæ magis expedire noveritis, studiosius et sæpius sine dubitatione aliqua proponentes, literas nostras commonitorias eidem tradatis, et commonitionem vestram in spiritu fortitudinis et lenitatis adjungere studeatis. Quod si vos nec sic audire voluerit, sed in sua potius duritia et obstinatione duxerit persistendum, eidem literas nostras comminatorias porrigatis, et ex parte nostra constanter addentes quod nos prænominato Archiepiscopo os de cætero nulla ratione non claudemus, nec ipsi, nisi idem Rex ante initium primæ Quadragesimæ quæ jam quasi instare videtur, ea quæ superius diximus adimplere voluerit, ulterius inhibitionem aliquam faciemus, quin suas et Ecclesiæ sibi commissæ nec non et suorum injurias, ecclesiasticæ severitatis gladio pro sui Officii debito gravius ulciscatur. Non enim credere debet aut in mente habere, quin dormiens Dominus aliquando excitetur; et quod beati Petri gladium ita rubigo consumpserit, quin educi valeat et vindictam debitam exercere. Volumus autem ut hæc, sicut prædiximus, diligentius exequamini, nisi venerabilis frater noster Bellicensis Episcopus et dilectus filius

Prior Cartusiensis, ea prout mandavimus, exequantur. Datum Beneventi, octavo Calendas Junii. »

ANNUS 1169

III. Simoni et Bernardo tertius adjunctus est collega, Engelbertus Prior cartusiæ Vallis S. Petri, de quo jam diximus annis superioribus. Interea convenerant Reges Galliæ et Angliæ apud Montemmirabilem in pago Carnotensi, de pace utriusque Regni collocuturi. Huc accesserunt cum D. Thoma, quem secum adduxerant, intrepidi Apostolicarum literarum bajuli, eaque, qua decebat apostolicos viros, audacia Regem allocuti sunt, porrectis commonitoriis Alexandri literis. Sed animum flecti nescium in eo nacti, re infecta ad sua reversi sunt. Simon vero et Engelbertus ipsum Summum Pontificem plena relatione ad eum missa, de toto negotio certiorem reddiderunt, scripta sequenti epistola :

ENGELBERTUS VALLIS S. PETRI PRIOR SIMONI ADJUNGITUR.

Gervas. in Chron. et Rad. Dicetus in Imag. Histor.

« Alexandro Papæ Simon Prior de Monte Dei et Engelbertus Prior de Valle S. Petri. Ad illustrem Regem Angliæ cum fratre Bernardo de Corilo nuper profecti sumus, ut autoritate mandati vestri inter ipsum et Dominum Cantuariensem pax et concordia reformarentur ; et quo facilius tractaretur hoc verbum, Dominum Cantuariensem traximus ad locum, ubi Reges, autore Deo, reconciliati sunt. Traditis autem commonitoriis vestris Regi Angliæ, et adhibita diligentia quam apud eum credidimus expedire, monuimus et consuluimus Domino Cantuariensi ut se coram Rege humiliaret, et rigorem ejus humilitate precum et sedulitate obsequii studeret emollire. Hoc ipsum Christianissimus Rex Franciæ, Archiepiscopi, Episcopi, et magni Viri qui aderant, unanimiter suadebant. Arctatus Regis consilio, et omnium Archiepiscoporum, Episcoporum et Baronum, acquievit Archiepiscopus, et coram omnibus accessit ad Regem Angliæ, et genibus flexis posuit se in Deo et Rege ad honorem Dei et Regis, utens hac forma verborum, ut sic posset pacem et gratiam ejus promereri. Rex autem propter hoc verbum, *ad honorem Dei,* noluit eum recipere, coram omnibus dicens publice, ne videretur quod Archiepiscopus honorem Dei vellet servare et Rex minime, sed post multa, quæ utinam siluisset, dixit quod ab

Uterque Papæ reddit rationem suæ legationis.

Ubi supra Ep. 3.

ANNUS 1169

Archiepiscopo nihil aliud quærebat nisi ut ei, tanquam Presbyter et Episcopus, coram omnibus promitteret in verbo veritatis, se sine omni ingenio servaturum Consuetudines quas sancti Archiepiscopi Cantuarienses observaverant Regibus suis, et quas ipse Archiepiscopus, sibi alia vice promiserat. Archiepiscopus autem respondit quod Regi fecerat fidelitatem, qua ei præstito juramento tenebatur servare vitam, membra, et honorem terrenum, salvo ordine suo; et hoc fidelissime paratus erat implere, nec ab aliquo antecessorum suorum ulterius exactum vel ab aliquo exigendum. Et cum Rex super hoc articulo plurimum institisset, Dominus Cantuariensis adjecit : licet nullus antecessorum hoc fecisset vel promisisset, nec ipse ullatenus hoc de jure facere deberet, tamen dixit quod pro pace Ecclesiæ et gratia ejus promitteret se Consuetudines illas, quas sancti antecessores sui Regibus suis servaverant, *salvo honore suo* ei servaturum, quatenus secundum Deum posset. Et faceret pro amore ejus recuperando, quidquid posset, *salvo honore Dei;* asserens quod ei nunquam libentius servivit, quam adhuc faceret, si ei placeret. Noluit autem Rex hoc recipere, nisi præcise et absolute sub juramento ei promitteret observantiam Consuetudinum, quia nihil ulterius ab eo exigebat. Quod quia Archiepiscopus, licet multi instarent, facere noluit, Rex discessit pace infecta. Cum vero Regem exhortaremur, ut juxta mandatum vestrum revocaret Archiepiscopum in gratiam suam, et ei pacem et Ecclesiam suam restitueret, respondit quod fortasse consilium amicorum erit ut Ecclesiam quandoque restituat; sed dixit se gratiam non restituturum, quia tunc evacuaret privilegium quod ei dedistis, et quo potestatem Archiepiscopi suspendistis donec redeat in gratiam ejus. Et quia præceperatis eum primo conveniri in spiritu lenitatis per Commonitorias vestras, Comminatorias vestras in aliud tempus ei dare distulimus; deinde oraturi in cujus manu corda sunt Regum, ut animum ejus emolliat, et ad honorem suum et Ecclesiæ utilitatem pacem faciat reformari. Quod vero de Mandato vestro reliquum est, accepto tempore per gratiam

cum omni diligentia exequemur, et exitum negotii quem Deus dederit, Majestati vestræ significare curabimus. Rogatus frater Bernardus, sicut nos, ut negotii hujus seriem vobis scriberet, respondit quod in Ordine suo inhibitum est ne quis *factum* pro aliquo negotio vobis vel aliis scribat, sed dicturum se spopondit coram Nuncio vestro Magistro Lombardo qui ei literas vestras tradidit, et qui vobis rem gestam, sicut is qui præsens interfuit, fideliter significabit. »

ANNUS 1169

IV. Eodem tempore idem Simon alias ad Albertum cardinalem literas, quibus breviter ei rationem suæ legationis reddit, et quatenus S. Thomam suo consilio adjuvet hortatur, sic dicens :

SIMON DE EODEM NEGOTIO SCRIBIT AD ALBERTUM CARDINALEM.

« Alberto cardinali Simon Prior de Monte Dei. Desiderio desideravimus ego et Fratres nostri aliquid audire de vobis, sed divinitus a multo tempore nobis subtracta est consolatio ista. Erit autem maximi instar muneris, si placuerit ut sollicitudinem nostram de statu vestro certificetis. Admodum namque desideravimus prosperum eventum vestræ legationis audire. Noster autem est, qualem consuevistis audire. Peccatores enim sumus, et utinam condignos fructus pœnitentiæ Deo per gratiam ejus potius quam per merita nostra valeamus offerre. De cætero Dilectioni vestræ supplicamus attentius quatenus Domino Cantuariensi, quem constat pro justitia exulare, auxilium et consilium impendatis. Quia sicut præsente Domino Rege Francorum, et omnibus qui colloquio interfuerunt, Rex Angliæ confessus est quod hæc sola causa est exilii et proscriptionis ejus, quod Consuetudines noluit absolute promittere, quas justitiæ Dei et Ecclesiæ libertati constat esse contrarias. Præterea gloriatur idem Rex privilegium habere a Domino Papa, quo potestas Domini Cantuariensis suspensa est, quamdiu Rex ei voluerit subtrahere gratiam suam. Valete. »

V. Ubi vero S. Thomas ex aula excessit, Summo Pontifici quæ ibi gesta fuerant a nostris nunciis rescripsit, sic inter multa de Simone loquens : « Longanimitatis vestræ divitias, imo et divinæ bonitatis contempsit hactenus Rex Angliæ. . . .

LAUDATUR A S. THOMA.

Ubi supra Ep. 6.

ANNUS 1169

Ad preces et commonitiones obsurduit. . . . Cum vero nobis religiosi viri Simon Prior de Monte Dei, et Frater Bernardus hanc ejus petitionem proposuissent, respondimus non esse plene in conscientia nostra quid fecerint antecessores nostri. . . . . nos autem paratos esse ad omne obsequium ejus, etiam ultra quam fecerint antecessores salvo Ordine nostro. . . . . » Et ad Rogerium Wigornensem de eadem re sic ait : « Audivimus ea patienter, sperantes indignationem ejus mitigandam fore, si acerbitatem quam mente conceperat sine contradictione penitus effudisset, præsertim cum Domini Papæ majestas interveniret, præfati Regis et Optimatum Franciæ diligentius intercedens adesset præsentia, et sanctissimi viri Cartusienses et Grandimontani, quos vel solos oportuerat pro sua reverentia exaudiri, misericordiam exactissime implorarent, denunciantes ei familiarius et expressius, quod oculata fide perceperant, nobis a Domino Papa restitutam et collatam animadvertendi in eum et terram suam et malefactores Ecclesiæ plenariam potestatem. » Hæc sanctus Thomas.

A JOANNE SARISBERIENSI.

Epist. Joan. Sacrisb. Epist. 268.

VI. Similiter Joannes Sarisberiensis ad Bartholomæum Exoniensem episcopum scribens de hujusmodi conventu, totius negotii seriem his verbis enarrat : « Receperat ante paucos dies Rex Anglorum per sanctissimum virum Priorem de Monte Dei et Bernardum de Grandimonte, pro Cantuariensi Archiepiscopo Commonitorias Domini Papæ, pacisque probandæ spem dederat si modo D. Cantuariensis ei coram hominibus speciem humilitatis prætenderet, persuaseratque viris religiosis, quod eum in omni honore et libertate Ecclesiæ totius Regni post se Dominum et Principem constituere disponebat. Unde eorum consilio accitus Archiepiscopus a Rege Christianissimo, cum coexulantibus sibi huic colloquio interfuit, et in omni humilitate flexis genibus ad Regis sui pedes accessit in conspectu omnium, hac forma verborum utens : Miseremini mei, Domine, quia pono me in Deo et vobis ad honorem Dei et vestrum. Sed Rex qui pacem promiserat Ecclesiæ, dum timet suam posse turbari, successibus

novis elatus prorupit in contumeliam supplicantis, et impudentia loquendi promeruit ut qui antea minus verus, nunc a Francis habeatur et inurbanus; et ut causam suam, quam omnes iniquam noverant, coram sanctissimo Rege et aliis Principibus justificaret, contumelias et fabulas hoc fine concludit. Nihil, Domine mi Rex, et vos sancti viri et Principes qui adestis, aliud ab Archiepiscopo peto nisi ut mihi servet Consuetudines, quas quinque proximi antecessores sui, quorum aliqui sancti sunt et miraculis coruscant, meis observaverunt, quas et ipse promisit, et hoc in præsentia vestra tanquam presbyter et Episcopus, similiter sine malo ingenio mihi polliceatur. Hæc est sola causa dissentionis inter me et ipsum, quod eas infringit. »

ANNUS 1169

VII. Videns igitur S. Thomas Regem non fuisse commotum literis commonitoriis, nostro Simoni et Bernardo de Corilo instituit ut quam citius comminatorias ad Regem deferrent. Ad utrumque propterea sequenti scripta epistola:

S. THOMAS URGET SIMONEM UT AD REGEM PERGAT.

« Thomas Cantuariensis archiepiscopus, Simoni Priori de Monte Dei et Bernardo de Corilo. Mandatum Domini Papæ Dilectio vestra suscepit, quatenus Regem conveniretis ut nobis Ecclesiam nostram et gratiam restituat; nos autem parati fuimus, sicut præsentes vidistis, ponere nos omnino ad honorem Dei et suum in misericordia Dei et sua. Non placuit hæc forma, nisi nos obligaremus ad observationem Consuetudinum quas antecessores nostri suis servaverant. Promisimus ergo quod eas libenter servaremus quatenus possemus salvo Ordine nostro, et quicquid secundum Deum poterimus pro recuperanda gratia ejus devotissime faceremus. Noluit acquiescere, nisi absolute promitteremus nos illas Consuetudines servaturos. Quod quidem omnino non licuit, quia aliquæ earum a Sede Apostolica condemnatæ sunt. Parati vero sumus, si placuerit illi, juxta mandatum apostolicum recipere Ecclesiam et Sedem nostram cum gratia sua. Et recolite quod Dominus Papa, qui vobis in virtute obedientiæ mandati sui executionem injunxit, non præcepit nos aliquibus promissionibus obligari. Supplicamus ergo Sanctitati vestræ ut

Epistol. S. Thom. lib. 4. Ep. 9.

ANNUS 1169

obedientiam Domini Papæ exequi non gravemini, sed eam sicut sanctos viros decet, studeatis implere. » Hæc S. Thomas ad Simonem et Bernardum. Sed vidimus ex literis Simonis et Engelberti ad Alexandrum, eumdem Bernardum de Corilo sui Ordinis, nempe Grandimontensis, inhibitionem causatam fuisse quod ad Summum Pontificem scribere recusasset. Sed hanc sui silentii veram causam non fuisse, ex altera Joannis Sarisberiensis mox subjicienda apparebit epistola. Deprehensus est enim suæ pelli nimium timuisse, ne videlicet ipse vel Ordo Grandimontensis Angliæ Regis indignationem in aliquo incurrerent.

JOANNES SARISBERIENSIS AD SIMONEM ET ENGELBERTUM DE EADEM MATERIA SCRIBIT.

VIII. Nam cum juxta mandatum Papæ comminatorias ejus literas nostri nuncii ad Regem ferre deberent, nonnisi post multas tergiversationes Simonem et Engelbertum comitatus est Bernardus. Id patet ex literis Joannis Sarisberiensis præfatos Priores adhortantis, quatenus citius ad Regem accederent.

Ubi supra Ep. 29.

« Venerabilibus Dominis et amicis Simoni Priori de Monte Dei et Engelberto de Valle S. Petri, suus Joannes de Saresberia salutem et in causa Dei prosperari. Potest vestra meminisse Discretio, quod nunquam D. Cantuariensi placuit ut Apostolici mandati fines exequi differretis. Acquievit tamen Fratri Bernardo successus feliciores promittenti, si usque in aliud colloquium deliberandi spatium indulgeretur. Pollicebatur enim ferocitatem hominis interim in mansuetudinem convertendam. Sed ecce ex literis quas nuper accepi, luce clarius patet quia et legatio Domini Pictaviensis procurata est in fraudem Ecclesiæ et vestram ; et utinam ipsa dilectio non habuerit dolum, nam hoc rei exitus declarabit. Dum nos promissam expectamus mansuetudinem, ille sollicitus agit quomodo honorem Dei subruat et totam subvertat Ecclesiæ libertatem. Quidni faceret ? Exploraverat vires nostras, et iniquitate sua, non dico meruerat, quoniam falsum est, sed subripuerat favorem omnium. Et ille qui solus in tantæ difficultatis articulo honorem Dei ausus est protestari, omnibus in derisum et sibilum datus est, et quasi

ab universis consputus abscessit. Nonne de cætero facilem poterit iniquitas armata consiliis et favore sperare triumphum ? Instititi, ut consuluistis, apud Dominum Remensem ut fratri Bernardo scriberet, sed non acquievit dicens literas suas non profuturas, quia credit eum favere parti adversæ. Frequens enim est ut qui nihil habere prædicantur, aut rem aut gloriam plurimum concupiscant. Non placet D. Cantuariensi me aut aliquem suorum interesse, præter Magistrum Lombardum Romanæ Ecclesiæ subdiaconum, quem invenietis in familia Domini Senensis. Vos autem illuc perducat Dominus in spiritu et virtute Heliæ, et gladium Phinees, cum zelo quem habetis, dirigat et roboret in manibus vestris. Ne timeatis a facie et multitudine hominum, quia plures et fortiores nobiscum sunt quam cum illis. Scribit Remensis Archiepiscopus pro causa nostra Domino Papæ, præcipiens literas suas ad meum formari arbitrium, promittens etiam se necessitatibus nostris, quamdiu res exegerit, adfuturum. Viriliter agite quæso, Dilectissimi Domini, et dilationis periculum executionis officiositate et diligentia compensate, ut per vos innotescat quoniam quicquid, ultra quam obtulit, a Cantuariensi exigitur, non modo potestatis excessus est, sed plenæ et planæ infidelitatis indicium. Unde sunt quidam, ut scitis, in excusationem erronei consilii, prætextu sanctitatis vestræ; sed nunc pateat ex professione veritatis et libertate spiritus, quod nunquam illi consensistis errori. Ubi enim spiritus Dei, ibi libertas est. Et nos procul dubio veritas liberabit. Valeat semper et prosperetur in Domino sanctitas vestra. Nostri memor jugiter apud Deum, et quatenus honestati expedit, apud homines. » ANNUS 1169

IX. His acceptis literis Simon, cum collegis Engelberto et Bernardo, redit ad Regem Angliæ in Galliis cum Francorum Rege adhuc agentem, cui juxta Summi Pontificis jussionem Comminatorias ejus præsentavit, quæ hunc habebant tenorem : SIMON CUM COLLEGIS REGEM CONVENIT.

« Alexander Episcopus, servus servorum Dei, dilecto Filio Henrico illustri Anglorum regi, Salutem et Apostolicam Be- Ubi supra Ep. 4.

ANNUS 1169

nedictionem. Quam paterne et quam benigne regiam sæpius excellentiam convenerimus, et per literas et nuncios exhortati fuerimus ut venerabilem fratrem nostrum Thomam Cantuariensem archiepiscopum reconciliare tibi deberes, et sibi ac suis ecclesias cum cæteris ablatis restituere, Sublimitatis tuæ prudentia non ignorat, cum id fere toti Christianitati publicum ac manifestum existat. Unde quoniam in hoc hucusque minime proficere potuimus, nec animi tui motum blandis et lenibus emollire, tristes et dolentes efficimur. Et nos spe et fiducia nostra frustrari dolemus, præsertim cum te sicut filium carissimum sincerius diligamus in Domino, cui in hoc grave periculum imminere videmus. Et quoniam scriptum est :
Isa. 58. 1. Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annun-
Ezech. 3.18. cia populo meo scelera eorum. Et alibi : Nisi annunciaveris impio impietatem, sanguinem ipsius de manu tua requiram.
Eccli. 22. 2. Et alias per Salomonem : Piger homo de stercore boum lapidari jubetur ; duritiam tuam, sicut hactenus contra justitiam et salutem nostram, non duximus ulterius supportandam. Nec præfato Archiepiscopo os de cætero aliqua ratione claudemus, quin officii sui debitum persequatur libere, et suam et Ecclesiæ sibi commissæ injuriam severitatis gladio ulciscatur. Quæ autem in literis tam de his quam de aliis minus contineri noscuntur, dilecti nostri Filii Prior de Monte Dei et frater Bernardus de Corilo, viri siquidem plus Domini quam hominis faciem reverentes, Serenitati tuæ latius proponent, quorum admonitioni Ille, cui servire regnare est et in cujus manu corda Regum consistunt, animum tuum et voluntatem inclinet, ut flecti potius velis quam contra Deum et salutem tuam in tantæ obstinationis proposito diutius permanere. Quod si Nos in illis nec sic audire volueris, ea quæ tibi ex parte nostra proposuerint, procul dubio ventura poteris formidare. Datum Beneventi, undecimo Calendas Junii. »

SUMMUM PONTIFICEM CERTIOREM FACIT DE GESTIS A REGE.

X. Has literas postquam sæpius contra stimulum Rex calcitrasset, tandem accepit. Quæ vero inde secuta sint, Simon et Engelbertus, sequenti relatione ad Alexandrum missa, patefecerunt his verbis :

ANNUS
1169

Ubi supra
Ep. 10.

« Alexandro Papæ Simon Prior de Monte Dei et Engelbertus Prior de Valle S. Petri. Juxta mandatum Sanctitatis vestræ Commonitorias vestras illustri Regi Angliæ porreximus, operam et diligentiam pro viribus adhibentes ut juxta commonitionem vestram, Dominum Cantuariensem in gratiam revocaret, et ei Sedem suam restitueret, et pacem et Ecclesiæ suæ liberam dispositionem habere permitteret. Expectavimus diu sperantes et orantes ut Deus emolliret animum ejus. Sed cum non proficeremus expectantes, urgente mandato vestro, in colloquio Regum secundo ei Comminatorias vestras præsentavimus, quas cum ille tandem vix recepisset, ad instantiam nostram et magnorum virorum qui aderant, hoc post multa, quæ referre longum est, nobis responsum dedit : Ego Dominum Cantuariensem de Regno non expuli, et tamen pro reverentia Domini Papæ, si voluerit mihi facere quod debet, et servare mihi quod antecessores sui meis servaverunt et ea quæ ipse promisit, redire poterit in Angliam et habere ibi pacem. Et post varietates responsionum, tandem se evocaturum Episcopos Angliæ et usurum consilio eorum ; sed nec diem aliquem præfixit, nec aliquid ab eo reportavimus, unde possimus de pace Domini Cantuariensis et de mandati vestri executione certiorari. Et quia responsa frequenter mutabat, interrogavimus eum an liceret Archiepiscopo redire ad Sedem suam et frui pace sua. Ille vero respondit, quod Archiepiscopus nunquam ingredietur terram antequam faciat ei quod debet, et promittat se servaturum quod alii servaverunt et quod ipse promisit. Deinde rogavimus eum ut scriberet et signaret patentibus literis responsum suum, quia oportebat nobis rem certam vobis referre, quam nondum habebamus, quia tam frequenter responsa variabat. Ille vero noluit acquiescere. Archiepiscopus vero respondit, cum hoc ei retulissemus, se paratum esse facere Regi quidquid debet, et servare quod ab antecessoribus suis servatum est, quatenus poterit salvo Ordine suo. Sed novas inire obligationes quæ a decessoribus suis præstitæ non sunt, et promittere aliquid hujusmodi, nisi *salvo Ordine suo*, sibi

ANNUS 1169

esse illicitum sine autoritate Domini Papæ: tum quia novam formam in Ecclesiam inducere perniciosum esset, tum quia a vobis inhibitus est ne aliquid unquam tale promittat, nisi salvo honore Dei et Ordine suo. Et adjecit quod eum increpando dixistis, quod nec pro capite suo debuisset se ad talium Consuetudinum observantiam obligasse, nisi salvo Ordine suo. Sed si Rex, prout mandatis, ei gratiam suam et pacem et Ecclesiam et ablata sibi et suis restituat, quicquid secundum Deum et salvo Ordine suo poterit, libenter faciet ad voluntatem ejus, et ei diligentissime et devotissime totis viribus servire studebit. Placeat itaque Sanctitati vestræ opem ferre Ecclesiæ laboranti, et perseverare in eo quod laudabiliter cœpistis. Quia sicut a multis audivimus, et credimus, si perseveraveritis, Ecclesiæ pax et salus in januis est. Et quia Fratrum Grandimontis consuetudo non est ut scribant alicui, hæc de conscientia et voluntate fratris Bernardi socii nostri vobis scripsimus quæ gessimus cum eodem Fratre Bernardo, qui veritatem in audientia multorum testificatus est, rogans eos, quibus scribere licet, ut vobis ab eo audita scriberent. »

Hæc Simon et Engelbertus strenue ministerium suum implentes; quorum sancta conversatio et animi constantia ita Regi placuerunt, ut licet tunc erga Archiepiscopum minime deliniri potuerit, miram tamen inde nostræ Religionis fragrantiam suo tempore adhuc suavius exhalandam perceperit.

ARCHIEPISCOP. SENONENSIS CONSTANTIAM SIMONIS ET ENGELBERTI LAUDAT APUD PAPAM.

XI. Guillelmus a Campania Theobaldi magni filius, olim Carnotensis tunc Senonensis Præsul, aderat quando nostri nuncii has literas Regi comminantes porrexerunt. Quamobrem statim post colloquium, Summum Pontificem de his omnibus certiorem fecit, scriptis literis in quibus de nostris nunciis sic loquitur:

Ubi supra Ep. 7.

« Qualiter in secundo Regum colloquio nuper processerit causa Domini Cantuariensis, tanto fidelius possumus attestari, quanto familiarius ad omnia quæ ibi gesta sunt admissi sumus, et operam et diligentiam adhibuimus ut Rex Angliæ

vestris obtemperaret monitis et obediret mandatis. Sed ille postquam vix recepit Comminatorias vestras, et Religiosorum quos miseratis instantiam varietate responsionum sibi non cohærentium diu delusit, tandem nobis et illis acrius insistentibus dedit pro voluntate responsum. Ait enim se Dominum Cantuariensem non expulisse de Regno suo. Et tamen si redire voluerit, et servare quod antecessores sui servaverunt et quod ipse promisit, redire poterit et ibi habere pacem. Et nisi hoc simpliciter et absolute promiserit, ulterius in Angliam non revertetur. Et quia responsa ejus sibi frequenter adversabantur, ut nuncii vestri prorsus ignorarent quo nodo suum possent tenere Protea faciem toties immutantem, consuluimus eis ut peterent ab eo sibi literis patentibus responderi quid ad petitionem vestram facturus esset, quod vobis possent secure et fideliter nunciare. Quam eorum petitionem, licet adhibitis intercessoribus vehementer insisterent, Rex penitus reprobavit. Deinde a multis rogatus est ut saltem innocentes quos proscripserat, ad propria redire pateretur. At ille nulla ratione vel persuasione induci potuit ut eis aliquid consolationis impenderet. »

ANNUS 1169

XII. Posthac omnes in Regem pro S. Thoma concitati, Summum Pontificem, ne diutius ultimum malo remedium adhibere cunctaretur, deprecati sunt. Inter hos majori studio incensi apparuerunt Henricus Ludovici Crassi regis Galliæ filius, Remensis Archiepiscopus cum suo Capitulo, ut ex eorum literis perspicuum fit, quibus Simonem nostrum ad cœlum usque extollunt. Et primum ipse Archiepiscopus hanc ad Alexandrum scripsit epistolam, in qua eum virum admodum probatæ religionis nominat :

IDEM FACIT ARCHIEPISC. REMENSIS.

« Alexandro Papæ Remensis Episcopus. Venerabilis Frater et amicus noster Dominus Cantuariensis, apud nos pro honore Dei et libertate Ecclesiæ, pro Sedis Apostolicæ privilegiis, jam quintum annum exilii proscriptus agit. Si placet, Domine, jam satis est quod huc usque sustinuit. Jam tempus est miserandi propter multa : tum ne alii Ecclesiarum Prælati ab officii sui executione ipsius terreantur exemplo, tum ne

Ubi supra Ep. 24.

ANNUS 1169

quod hactenus adversus eum impune ab uno præsumptum est, ab aliis seculi Potestatibus in oppressione Ecclesiarum trahatur ad consequentiam mali. Supplicamus itaque Paternitati vestræ, in quam oculi omnium conjecti sunt præstolantes quem exitum causa Dei sub vestro examine sortietur, quatenus tanto exuli, imo tam sinceræ causæ subveniatis, et vestro prospiciatis honori, et Ecclesiæ libertati pariter et saluti. Si enim assertor honoris Dei torquetur in patibulo, quid spei cæteris divini nominis Confessoribus relinquetur ? Qualiter autem nuper processerit causa ejus ex testimonio viri celeberrimæ opinionis apud nos, Simonis Prioris de Monte Dei, innotescere plenius poterit, utpote scribentis quæ vidit et audivit dum mandatum vestrum exequeretur. Est enim vir admodum probatæ religionis, et quem nulla ratione credimus induci ad hoc posse ut aliquid contra conscientiam dicat. Valeat . . . etc.

IDEM TOTUM CAPITULUM EJUSD. ECCLESIÆ.

XIII. Aliæ etiam ejusdem tenoris ad eumdem missæ sunt a Capitulo Remensi, in quibus magis elucet quantam sanctitatis opinionem apud omnes Simon obtinuerat.

Ubi supra Ep. 23.

« Alexandro Papæ Canonici Remenses. Invalescunt, Pater, scandala temporibus vestris, ut in autoribus eorum compescendis et conterendis virtus vestra clarius elucescat. Confidimus enim quod Satanam conteret sub pedibus vestris, qui in membra ejus, capita schismatis loquimur, condignam et gloriosam exercuit ultionem. Exerat ergo, si placet, quoniam tempus est, in incentores schismatis et tortores Ecclesiæ gladium Petri dextera vestra, et venerabilem Dominum Cantuariensem, qui pro justitia jam quinquennio dignoscitur exulare, saltem nunc tandem miseratione debita consoletur. Siquidem justitia ejus nunc manifesta est, sicut advertere potest vestra Paternitas ex literis sanctissimi viri Simonis Prioris de Monte Dei, qui quod vidit et audivit in executione mandati vestri, hoc testatur. Vir utique plenus autoritate fidei, cujus verba apud nos et reliquos qui hominem noverunt, multorum præponderant juramentis. Quis unquam præter Cantuariensem a christiano in quacumque

obligatione coactus est, vel exactus honorem Dei reticere ? In Vos omnium oculi diriguntur, studiosius expectantes quam consolationem præstabitis Confessori, quem exitum causæ Dei, qua severitate tantam compescetis audaciam. Vestris igitur pedibus provoluti, supplicamus attentius ut prospiciatis honori vestro et Ecclesiæ libertati. Quia sublevatio unius erit indubitata consolatio plurimorum. Si enim tam sincera causa in conspectu vestro periclitatur, quis audebit de cætero seculi Potestatibus, quamlibet malitiam attentantibus, obviare ? Valeat semper Sanctitas vestra. »

ANNUS 1169

Hactenus de actis Simonis et Engelberti in causa S. Thomæ; quæ quidem non hoc tantum anno sed etiam sequenti gesta fuere, ut liquet ex citata superius Joannis Sarisberiensis epistola, quæ est ducentesima sexagesima octava ejus epistolarum, in qua sic præfatur : « Licet illustris Rex Angliæ sæpe solemniter et publice jurasset se in hominium Christianissimi Regis ulterius, quoad viveret, non redditurum, saniori consilio acquiescens propositum mutavit, et in proximo Epiphaniæ die apud Montem mirabilem in pago Carnotensi ad memoratum Regem supplex accessit, se, liberos, terras, vires et thesauros exponens, universa contulit in arbitrium ejus ut omnibus uteretur, abuteretur pro voluntate, retineret, auferret, daret, etc. » Et post pauca narrat quomodo ante paucos dies Simon noster Regi Commonitorias Alexandri dederat. Hæc scribebat Joannes hoc præsenti anno. Hic enim utriusque Regis congressu, de quo facit mentionem accidit eodem anno. Sed nos hæc omnia simul congessimus, quia commode separari non poterant.

AN S. ANTELMUS ET BASILIUS AD REGEM ACCESSERINT.

XIV. Porro ex his omnibus satis patet S. Antelmum et Basilium, etsi ab Alexandro ad Angliæ Regem nuncii fuerint nominati, sua tamen Legatione non fuisse functos, ut quidam scripserunt. Attamen non temere ad hoc ipsum munus delecti fuerant ex millibus, præsertim S. Antelmus. Noverat siquidem Summus Pontifex qui eum sacraverat, quantus esset ejus zelus, quam inflexibilis constantia. Quæ ut melius agnoscas, præter ea quæ superius ex ejus Actis exscripsimus,

ANNUS 1169

accipe ex his quæ ibidem sequuntur; ubi et videbis eum a primo vitæ tenore nihil remisisse in his quæ ad humilitatis, austeritatis, charitatis, et aliarum virtutum bonum odorem pertinent. Sic autem prosequitur autor :

Vita S. Antelmi Ms.

« Cum autem fideliter ac diligenter, secundum misericordiam et veritatem, curam gereret sacerdotii S. Antelmus, non minus pristinæ vacabat Religioni; et necubi toto in Ordine Cartusiæ sanctarum constitutionum rigor flecteretur fervorque tepesceret, curabat attentius ; ad cujus nutum Priorum intendebat oculus, et penes eum erat sanctorum dispositio negotiorum. Providebat autem ut cuncta religiose secundum ordinem fierent; locum suum Cartusiæ semper habuit, et cellam sibi vacantem unus ex determinato numero, quam sæpe veniens cum esset temporalium affectus tædio, Vir spiritualis inhabitabat ut recrearetur; non Episcopi majestatem, sed humilis monachi exhibens subjectionem. Recrearetur, inquam, non ciborum deliciis, sed jejuniis et orationibus; non somno vel desidia, sed vigiliis et exercitationibus; non rumoribus aut fabulis, seu cantilenis vel musicis instrumentis, sed sancta meditatione et divina contemplatione, cum mentis jubilo; non lætitia quam sequitur luctus, sed mœrore quem sempiternum sequitur gaudium. His reficiebatur Dei famulus et confortabatur alimentis, spe gloriæ roboratus æternæ. Visitabat religiosa loca frequentius sibi domestica; cumque venisset in quamlibet sanctam Congregationem, convocatis Fratribus, desiderabili ac melliflua collocutione proponebat eis magnorum exempla virorum, quos viderat ipse vel de quibus audierat mores, eorum facta simul ac dicta narrando. Deinde cum hilaritate et gratia singulos vicibus succedentibus, aut juxta se vocabat aut ipse loco motus eis assidebat, omnibus se conformans, non plus majori deferens quam minori. Tunc familiari ac dulci exhortatione cum hilaritate vultus ac jucunditate alludendo, animabat eos ad delectabilis propositi perseverantiam et profectum, ad jugum Domini suave et onus leve ; proponens eis illud præmium æternæ beatitudinis a Deo se diligentibus

præparatum, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Æstimans autem sua sibi non sufficere et aliorum ope indigere, devote rogabat ut sui memores essent in orationibus, ad quamcumque servorum Dei venisset congregationem, se fratrem recipi postulabat et impetrabat, nam et per omnes Domos Cartusiensis Ordinis hoc ipsum obtinuit. Dignum quippe erat, ut quod Deus in regno superno magnum providerat, in præsenti etiam Ecclesia, quæ poscebat non ei negarentur suffragia.

ANNUS 1169

OMNES EUM VENERANTUR : IPSA ETIAM ROMANA CURIA.

XV. « Conciliis autem quibuscumque ecclesiasticis, seu secularibus cum inesset negotiis, non erat Episcopus, non quælibet persona, quæ non eum sibi præponeret. Omnes eum reverebantur, etiam Romana Curia. Si quid vitiosum aut reprehensione dignum videret in aliquo, quantæcumque esset autoritatis, non dubitabat arguere ; tantus ei inerat justitiæ zelus et veritatis. Non enim hoc erat ex arrogantia vel hypocrisi, sed ex charitatis fervore. Erant forte aliqui justitiam ejus graviter ferentes, qui licet eo præsente ori digitum superponerent, absenti detrahebant. Pluribus non displicebat ejus correctio. Erga superbos rigidus erat, eorum spernens arrogantiam ; humilibus vero humilis, mitis et socialis. Erga obstinatos et incorrigibiles durus et quasi iratus, obedientibus mansuetus atque domesticus, gratis gratus, ingratis ingratus. Super peccatores pœnitentes quam pius, quam misericors extiterit, norunt qui coram eo confessi et per manum illius Deo sunt reconciliati. Totis visceribus compatiebatur eis non sine lacrymis, quas fundebat non tristitia, sed misericordiæ et pietatis abundantia, et lætitiæ magnitudine. Nam jure gaudendum existimabat, cum Veritate attestante gaudium sit in cœlis coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. Consolabatur eos, veniam consecutos asserens et Dei gratiam. Ex eo autem, licet omnes homines specialiter diligeret, specialius tamen istos non minori affectu, quam mater filios. Miseris et afflictis compatiebatur, consolationem eis impendens, consilium pariter et auxilium. In pauperes quis unquam magis pius magisve benignus ? Quis magis eorum

ANNUS 1169

misertus ? Quis magis super eorum indigentia sollicitus ? Nihil ex eis quæ habebat suum esse arbitrabatur sed pauperum. Et vere sic erat, non pecuniis congregandis quæ non permanent, sed thesauris indeficientibus et inamissibilibus æternis intendebat. Nam præter moderatum victum, in eleemosynis erogabat omnia pauperibus distribuens, quam maxime religiosis. Cum loca sancta diligeret omnia, duas pauperum Congregationes sanctas sibi vindicaverat tuendas, speciali quadam prærogativa diligens eas, et magnis sustentans beneficiis, tam in ædificiis, quam in aliis victui vestituique necessariis : ancillas videlicet Dei, viduas cum virginibus, quæ infirmum virili animo sexum cum mundo vicerunt, in loco qui dicitur *Tuncis* eremiticam vitam ducentes ; leprosorum quoque Congregationem sub Regula degentium, quam vir sanctæ conversationis ac miræ humilitatis, Deo devotus in omnibus, Guido miles Christi, statuit et construxit in loco qui vocatur *Inter saxa*, super ripam magni fluminis Rhodani. Has duas Domos frequenter visitabat, animarum et corporum curam gerens, delectabatur eorum colloquiis ; nec fœminarum formidans accessum vir castissimus, nec leprosorum abhorrens familiaritatem servus Dei humillimus. » Hactenus ex Vita sancti Antelmi.

ALEXANDER DOMUM MAJOREVI SUB SUA PROTECTIONE SUSCIPIT.

Ex Cartular. ejusd. Cartusiæ.

XVI. Eodem anno Alexander Papa cartusiam Majorevensem, ad Humberti Prioris instantiam cæterorumque Fratrum eremiticam vitam profitentium, in suam et Sedis Apostolicæ tutelam accipit, confirmans Innocentii II literas, qui eamdem eis gratiam præstiterat ; ac insuper pactionem approbat cum Nantoacensibus monachis, mediante Stephano Cluniacensi abbate, paulo ante factam ; tandemque prohibet ne infra possessionum Majorevi terminos, agriculturam, pastoratum, plaustrorum vel quadrigarum ductum, seu etiam lignorum damnosum vel insolitum tractum, injuriam vel violentiam cuicumque facere, prædam facere, vel prædatum ire aut redire præsumat ; neve ulla mulier fines eosdem, nisi communis viæ transitum faciens, introeat.

DOMUS IN GYRIO FUNDATUR.

XVII. Circa hæc tempora Domus Vallis S. Mauritii in Gyrio

ANNUS 1169

initium habuit in Sclavonia et patriarchatu Aquileiensi, a Seitzensi cartusia versus meridiem octo distans leucis, sex vero ab urbe Cilia in orientem. Hanc primum erexit Henricus Gurcensis episcopus, quam per illius successores ejectis Cartusiensibus, aliis alterius Ordinis monachis traditam Leopoldus Austriæ et Styriæ Dux nostro Ordini anno 1209 restituit, ut ipsemet in suis literis loquitur : « Domum quamdam Cartusiensis Ordinis, Gyrio nomine, restituimus; quæ cum quondam a ven. Henrico Gurcensis Ecclesiæ episcopo feliciter fuisset extructa, ab Ordine prædicto per successores memorati Episcopi in alium fuit translata Ordinem. » Eam cum Plectriacensi modo occupant Patres Societatis Jesu, qui a Seitzensibus monachis ante aliquot annos de illius origine interrogati eadem fere responderunt; sed tempus primæ fundationis ad annum circiter 1120 referendum esse declararunt. Verum id fieri non posse colligimus ex literis Domus Seitzensis dotalibus, quæ aperte indicant nullam, ante ejus extructionem circa annum 1160 inchoatam, in Styria atque Germania tota extitisse cartusiam. Scimus Bucelinum unius meminisse Henrici in Gurcensium Præsulum Catalogo, quem collocat ante Romanum I anno 1130; sed cum dicat « incertum esse quando et unde assumptus » fuerit Henricus, probabilius est eum post Romanum in episcopum electum fuisse, aut certe alium esse ab Henrico fundatore, quem non noverit Bucelinus sicut et plures alios quorum nomina occurrunt in documentis Seitzensibus, ut sunt Ulricus ad annum 1238 et 1243, Dietricus ad an. 1260, Hertwidus ad an. 1298 et Joannes ad an. 1452. Vero itaque simile est Domum Gyriensem ab Henrico fundatam fuisse inter annos 1160 et 1170, quo Romanus II præerat. Huic tribus post annis defuncto successit Hermanus comes ab Ortenburg, qui primus videtur Cartusienses lacessivisse, non tamen ejecisse, eo quod abdicare coactus fuerit anno 1180. Theodoricus de Colnitz ejus successor eos per aliquot annos sustinuit, nam anno 1185 quasdam literas Seitzensibus concessit, præsente Guillelmo Priore in Gyrio, sed gratiam in illis contentam videtur invitus contu-

Ex Cartus. in Seitz Tabulario.

V. inf. ad. an. 1209.

Ex Epistola Martini Bauzerii societatis Jesu.

Bucelinus in Germania Sacra.

ANNUS 1169

lisse, cum fatetur se id fecisse « rogatu Domini Papæ Lucii, et Alberti Salisburgensis archiepiscopi, et assidua Fratrum prece quos diligimus, inquit. » Verum si eos ita dilexisset, non passus fuisset ad Summum Pontificem et ad Archiepiscopum eos recurrere, et seipsum assidua prece fatigari? Hunc igitur Theodoricum, post Guillelmi Prioris mortem, Cartusienses credimus a Domo Gyriensi abegisse circa annum 1189, quo B. Odo Novariensis, Guillelmi in Prioratu successor, Romam adiit Summi Pontificis autoritatem contra Episcopi vexationes imploraturus, ut suo dicemus loco.

V. infra ad an. 1189.

JESU CHRISTI

ANNUS 1170.

Alexandri PP. III	Ord. Cartus.	Basilii Pr. Cart.
Ann. 11.	Ann. 87.	Ann. 20.

S. THOMAS IN ANGLIAM REDIT.

I. ANNUS sequitur Redemptoris septuagesimus supra millesimum centesimum, Indictione tertia, quo Rex Angliæ Henricus timens ne, sicut Summus Pontifex per nostrum Simonem et alios post eum missos Nuncios minatus fuerat, anathemate feriretur, tam Regis Francorum et plurimorum Episcoporum consilio quam etiam aliorum Principum supplici interventu, sanctum Thomam recepit in gratiam et ad suam redire concessit Ecclesiam. Reversus B. Præsul multas adhuc a suis adversariis sustinuit molestias. Has Joannes Sarisberiensis, qui paulo ante eum in Angliam redierat, prolixe recenset in epistola quam ad Petrum S. Remigii scripsit, in qua postquam multa fuse enarravit, ipsum rogat ut sancti Prioris, sic enim Simonem vocat, et aliorum amicorum S. Præsulis, monachorum videlicet cartusiarum Montis Dei et Vallis S. Petri, precibus se ac B. Thomam commendet. Sic autem ait : « Fortasse satellites vim parassent, nisi eos compescuisset tumultus popularis, verentes plebis impetum, quæ sic de recepto Pastore gavisa est ac si de cœlo inter homines Christus ipse descenderet.... Longum erit, et vereor ne tædium generet, si cunctas angustias nostras repeto replicare. Sed quæ desunt epistolæ, supplebuntur officio portitoris. Sit itaque, si placet, miserationis vestræ sollicitare *sanctum Priorem* et amicos Episcopi de Monte Dei et Valle S. Petri, et Abbates Sancto-

Ubi supra l. 5. Ep. 64.

Preces Cartusiensium exposcit.

ANNUS 1170

rum Nicasii et Crispini et alios sanctos familiares vestros, quatenus nobis apud Altissimum suffragentur, ut eorum meritis salubriter liberemur qui periclitamur ex nostris. »

In ecclesia sua occiditur.

Thom. Stapletonus de vera causa Martyrii S. Thomæ.

Mense uno nondum elapso a Præsulis in Angliam adventu, abierunt viri iniqui ad Regem et sanctum Episcopum apud eum detulerunt; ita ut rex gravissime commotus iteratis vicibus ita dixisse feratur : « Inertes ac miseros homines enutrivi et erexi in Regno meo, qui nec fidem servant Domino suo, quem a plebeio quodam Clerico tam probrose patiuntur illudi. » Aderant ibi quatuor e Regis familia Nobiles, qui hæc verba ex ore Regis rapientes, eo nesciente, mari celerrime trajecto, ipsum sanctum Archiepiscopum in ecclesia Cantuariensi nefarie interemerunt, die 29 Decembris hujus anni. Post novi Martyris mortem, ingentia eaque frequentissima miracula per ejus intercessionem Deus operatus est.

Fulget miraculis.

Cartusiens. monachum sanat.

Æquum porro erat ut et ipsi Cartusienses, quos sanctus Martyr vivens dilexerat et quorum suis in angustiis senserat auxilium, ejus vicissim opem gratiæ, qua post mortem apud Deum pollebat, experirentur. Quidam igitur Montis Dei monachus, Gaufredus nomine, hydrope laborans, tacta charta in qua miracula describebantur quæ Deus per merita sancti Præsulis patraverat, sanitatem recuperavit. Rem narrat vir fide dignissimus, Petrus S. Remigii abbas, in epistola ad Ecclesiæ Cantuariensis Priorem, his verbis : « De monacho Montis Dei, nomine Gaufredo, refero quæ veraciter facta, partim ab ipso, plenius a quodam monacho nostro qui tunc temporis ibi scribebat, audivi. Forte ab Anglia miraculorum sancti Thomæ charta ad nos devenerat, et a nobis ad Fratres Montis Dei. Jam dictus Frater turgidus et inflatus toto corpore, ut vere hydropicus cellam egredi non poterat. Accepta igitur cum fide et invocatione sancti nominis charta, tetigit pedes suos et tibias et totum corpus suum de ipsa, et in tantum convaluit ut, parvo tempore interposito, ad ecclesiam et ad officia, non tamen ex toto curatus, rediret. » Gaufredi obitus reperitur in Calendario Montis Dei ad diem 13 Januarii incerto anno.

Epist. Petr. Cell. lib. 6. Ep. 18.

II. Interea ubi Henricus rex necem per suos patratam audivit, ad omnia lamentationum genera se convertens, omnipotentem Deum contestatus est quod opus nefarium, nec sua voluntate vel conscientia commissum est, nec suo artificio perquisitum, nisi forte ex hoc reus sit quod Archiepiscopum minus diligere videretur. Mittens vero Clericos suos Cantuariam, multis verbis coram ejusdem Ecclesiæ Fratribus de tanto crimine se purgare nisus est. At innocentiam ejus regiorum obloquia satellitum suspectam reddiderunt, ut legitur in Historia Quadripartita Vitæ sancti Thomæ. Imo ipse Rex cuidam Cartusiensi, ad se misso a Willelmo Senonensi archiepiscopo, fassus est « causam morti ejus dedisse et eum occidisse ». Id testatur idem Archiepiscopus in epistola ad Alexandrum, in qua referens quomodo regnum Angliæ sub interdicto posuerat, sic loquitur : « Juxta seriem mandati vestri.... in terram Regis cismarinam sententiam tulimus.... Scimus enim quod nec possessiones, sicut promiserat, restituit; nec securitatem, sicut mors Martyris indicat, instituit. Per Cartusiensem quoque quem ad eum miseramus, nobis significavit quod causam morti ejus dederat et quod eum occiderat. Inde est quod Clementiæ vestræ supplicamus quatenus prædictam sententiam ratam habeatis, et sicut Majestatem vestram decet et incolumitati expedit Ecclesiæ, eam taliter faciatis observari quod honor Dei et vester conservetur. »

ANNUS 1170

HENRICUS REX PURGARE SE A NECE B. VIRI CONATUR.

Roger. Howed. in Annal.

Matth.Paris. Histor. Angl.

De gestis post martyrium cap. 1.

Epistol. S. Thom. lib. 5. Ep. 82.

Fatetur se causam necis illius fuisse.

Ipse tamen Rex suam postea purgavit innocentiam in præsentia Summi Pontificis Legatorum, coram omni clero et populo, præstito sacramento super sacrosancta Evangelia, quod ipse nec præcepit nec voluit quod Archiepiscopus occideretur. Sed quia timebat ipsos malefactores profanum illud opus perpetrasse, causa animi motus et turbationis quam in eo viderant, de satisfactione præstitit sacramentum quod articulis septem in Gervasii Chronico continetur; in quorum quarto dicitur Regem jurasse quod ab instante Nativitate Domini, anni videlicet 1171 vel 1172, usque in triennium, Crucem acciperet in proxima sequenti æstate in propria persona Hierosolymam iturus, nisi remaneret ex licentia Summi

Jurat tamen se eam non præcepisse.

ANNUS 1170

Pontificis. Sed quia hunc articulum servare non potuit, tria monasteria jussus est ædificare, ex quibus duo fuerunt nostri Ordinis, Withamiensis videlicet et Ligetana cartusiæ, ut suis dicemus locis.

Duas Ord. Cartus.Domos in satisfactionem ædificat.

S. DOMINICUS NASCITUR.

Bohic. Annal. ms. ad hunc annum.

Dionys. lib. de præconio Ord. Cartus. art. 8.

III. Hoc eodem anno, quo e vita subducitur sanctus Thomas, nascitur sanctus Dominicus in Hispania Ordinis Prædicatorum Fundator, ut ex sancto Antonino probat Baronius. Unde corrigendi sunt, qui Basilium Magnæ Cartusiæ Priorem scribunt eidem sancto Dominico dedisse consilium de modo prædicandi; ex quibus est venerabilis Dionysius Rikelius (nisi forsan aliquis alius, ut censet noster Molinus, nomen Basilii de suo addiderit) qui ita scribit : « Sanctus ille Dominicus a devotissimo viro Domno Basilio tunc Priore Majoris Cartusiæ legitur accepisse consilium de modo prædicandi adversus Hæreticos, et de institutione et habitu Ordinis sui. » Eidem sententiæ adhærens Petreius, etiam hæc addit : « Adeo ut hinc forsitan factum sit, quod tanta inter Dominicanos et Cartusianos vestium reperiatur conformitas. » Sed hæc non admittit temporum ratio. Cum enim anno septuagesimo tertio hujus seculi Basilius Prioratum dimiserit, ut postea dicemus, quo tempore vix tertium suæ ætatis annum attigerat sanctus Dominicus, qui potuit cum eo de prædicationis officio miscere sermones? cum eo, inquam, adhuc Calagurri in Hispania sub nutricis cura vagiente? Sed confusio historiarum huic errori causam dedit, dum quæ pertinent ad Stephanum Portarum cartusiæ Priorem Basilio Majoris Cartusiæ Priori male tribuuntur. Sed de his iterum inferius.

Petreius in not.ad cap.14. Chron. Dorlandi.

V. an. 1206.

DISCORDIA INTER CALESIENSES ET CARTUSIENSES SEDATUR.

IV. Hoc anno cum orta esset discordia inter Calesii et Cartusiæ monachos, occasione cujusdam vallis quam olim antecessores eorumdem monachorum Calesiensium Cartusiæ concesserant, Bernardus abbas eamdem concessionem confirmavit et renovavit, remittens Cartusiensibus quicquid juris in eadem valle sibi vindicabat. Hujus renovationis et confirmationis Literæ sunt hujusmodi :

« Ego Frater Bernardus * dictus abbas Calisiensis notum fieri volo tam præsentibus quam futuris, quod possessiones caris-

* *Alias* Beraudus.

simorum nostrorum Cartusiensium, scilicet vallem, etc. Hæc omnia prout ipsi intelligunt, assensu Fratrum nostrorum, tam monachorum quam laicorum, libere et absolute eis ac posteris eorum relinquimus; ita ut si etiam ibi aliquid donatione vel emptione, vel quocumque alio titulo habere videbamur, jure nostro omnimode cedamus Fratribus Cartusiensibus prædicta loca, sine omni contradictione et querela, perpetua stabilitate possessuris. Factum est hoc in Capitulo nostro sub præsentia Domni Nantelmi Bellicensis episcopi, et Domni Joannis Gratianopolitani episcopi. Testes adfuerunt Radulphus Gratianopolitanensis Ecclesiæ decanus, Petrus Moirenci ejusdem canonicus, Bertrandus Prior Durbonis, Joannes monachus Majorevi, Rollandus Frater de Durbone, Petrus, Giraldus et Radulphus Fratres de Cartusia, et Ismido de Lapauta. Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo septuagesimo. »

ANNUS 1170

Ex Archiv. Maj. Cart.

V. Hoc pariter anno Ordo Cartusiensis huc illucque palmites suos extendit, ac primum usque ad Wellorum Provinciam, quæ Perticum seu Perchium dicitur, ejus propagines dilatatæ sunt. Hoc siquidem tempore cartusia Vallis Dei sub episcopatu Sagiensi, ab oppido Moritonio* duabus circiter leucis versus orientem in sylva de Reno dissita, a Rotrodo (qui et Rotrocus apud Scriptores plerumque vocatur) Wellorum sive Pertici comite, felicibus auspiciis fundatur. Hæc ob id antiquitatis merito prima est in ordine Domorum utriusque Provinciæ Franciæ, cujus fundationis originem, loci situm et solitudinem Petrus Sutor, ejusdem Domus aliquando Prior, apte in hunc modum describit : « Verum ad reliqua pergentes, Vallem Dei subjiciamus, cujus impositam nobis sarcinam tulimus aliquando. Eam enim divinum inceptionis modum habuisse testatur imprimis egregius Pertici comes Rotrodus, fundator admodum devotus, qui suis asserit in literis se nutu divino Cartusianos illuc adduxisse. Testatur quoque et aliud satis vulgatum : etenim cum locus ille Vallis Dæmonis vocaretur, post Cartusiensium ingressum Vallis Dei nomen desumpsit. Denique situs loci ipsius satis probat

CARTUSIA VALLIS DEI FUNDATUR.

Ex Annal. mss. Clem. Bohic ad hunc annum.

* *Mortagne.*

Occasio Fundationis.

Sut. lib. I. tract. 3. cap. 2.

ANNUS 1170

et inceptionem et perseverantiam prorsus fuisse mirabilem. Est enim locus vicinis collibus densisque nemoribus cinctus, quem si videres, et solitudinem asperam et mundi finem te putares invenisse. Arenosam enim terram ibi cernere est, frigidis aquis irrigatam, non fœcundatam; locum quidem suapte natura invium, sed multa pauperum frequentia revelatum. Patulas undique arbores, quietas quidem et silentes nisi cum densus imber qui frequens est delabitur, vel Boreas Œolicis ab antris erumpens, totam agmine facto sylvam concitat. Denique omnia ibi videre est solitariæ, asperæ, sanctæque vitæ accommoda. » Hæc Sutor in cujus verborum fidem, quibus dicit fundatorem suis asserere in literis, « se nutu divino Cartusianos » illuc adduxisse, ipsas literas subjicimus quæ sunt sequentis sententiæ :

Literæ Fundationis.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Rotrodus Dei patientia comes Pertici dictus, una cum uxore mea Matilli, necnon et filio meo Gaufredo cum uxore sua Matilli, tam modernis quam posteris notum fieri volumus me Fratres Cartusienses, *nutu Dei et providentia,* nec non consilio et auxilio Domini nostri Senonensis Willelmi archiepiscopi, in terram meam adduxisse ut juxta morem Cartusiensem Domum Dei inibi ædificent et construant. Et quoniam idem Ordo proprios terminos habere dignoscitur, ut posteros nostros certiores reddamus, ipsos terminos propriis vocabulis subnotamus..... Quos terminos ego Rotrodus approbo et confirmo; et quidquid inter eos jure hæreditario possideo ..... pro salute et remedio animarum nostrarum necnon et antecessorum, dono et confirmo Domino nostro Jesu Christo, et beatissimæ Virgini Mariæ, et beato Joanni Baptistæ, beato quoque Apostolorum Principi Petro, et Fratribus prænominatis ibidem Deo servientibus. Insuper etiam eisdem concedo totam terram, etc. Præterea ad Ecclesiæ Dei decus et laudem et Ordinis Cartusiensis pacem conservandam, omnes ad eos euntes et redeuntes tuendos haberi decrevimus. Quæ omnia in posterum ut integra et illibata permaneant, sigilli mei et uxoris meæ et filiorum nostrorum autoritate commu-

Cartusienses nutu Dei et consilio Guill. Archiep. Senonensis adducti.

nivimus. Testes : Rotrodus Ebroicensis archidiaconus, Adam capellanus, Willelmus Angligena, Omundus sacerdos, Girardus capellanus Mauritaniæ, Jeroicus sacerdos, Wilh. de S. Medardo, Wilh. de Villeriis, Hugo sacerdos de Fains, Julianus de Mannis; Magister Ragin. Galeranus de Pinu testis et assentiens, et quidquid in eo se habere dicebat super altare deponens, similiter filius ejus Gaufridus; Hugo de Courserant similiter, Garinus de Lonzay, Robertus de Prulay et Andreas, Robertus de Sancto Medaldo, Wilh. de Bosseal, Gaufridus de Cortiel, Rob. Guerrer, Simon Viarius, Wilh. de Sancto Aniano, Gauterius Boslen, Joannes de la Belnesineire, Fulco de Veteri Ponte, Anselmus cognatus Comitis, Gauterius de Pinu, Wilh. de Quatremares, Gervasius de Mesnera, Rag. de Briterena, Gervasius de Malchenay, Hugo de Corgandrei. Hoc autem publice actum est apud Rheino, anno ab Incarnatione Domini M. C. LXX, Natali Apostolorum Petri et Pauli. R*. resignante in manu Archidiaconi prædicti, recipientibus ab ipso in nomine Domini eleemosinam Simone Montis Dei Priore et Ingelberto Vallis S. Petri Priore; assistentibus quatuor Fratribus ejusdem Ordinis, Difreno, Wilh., Joanne, Girardo : remanentibus ibidem Petro et Radulpho monachis, necnon et fratre Huberto fundatore loci illius. Amen. »

ANNUS 1170

* Rotrodo.

Qui fundatione receperint.

Primi ejus incolæ.

Petrus et Radulphus ad fundamenta spiritualia jacienda ibidem relicti, e Domo Montis Dei ab ipsis Patribus Commissariis Simone et Engelberto adducti fuerant, quibus et præfectus est quidam Monachus e valle S. Petri assumptus, Guillelmi Senonensis archiepiscopi quondam alumnus, cujus nominis prior litera in Petri Cellensis epistolis legitur R.; pro qua tamen restituendam H. affirmavit non ita pridem antiquior Montis Dei monachus qui epistolarum Petri autographum ante earum editionem viderat. Quo Priore post biennium defuncto, præfatus Radulphus gubernacula vagientis Domus suscepit. Frater Hubertus in præfatis literis « Fundator illius loci » appellari videtur, quod prius eumdem locum (ut fert traditio) eremitice vivens inhabitaret. Factus postea novæ cartusiæ Conversus ibidem decessit, quem verisimile

Ex mss. Montis Dei.

ANNUS 1170

arbitror eum esse, cujus obitus ad Calendas Januarii in Necrologio ponitur cum prænominatis duobus monachis Petro et Radulpho, et ibi vocatur « Frater Hubertus Bonosus Conversus. »

EPISCOPUS SAGIENSIS FUNDATIONEM APPROBARE RECUSAT.

Ubi supra Ep. 1.

VI. Quia ad cujuslibet monasterii ædificationem necessaria est diœcesani Episcopi licentia, Nostri idcirco ad Frogerium episcopum Sagiensem suum Diœcesanum recurrerunt; sed eo licentiam suam impertire vel recusante vel differente, Alberti Cardinalis Romanæ Sedis Legati favorem autoritatemque imploravere, mediante Petro Cellensi Abbate, qui in quadam epistola ea de re sic Albertum alloquitur : « Mihi quidem videtur præfatum locum vestro auxilio et consilio multum indigere, quia Episcopus, ad cujus Diœcesim pertinet, manum benedictionis et auxilii differt apponere. Neque enim cœmeterium, neque monasterii sui consecrationem, Fratres qui ibi manent habere possunt. Vestra itaque interest, quod de facili potestis pauperes Christi in hoc juvare, ut in loco benedicto Creatorem suum benedicant. » Non hic Petrus loquitur de Episcopo et diœcesi Carnotensi, ut credidit Sirmondus in notis ad hanc epistolam, sed de episcopo Sagiensi, ut diximus. Eamdem opem Nostris ferri ab jam laudato Archiepiscopo Senonensi, idem Abbas in altera ad eum jam citata epistola petiit. « Ut scitis, inquit, Domus ista, Domus Orationis vocatur. Necesse est ergo ut sine dilatione, auxilio vestro consecretur, quatenus veraciter et non fallaciter locus ille sanctus vocetur. Quicquid enim ibi religionis, orationis, sanctificationis, mortificationis, et aliarum sanctarum observationum servi Dei inibi conversando cœleste præmium promeruerint, in sinu vestro revertetur et ad caput vestrum defluet, quia qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet. » Quæ vero causa fuerit cur Frogerius Rotrodi fundationem confirmare recusaret, hæc mihi videtur, quod ambo, Præsul videlicet et Comes, non essent amici. Hic enim Regis Francorum partes sequebatur, ille Regis Anglorum, cujus et Eleemosynarius erat. Nihilominus tum præfatorum Cardinalis et Archiepiscopi precibus,

Epist. 2.

Robert. de Monte in supplem. ad sig. ad an. 1160.

ANNUS 1170

tum monachorum Vallis Dei pietate et humilitate devictus, Frogerius paulo post annuit talesque donationis factæ literas confirmatrices concessit :

Sammarth. in Ep. Sagi.

Tandem consensum præbet.

« Frogerius Dei gratia episcopus Sagiensis, universis sanctæ Matris Ecclesiæ filiis salutem in perpetuum. Ecclesiarum beneficia et earum sanctiones, Episcopi de cujus ea esse parochia constiterit, autoritate approbanda sunt et confirmanda. Ea propter universitati vestræ notum fieri decrevimus, nos donationem atque concessionem venerabilibus et dilectis Fratribus nostris de Valle Dei, ab illustri Rotrodo comite Pertici factam, in foresta scilicet de Rheino confirmasse, in eleemosyna perpetuo libere et quiete possidendam. . . . . . . Ne quis ergo donationem factam et concessionem infringere ullatenus seu immutare præsumat, eam paginæ præsentis attestatione et sigilli nostri autoritate communire duximus. Denunciamus etiam excommunicationis vinculo innodandos, quicumque ad jam dictos Fratres proficiscentibus injuriam seu contumeliam aliquatenus inferre præsumpserint. Testibus Rotrodo Ebroicensi archidiacono, Adam capellano, Guillelmo Angligena, Osmundo sacerdote, Girardo capellano Mauritaniæ, Galerano de Pinu, Garino de Lonrey, Huberto archidiacono Corbon., Osberto capellano, Ervaldo de Suire, Petro de Constantiis, Gaufrido de Meors, et multis aliis. »

Cur consensus Episcopi necessarius ?

Concil. Calced. et Constantinop. Vide et Gratianum de Monachis.

In his literis recte Frogerius declarat « Ecclesiarum beneficia Episcopi autoritate approbanda esse et confirmanda ». Id enim diu ante variis in Conciliis decretum fuisse, et postea in Concilio Tridentino reformatum legimus. Quam legem in novis fundationibus a Patribus nostris religiose semper servatam discimus ex omnium Domorum archivis, in quibus propriorum Præsulum confirmationes reperiuntur.

An etiam Papæ licentia requirenda ?

Conc. Lugd. c. 23.

Quod spectat ad Summi Pontificis licentiam, non reperimus eam fuisse requirendam ante Gregorii X tempora, qui in Concilio Lugdunensi prohibuit quibusdam Mendicantium Ordinibus, ne de novo Domum aut aliquem locum acquirerent sine Sedis Apostolicæ licentia speciali ; quam prohibitionem ad omnes quoscumque Mendicantes Bonifacius VIII

ANNUS 1170

C. unico §. nos super hoc de excessibus prael. in 6.

Conc. Trident. sess. 25. de Regul. c. 3.

extendit. At licet uterque Papa suis Decretis Monachorum monasteria non comprehendat, nec ipsum Concilium Tridentinum mentionem de Summi Pontificis facultate expressam faciat, eam tamen de jure communi esse tenendum est, ut sacra Cardinalium Congregatio declaravit. Verum etsi ante Gregorii X tempora non tanta ad Papam recurrendi necessitas incumberet, nullaque super his, ut diximus, expressa extaret prohibitio ; nostri tamen antiqui Patres, Spiritu Sancto semper afflati, obedientiamque præstare soliti, Sedis Apostolicæ confirmationem et protectionem pro novis Domibus, ab ipsius Ordinis exordio, exposcere semper curarunt ; ut ex omnium fere Cartusiarum tabulariis probari potest, in quibus asservantur bullæ Summorum Pontificum quorum temporibus constructæ fuerunt. Ipsi Vallis Dei Cartusienses idem fecerunt obtento, aliquot post suam fundationem annis, Pontificio diplomate quo Alexander tertius non solum novam Domum confirmavit, sed eam sub Beati Petri et sua protectione suscepit ; possessiones ei a comite Rotrodo fundatore et aliis benefactoribus concessas vel a Nostris acquisitas approbavit, terminosque designavit.

Alexand. III Vallem Dei confirmat.

ELOGIUM ROTRODI FUNDATORIS.

Rigord. de gest. Philip. Aug. ad an. 1191.

VII. Posthac ipse Rotrodus fundator Cruce assumpta in Terram sanctam perrexit, ubi eum obiisse anno 1191 habet Rigordus : « Eodem anno, inquit, comes Theobaldus,... comes Perticensis in obsidione Accii, Domino vocante, viam universæ carnis ingressi sunt. » Liber Anniversariorum hujus Domus diem signat 27 Julii. Eum jam ante quinque annos Crucem in Terram Sanctam assumpsisse, apud Angliæ Scriptores invenimus. Comes Moritaniæ vocatur a Roberto de Monte. Filius fuit alterius Rotrodi comitis et Harvisiæ Galteri baronis de Salisberia in Anglia filiæ, quæ mortuo marito nupsit Roberto Drocensi comiti, regis Francorum Ludovici VI filio. Noster vero Rotrodus uxorem duxit Mathildem filiam Theobaldi comitis Blesensis erga nostrum Ordinem bene affecti, sororem vero Stephani Sacri Cæsaris comitis, ac postea, ut quidam volunt, nostri Instituti professoris. Hinc non mirum si Rotrodus Cartusienses amaverit. Mathildis præfata memo-

Matth. Par. et Rog. Howeden ad annum 1186.

Robert. de Mont. ad an. 1159.

Ægidius Bryus in Hist. Pert.

riam habet in Calendario Vallis Dei ad Calendas Januarias. Gaudefridus post Rotrodum patrem Pertici comes, paternam fundationem aliquot reditibus ampliavit; imitatusque paternum zelum sæpe arma contra Infideles tulit. Thoma ejus filio sine liberis defuncto, successit Guillelmus alter nostri fundatoris filius, jam provectæ ætatis tuncque Episcopus Catalaunensis, quem velut magnum benefactorem habent Vallis Dei Cartusienses, in cujus Domus monumentis dicitur etiam Cadurcensem Ecclesiam rexisse. Post Guillelmi mortem Rex Francorum Perticum aut majorem illius partem obtinuit.

ANNUS 1170

Godef. Willard in Hist. franc.

VIII. Post Principes, fundatores præcipui Vallis Dei fautores et benefactores fuerunt hi : Guillelmus archiepiscopus Senonensis, Mathildis fundatricis germanus frater, cujus auxilio et consilio, ipse Rotrodus Cartusienses in terram suam adduxisse in suis literis attestatur, quemque Petrus Cellensis hortatur ut nascenti Domui pergat benefacere : « Opus, inquit, manuum vestrarum, locum utique qui dicitur Vallis Dei non tradatis oblivioni, quia novella plantatio cito deficit sive arescit, nisi frequenti irrigatione ei succurratur et fomento multiplici foveatur. . . . . Non ergo pigeat vos cœpisse expendere in usus pauperum aliquid de substantia vestra, quia vos recepturi sunt in æterna tabernacula. » E Senonensi Sede ad Remensem translatus, Cartusienses semper fovit et dilexit.

GUILLEL. ARCHIEP. SENON. PRÆCIP. FAUTOR.

Pet. Cellen. ubi sup. Ep. 2.

Lisiardus Sagiensis episcopus Rotrodi fundationem et Frogerii consensum confirmavit. Robertus de Rouvres ejusdem Ecclesiæ Præsul in Necrologio Domus sic commendatur ad 3 Nonas Octobris: « Obiit R. P. Robertus de Rouvres episcopus Magalonensis et prius Sagiensis, pro cujus Anniversario Dominus Joannes le Gay canonicus Carnotensis tradidit decem scuta aurea ad reditus emendos. » Ignoravit Gariel Robertum, quem « de Rotis » appellat, prius Sagii sedisse. Joannes le Gay prænominatus fuit etiam singularis benefactor hujus Domus, cui et nomen aliquando dedit factus ibidem Præbendarius, tandemque in extrema senectute decessit anno 1508, die 15 Januarii, ex citato Necrologio et Charta Capituli

Pe. Gar. in in serie Præsul. Magal.

ANNUS 1170

[a] Ex Chart. 1513.
[b] Ex Chart. 1580.

generalis ejusdem anni. Joannes Marniere[a] sacerdos, alter Præbendarius receptus cum licentia Cap. gen., sepultus jacet in Choro Conversorum. Nicolaus Flamiaire[b] eumdem statum amplexus, obiit cum prius multa bona fecisset. Robertus Pullus Rothomagensis archiepiscopus pinguissimam dedit eleemosynam ann. 1214, quam ejus successores Petrus de Collemedio et Odo Rigaudi confirmaverunt. Jordanus de Hommet Lexoviensis episcopus anno 1197, quemdam reditum copiosissimum largitus est, a Willelmo decano et cæteris Canonicis confirmatum.

Ex Principibus qui hanc Domum sua benevolentia ac liberalitate complexi sunt, hi occurrunt in tabulario et calendario : Petrus S. Ludovici regis filius, comes Alenconius cum Joanna uxore. Ludovicus comes Blesensis et Elisabetha filia ejus, comitissa Carnotensis, habens Anniversarium die 2 Januarii. Alter Petrus comes Alenconius Caroli filius, Conventum hujus Domus quatuor auxit Monachis, qui prius novem tantum capax erat ; ejusque posteri multa etiam dederunt. Sed de his alibi. Ex Nobilibus recensentur inter benefactores et amicos : Gervasius de Novo Castello qui sub fundationis initia quidquid intra terminos possidebat, dedit in præsentia Rotrodi comitis Perticensis et Gaufredi ejus filii, Engelberti Prioris Montis Dei quondam episcopi Cabillonensis (sunt verba Chartæ), Radulphi Vallis S. Petri, et Guillelmi Vallis Dei Priorum, Hugonis Montis Dei, Dalmatii Vallis Sancti Petri, et Bosonis Vallis Dei Conversorum. Quam donationem firmiter et immobiliter tenendam, Rotrodus comes et Gaufridus filius ejus manuceperunt de mandato prædicti Gervasiii, præstito ab eodem Gervasio juramento, tactis Sacrosanctis Evangeliis, et fide corporali interposita in manu jam dicti Episcopi. Actum anno Dni. MCLXXXV. Joannes de Estouteville miles, dominus de Torchiaco et Blainvilla, et Francisca de Rupe Fucaldi ejus uxor, quorum obitus habentur in Charta anni 1501 quo ille obierat die 3 septembris, hæc 19 Junii. Robertus Thiboult quondam Præses in Parlamento et Joanna de Jouy conjuges. Joannes de Trousseauvilla domi-

nus de Quercubruna et aliorum locorum, sepultus in Choro. Hugo de Corion, Haimericus de Glinchamp, et Joannes Blond milites. Guillelmus Jousse civis Moretaniæ in ecclesia sepultus, Robertus quoque Bulet tumulum obtinuit in hac Domo. ANNUS 1170

IX. E Perchio gradum revocantes, Provinciam adeamus ubi hoc anno construitur cartusia nostræ Dominæ de Verna. Hæc Domus sita est in montibus Comitatus Provinciæ aureo et argenteo pulvere vestitis, ab oppido Olbiæ seu Arearum* quatuor leucis, totidemque a Grimault distans; inter Tolonensem et Forojuliensem episcopatus, lineaque qua utraque diœcesis invicem separatur, per medium ecclesiæ magnique claustri æqualiter permeat, ita ut pars illa ecclesiæ quæ Prioris sedem respicit, ad Forojuliensem; altera ad Tolonensem episcopatum spectet; quod pariter de claustro dictum volumus. Quamobrem cum ineunte nostro seculo, de decimis et alienatione temporali ab Ecclesiasticis quæstio existeret in his partibus, generales utriusque Episcopatus Vicarii loca hæc perlustrantes, Domum hanc ut appulerunt, Regio obsequentes Edicto quo sancitur ut caput membra sequantur, illico decreverunt ut hæc cartusia utrique Episcopatui (licet in antiquis documentis dicatur diœcesis Forojuliensis) bipertito decimas redderet. Et certe æquo judicio, cum constet locum in quo ecclesia ædificata est juris fuisse utriusque Ecclesiæ. Tempus fundationis nostri Scriptores referunt ad præsentem annum, licet Choppinus annum falso signaverit 1202, unde quidam eum secuti putarunt ruralem prius eodem in loco extitisse Prioratum « Nostra Domina Vernæ » dictum; et id solummodo probare nisi sunt ex privilegio Alphonsi regis Arragonum et Comitis Provinciæ, quo mancipium unum tradidit Priori Fratribusque de Verna, nulla facta mentione Ordinis Cartusiensis. At cum illud Privilegium datum sit anno 1194, mense Januario, ut ex illius apographo ad nos ex eadem Domo transmisso apparet, ecclesia vero hujus cartusiæ dicata sit in honorem nostræ Dominæ anno 1174, 3 Octobris sub Desiderio Priore, ex his et ex subjiciendis eorum opinio funditus refellitur.

DOMUS VERNÆ FUNDATUR.

* *Hières.*

Ex mss. ejusdem. cart.

ANNUS
1170

Fundatores ejus qui.

Nullum hactenus fundatoris nomen habuisse legimus, sed plures terrarum intra antiquos Domus terminos positarum largitores agnoscuntur. Petrus Isnardi qui ab anno 1168 ad annum 1183 Ecclesiam Tolonensem moderatus est, « territorium, ut quædam loquuntur Chartæ, de Verna sive quicquid infra terminos, cultum vel incultum, sive sint decimæ vel aliud, Deo et Fratribus de Verna jure perpetuo donavit; eleemosynam confirmantibus Desiderio ejusdem Ecclesiæ præposito, Willelmo venerabili sacrista, Boirello, Gaufrido et cæteris Canonicis. » Desiderius Petri successor donum renovavit anno præsentis seculi nonagesimo. Idem, post triginta annos ad Aymonis Prioris Vernæ preces, Stephanus ejusdem Sedis præsul præstitit. Fredolus Forojuliensis episcopus terminos a primis hujus cartusiæ incolis, juxta Guigonis Statuta, sibi et suis successoribus constitutos approbavit ad instantiam « sanctæ Congregationis ejusdem loci perpetuo jure confirmavit », et easdem res, ut Petrus quondam Tolonensis episcopus, concessit. Ejus quoque successores Guillelmus et Bertrandus cuncta ab eo collata rata habuerunt, ita ut si cui fundatorum gloria attribuenda esset, præfatis Petro Tolonensi et Fredolo Forojuliensi Prælatis minime deneganda videretur : tum maxime quod omnes qui utrique Ecclesiæ ad nostra usque tempora præfuerunt, Cartusiensem Ordinem amare, fovere et sibi demereri semper studuerint.

BENEFACTORES.

X. Inter alios benefactores merito referendi sunt qui sequuntur : Guiranus et uxor ejus Aiglina et tres filiæ, Airenda, Beatrix et Flandina, dederunt et jurejurando confirmarunt Deo, beatæ Mariæ, et S. Joanni Baptistæ et habitatoribus Domus Vernæ in perpetuum quidquid juris habebant infra terminos Domus sine omni retinemento, in manu Bertrandi de Turre, coram multis testibus, sub Prioratu Guillelmi qui præfuit circa annum 1186.

Idelfonsus sive Alfonsus, Dei gratia rex Arragonum, comes Barchinonen. et marchio Provinciæ, fundator cartusiæ Scalæ Dei, dedit Priori, cunctisque Fratribus de Verna præsentibus et futuris, quemdam hominem cum omnibus facultatibus

ANNUS 1170

et possessionibus ejus; « hoc modo, inquit, quod de cætero exemptus, dimissus et liberatus a toto ex potestate et proprietate mea et successorum meorum sit, et efficiatur perpetuus et solidus homo prædicti Prioris et Fratrum, ipse et qui sibi in capite manso suo permansuri successerint; ita quod non teneatur facere neque præstare ostes, cavalcatas, albergas, seu earumdem redemptiones, neque aliud aliquod servitium mihi aut meis, etc. Datum apud Areas, mense Januario, anno ab Incarnato Domino MCLXXXXIIII. Hujus rei testes Bernardus de Porcella, Petrus Prior S. Sepulchri et capellanus Domini Regis, et alii. »

Bonifacius Castellanæ dominus concedit securitatem et pascua per totam suam terram Stephano Priori Domus Vernæ, qui præfuit ab anno 1188 ad annum 1202, et ad calcem Chartæ hæc leguntur. » Et ego Stephanus prædictus Prior, cum Fratribus meis, recipimus dominum Bonifacium in fraternitate nostra pro dono isto, in omnibus orationibus nostris, et in divinis Officiis nunc et in perpetuum, Amen. Et ego B. Bufus ejus filius similiter laudo. »

Guido de Fossis, archiepiscopus Aquensis, dat pro redemptione animæ suæ et animarum patrum suorum, Conventui Sanctæ Mariæ de Verna viginti solidos annuales pro pitantia una, similiter tasquas quas habebat in hominibus patrimonii sui de Borma in festo S. Michaelis; « et sciendum, inquit, in suis literis, datis circa annum 1202, quod Prior et Conventus ejusdem loci me et Bermundum Cornutum pro monachis in beneficio suo nos receperunt. » Testes sunt B. Cornutus, W. Jombardi Bariolis canonicus, B. capellanus, Bonushomo Prior de Collobreia, et alii.

Circa annum 1206 Bermundus Cornutus erat Episcop. Forojuliensis.

Raymundus de Falcaqueriis suum dominium reliquit eodem anno, habitumque monachalem in hac Domo suscepit; quod et plures alii Nobiles fecerunt, bona sua et seipsos Ordini dicantes.

Roncelinus et Ugo de Baucio, vicecomites et domini Massiliæ, contulerunt privilegium exemptionis anno 1205, mense Majo.

ANNUS 1170

B. de Bugiaco et W. dant jus pascendi, et Domum in sua protectione suscipiunt, et pro hoc ipsi Fratres tribuunt CCC solidos, et recipiunt eos in omnibus suis beneficiis et pro Fratribus; et post mortem corpora eorum in suo cœmeterio sepelire promittunt.

Guillelmus Rafinus de Areis dedit Bertrando de Correns Priori Vernæ, pro indumentis in perpetuum faciendis, quasdam salinas cum juribus et pertinentiis earumdem. Datum anno 1248, XV Calendas Septembris.

[a] Ex charta 1521.
[b] Ex charta 1572.
[c] Ex charta 1576.

Magnorum benefactorum nomen in nostris Chartis capitularibus habent Petrus[a] Berneus, Antonius[b] Peregrenier, et Magister Antonius[c] Formeri. Anno sexti decimi seculi septuagesimo primo hæc Domus penitus combusta est, quam Episcopi utriusque Ecclesiæ, Tolonensis videlicet et Forojuliensis, suis et suorum pecuniis instauraverunt, ut dicemus eodem anno. Magnam quippe ruinam sexennio post ab Hæreticis passa est.

DOMUS LUVINIACI FUNDATUR.

XI. Tertiam quoque Domum circa hunc annum fundatam credimus, cartusiam videlicet Luvigniaci in ducatu Burgundiæ et diœcesi Lingonensi, quæ ab urbibus semotissima est. Distat enim a Castellione ad Sequanam quinque circiter leucis in orientem, novem a Lingonibus in occasum, a Divione tredecim in septentrionem, totidemque ab Abbatia Clarevallensi in meridiem. Hanc fundavit Galterus Lingonensis episcopus, ac postea in eadem factus monachus. Cujus fundationis sive donationis loci literæ biennio post scriptæ, sunt hujusmodi :

Galteri episc. Lingonensis fundatoris literæ.

« Quoniam ea quæ a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ bona fide statuuntur, in sua debent stabilitate permanere ; ego Galterus Dei gratia Lingonensis Ecclesiæ Minister humilis, notum facio præsentibus et futuris quod sanctis Fratribus Ordinis Cartusiensis pro animæ meæ et Prædecessorum meorum salute, donavi locum qui dicitur Lugneiacum, et perpetuo concessi libere possidendum cum universis appenditiis, terris. . . . . . Duce autem præsente, Priorem Dalion* hac donatione investivi. Decano vero Lingonensi et

* Hæc est Domus Alionis sive Augionis de qua ad an. 1146.

Capitulo præsente et laudante, rem prout gesta erat recognovi. Ut ergo in suo tenore permaneat hæc donatio, sigilli mei placuit eam autoritate confirmari. Hujus rei testes sunt Alverus abbas S. Stephani Divionensis, Nantelmus abbas Castellionensis, Manasses decanus Lingonensis, Joannes d'Alion dicti loci Prior. Acta sunt hæc anno Incarnati Verbi Dei milleno centeno septuageno secundo. »

ANNUS 1170

Manasserius decanus cum suorum Canonicorum collegio, Episcopi donum eodem tempore approbavere, testibus Garnero Girardo de Montesal et Hugone de Riveria Lingonensis Ecclesiæ archidiaconis. Galterus fundator filius fuit Hugonis II Burgundiæ ducis, germanus Henrici episcopi Augustodunensis, qui cum a juventute sua meliora sectaretur charismata, prudentiam ac pietatem præ se ferens, vacante Sede Lingonensi anno 1138 a Clero ad Summum Pontificem delegatus fuerat qui eligendi libertatem ab eo deprecaretur. Quod quidem obtinuit et sui generis ratione, et Petri Venerabilis interventu, causæ justitiam et Principem juvenem apud Innocentium II commendantis, scripta in hunc finem epistola in qua de Galtero sic loquitur : « Filium Ducis Burgundiæ nostræ, Majestatis vestræ clementiam nunc primum adeuntem, vobis attentius commendamus, ut eo a vobis amore et honore suscipiatur, quatenus et bonæ spei filius bonum Patrem se adisse gratuletur, et vestro obsequio multo magis in posterum obnoxius reddatur. » Electus fuit tunc Godefridus abbas Fontaneti, cui abdicanti Galterus noster subrogatus est, postposito Bisontinensi Archiepiscopatu ad quem paulo ante assumptus fuerat. In omnibus sui ministerii partibus ea religione, integritate et zelo se gessit, ut vigilantissimi Pastoris omnibusque exornati virtutibus immortale sibi nomen comparavit. Cumque hanc cartusiam construxisset dedicassetque, præter locum Luvigniaci multa alia bona contulit, ut ex diversis Instrumentis in Tabulario Domus asservatis apparet. Sentiens vero vires suas deficere, suum erga nos studium et benevolentiam nullos pati posse defectus novis ostendit argumentis. Priora quippe beneficia novis

Elogium Fundatoris.

Laudatur a Petro Venerabili.

Petr. Clun. Epist. 36. lib. 2.

ANNUS 1170

cumulans, quicquid hactenus concesserat non solum confirmavit sed auxit immunitatibus, terminisque circumscripsit, datis sequentibus literis, in quibus prima mens illius nostrum amplectendi Institutum deprehenditur:

Prioribus beneficiis nova adjicit.

Extat integra to. 4. Spicileg. Dacherii.

« Ego Galterus Dei gratia episcopus Lingonensis, notum facio præsentibus et posteris, quod pro animæ meæ et prædecessorum meorum salute Domum Luvigniaci a me fundatam, Religionemque Cartusiensem exemptam ab omni jurisdictione ordinaria professam, tradidi generali Capitulo dictæ Religionis perpetuo corrigendam, et a Prioribus et Fratribus qui ibidem pro tempore fuerint, pacifice et libere possidendam. . . . . . Nihil omnino mihi retinendo, excepto hospitio, sed cum meis propriis expensis, in quo etiam nolo uti carnibus quoquo modo. » Deinde descriptis terminis addit: « Hæc igitur omnia sigilli mei autoritate confirmata posteris elucidare curavi anno MCLXXII. »

Factus Cartusiensis moritur.

Cum itaque Galterus in hanc Domum paulo post se recepisset, ac per aliquod tempus duriora difficilioraque privati solitarii exercitia tentasset, maxime abstinentiæ a carnibus legem religiosissime observando, tandem tanquam unus ex nobis factus, vitæ suæ residuum in magna austeritate, spiritus fervore, patientia et humilitate transegit, mortuus ibidem ac sepultus ad sinistrum majoris Altaris latus intra fornicem in muro excavatam. Illius obitus dies in vetustissimo ejusdem cartusiæ Necrologio ab ipsa fundatione inchoato, et eodem charactere quo literæ dotales exarato, his designatur verbis ad 7 Idus Januarias: « Obiit Gauterus Lingonensis episcopus quondam professus Domus nostræ ». Idem dies habetur in libro Anniversariorum Ecclesiæ Stephaniensis, et in altero ejusdem Cartusiæ Calendario, ac etiam in antiquo Psalterio; et ubique dicitur « Frater et ædificator Domus Luvigniaci. » Vignerius quoque eumdem diem posuit, sed quo anno non plane constat. Septuagesimum hujus seculi octavum videtur indicare epitaphium ejus sepulchro inscriptum, quod tale est:

V. Sammarth. in Episc. Lingon.

Vigner. in Chron. Lingon.

Præsul Lingonicus, sapiens ac mente pudicus,
Nomine Galterus, patiens, humilis quoque, verus

Zelator cultus Christi, manet hicque sepultus.
Hic nos fundavit, pariter templum dedicavit.
Fastum calcavit, mundum stercus reputavit.
Noster et inde fuit factus, terrestria sprevit.
Ac habitum tenuit in quo cum pace quievit,
Anno milleno centeno septuageno
Octavo pleno, migravit·corde sereno.

ANNUS
1170

Annum hic notatum corrigendum esse recte putat laudatus Vignerius, eo quod literas legerit quibus Hugo Burgundiæ dux Comitatum Lingonensem eidem Galtero et successoribus ejus contulit anno 1179, mense Februario, cum tunc annus more Romano, ut ipse observat, 1180 inchoaretur. At si eo anno mense Februario adhuc vixerit Galterus, obieritque, ut diximus, septimo Idus Januarias, annus illius obitus rejiciendus erit ad annum 1181, more romano; sed cum illius successor Manasses de Bar jam sederit anno 1179, juxta breve Chronicon Benignianum, hinc conficiendum videtur nostrum fundatorem infulas 1179 tantum anno penitus reliquisse, ac monachum spatio unius anni cum dimidio inter nos egisse.

Sammarth. in Episc. Lingon.

Quidam putant ad hunc nostrum fundatorem referendam esse visionem factam cuidam Episcopo Lingonensi, post mortem S. Bernardi Clarevallensis, de qua agunt Trithemius in *Chronico Hirsaugiensi* an. 1160, Wernerus in *Fasciculo temporum* sub Anastasio IV anno 1154, et Melchior Flavinus libro *de Statu animarum post obitum* cap. 5. Qui Flavinus dicti sui vindicem citat quemdam Cartusiensem nomine Jacobum. Sed hujusmodi visionem alium spectare quam Galterum censemus, cum tempora non conveniant. Nam S. Bernardus obiit anno 1153, noster vero fundator anno tantum 1163 ad Episcopatum assumptus fuit.

Error circa Galterum.

XII. Multi Lingonenses Præsules post Galterum erga Domum Luvigniaci beneficos et amicos se exhibuerunt, inter quos sunt Manasses de Bar primum Decanus, quem diximus confirmasse cum suo Capitulo fundationem Galteri. Factus Episcopus alias donationes ratas habuit et auxit, datis literis anno 1184, testibus Willermo abbate Cistercii, Pontio cellera-

GALTERI SUCCESSORES FAVENT CARTUSIENSIBUS.

ANNUS 1170 rio, Boino abbate de Firmitate, Nochero decano Divionis. Quas quidem literas et earum tenorem approbavit Gerardus Dei gratia humilis Lingonensis decanus, cum ejusdem Ecclesiæ Capitulo, testibus Roberto thesaurario, Arnaudo, Belino, Humberto canonicis presbyteris, et aliis. Actum eodem anno quo supra. Biennio post composuit idem Episcopus discordiam motam inter monachos hujus Domus et homines de Luglero : testibus Radulpho abbate Longi Vadi, Benigno Priore Albæ ripæ, Magistro Hunando, Magistro Aramberto, Lamberto archidiacono, Petro Castellionis Majore, Fratre Bosone, Viardo capellano de Villenis. Anno denique hujus seculi nonagesimo ipse etiam quamdam de suis bonis fecit eleemosynam. Ejus obitus signatur in Domus Calendario ad diem 16 Januarii.

Manassæ successit Garnerius, qui confirmavit quamdam venditionem factam ab heris de Grangeio : testibus Martino sacerdote et monacho Luvigniaci, et Fratre Guidone sacerdote et eremita de la Forest Ducis ; actum anno 1195. Et huic Hilduinus de Vandeuvre qui anno 1203, pridie Nonas Octobris, dedicavit ecclesiam Domus inferioris. Robertus de Castellione Hilduini successor, quosdam incolas de Luglerio cum Nostris disceptantes anno 1205 pacificavit. Et anno sequenti quædam bona concessit, approbante Capitulo suo. Ejus obitus notatur in Necrologio Domus ad diem 19 Martii. Guillelmus de Joinville, qui post Robertum Sedem accepit, multa contulit ut constat ex variis diplomatibus datis ab anno 1210 ad annum 1217. Deinde translatus ad archiepiscopatum Remensem habuit Anniversarium Nonis Novembris ; et quamdiu vixit, singulis hebdomadibus celebrabatur una Missa de B. Maria pro eo. Alter Robertus omnes donationes cunctaque privilegia a suis antecessoribus concessa, amplo diplomate rata habuit, præsentibus Evrardo Longi Vadi et Guidone Castellionis abbatibus, et humili Priore Vallis Caulium ; actum anno 1234. Guido de Rochefort habuit Anniversarium privatum in hac Domo die 18 Maii, quo dicitur obiisse in Necrologio Domus, forsan frater aut

filius Simonis de Rochefort, qui anno 1210 quoddam pratum largitus fuerat cum quibusdam tamen oneribus; eleemosynam laudantibus Margarita matre ejus, et Isabella sorore ejus uxore Willelmi de Aspero monte. Simonis obitus habetur in Necrologio 23 Februarii. ANNUS 1170

Guillelmus de Poitiers Galteri fundationem confirmavit, datis literis anno 1345, mense Januario juxta calculum antiquum. In sigillo, præter Ecclesiæ Lingonensis insignia, apparet scutum impressum sex nummis Bysantiis cum apice. Guido Bernard singularis fuit amicus et fautor hujus Domus cujus fundationem a Galtero factam renovavit, datis amplissimis literis ut successoribus occasionem subtraheret Nostris creandi molestiam, sicut fecerat ejus Prædecessor qui eis litem in supremo Parisiensi Senatu intentarat, ut discimus ex Charta Capituli generalis anni 1451 in qua Ludovico Gaceti Priori hujus Domus « præcipitur, attenta paupertate Domus suæ, quatenus debitum in quo Reverendus Dominus Episcopus Lingonensis fuit condemnatus in Parlamento Parisiensi ex integro exigat, absque eo quod de dicto debito, dicto Domino Episcopo aliquid remittat, attento quod villa de Mussiaco super quam dictum debitum debetur, ex ordinatione Dominorum Parlamenti Regii est ad manum regiam. Et hoc dicto Priori seriose injungimus sub pœna suspensionis ab Officio Prioratus. » Guido igitur hujus Episcopi successor, non solum antiquas donationes confirmavit et conservavit, sed semper Nostris, quantum in se fuit, favit. Unde Ordo noster in qualemcumque acceptorum beneficiorum memoriam post illius obitum Tricenarium per totum Ordinem indixit, et in hujus Domus Necrologio ad diem 17 Decembris ejus obitus legitur his verbis : « Guido piæ memoriæ, quondam Lingonensis episcopus, fundavit intus in magno altari perpetuo, singulis diebus Dominicis, Missam de B. Maria in qua ordinavit duas Orationes dici Defunctorum, videlicet : *Da nobis, atque Pontificis,* et *Inclina* in plurali, quæ debet dici in penultimo loco Orationum. Pro quo legavit nobis annualiter centum francos et unum *Catholicon* in papyro. »

Fundationem confirmant.

Ex chart. 1481.

ANNUS 1170

Joannes d'Amboise Guidonis successor, videns quosdam Ecclesiæ suæ Ministros seu Officiarios Nostrorum quietem obturbantes, hanc Domum constantissime tuitus est, datis literis quibus violentiam suorum reprimit. Sic autem incipiunt : « Joannes d'Amboise Dei et sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Episcopus, Dux Lingonensis ac Par Franciæ, Christianissimique Principis Domini nostri Francorum Regis in Ducatu et Comitatu Burgundiæ ac partibus illis adjacentibus Generalis locum tenens, etc. Datum et actum in castro nostro de Muxeyo Episcopi, die ultima mensis Octobris anno 1487. » Ab eo tempore omnes ejus successores in hanc cartusiam semper fuere bene propensi.

PRÆCIPUI BENEFACTOR. LUVIGNIACI.

XIII. Præcipui post Præsules Lingonenses benefactores sunt : Hugo dux Burgundiæ, qui anno 1183 prohibet ne ulli alterius Religionis liceat aliquid acquirere intra terminos hujus Domus. Idem Galteri fundatoris ex fratre Nepos, anno 1187 iter parans in Terram Sanctam, multa bona largitus est. Ejus obitus reperitur in Necrologio Domus ad 5 Junii.

Ansericus dominus Montis Realis, præfati Ducis sororius, pro se et Sybilla de Burgundia uxore sua multa dedit anno 1184, laudantibus filiis suis Anserico et Joanne. Habuit et alium filium Hugonem episcopum Lingonensem. Odo dux Burgundiæ anno 1200. Ejus obitus sic legitur in Necrologio ad 25 Aprilis : « Odo dux Burgundiæ, qui dedit nobis octo modios vini et alia multa. » Beneficia quæ contulerat Odo ab Hugone duce confirmata sunt anno 1269.

Gall. Christ. in Epist. Lingon.

Joannes comes Burgundiæ et dominus Salinensis quædam onera salis concessit pro fundatione Anniversarii in hac Domo persolvendi, pro se et Mathilde quondam uxore sua et Elizabetha tunc temporis conjuge sua. Literæ datæ sunt Lugduni anno 1244. Agnes ducissa Burgundiæ dedit annuatim octo modios vini pro Missis celebrandis. Habet Anniversarium die 9 Decembris, et Johannetta comitissa Burgundiæ ad 19 Augusti.

Alii benefactores sive amici occurrunt passim in Calenda-

riis Domus, quorum hæc sunt nomina : Gofridus de Brevimuro, quædam pascua concessit anno 1176, coram Nantelmo abbate Castellionis, Petro decano Barri et aliis. Vandinus de Brevimuro anno 1217 quamdam donationem confirmavit, quam fecerat quando habitum Religionis in hac Domo susceperat ; obiit postea in statu Conversi et signatur in Calendario ad 12 Calend. Martii. Blanca de Rossillon in hac Domo sepulta, ad 9 Januarii. Petrus de Barro construxit Capitulum, ad 8 Martii. Anselmus quondam abbas monasterii Dervensis, ad 16 Martii. Guido de la Trimoille, de Sully et de Craon, qui tanta bona contulit ut merito dici debeat secundus fundator, ad 4 Maii. Fuit etiam ille benefactor Domus Divionensis. Petrus de Musseyo benefactor, qui fuit primus fundator cartusiæ Trecensis, ad 15 Julii. Guido de Jacourt abbas monasterii Sancti Joannis Ordinis S. Benedicti, Lingonensis diœcesis, dedit semel ducenta scuta, et obiit anno 1402, 28 Augusti. Hunc non cognoverunt Sammarthani. Willelmus marescallus Campaniæ, qui ædificavit ecclesiam, ad 1 Septembris notatur in Necrologio.

ANNUS 1170

Robertus comes Tornodori quondam frater Ducis Burgundiæ ad 10 septembris, qui fuit etiam benefactor Belnæ. Joannes comes Cabilonensis, ad 29 ejusdem mensis. Margarita de Chalons comitissa Montisbeliardi fundavit unum Monachum, et construxit unam cellam et dedit lampadem argenteam ante magnum altare, ad 13 octobris. Joannes de Castrovillano miles dedit quindecim libratas terræ pro Monachorum pelliciis annis bissextilibus semper faciendis, ad 16 Novembris.

FUNDATUR CARTUSIA POMERII.

XIV. Quartam circa hunc annum, vel etiam ante, Ordini adscriptam Domum subjicimus, videlicet cartusiam Pomerii in episcopatu principatuque Genevensi, a Geneva famosa illa urbe quatuor leucis communibus versus meridiem, et a flumine Rhodano illi occidentali duabus distantem. Hanc ipsi Pomeriani monachi fundatam volunt hoc anno a Guillelmo hujus nominis primo Gebennensium comite, quem quidem Guillelmus ejus filius in suis literis infra subjiciendis fundatorem ac patronum nominat ; sed cum ibidem dicat se

Comites Genevæ fundatores.

ANNUS 1170

« confirmare donationem et eleemosynas Fratribus Pomerii ab antecessoribus suis factas, et Domum Pomerii speciali dilectione et privilegio debere amplecti, cujus fundatores extiterunt patres sui »; ex his verbis possumus non absurde colligere Amedeum ejus avum primum fuisse fundatorem, ac proinde hujus Domus originem altius esse repetendam; nisi forte ipse Amedeus usque ad præsentem annum vixerit. Nec propterea Guillelmus I nomen fundatoris debet amittere, qui Amedei patris fundationem absolvit, concessis juribus omnibus quæ habebat infra terminos Domus, cujus concessionis extat sequens diploma in *Bibliotheca Sebusiana* Guichenonis :

Guillelmus Comes fundationem absolvit.

Biblioth. Sebus. centur. 2. cap. 13.

« Anno ab Incarnatione Domini M. C. LXXIX ego Willelmus per misericordiam Dei Gebennensis comes, gratias agens Deo, qui Cartusianorum Fratrum cæterorumque Religiosorum meritis et patrocinio, cunctis inimicis meis confusis mihique subactis, Comitatum integre mihi restituit, per præsentem paginam sigilli mei impositione munitam, cunctis præsentibus et futuris notifico me dare omnia jura quæ habeo infra Fratrum Pomerii terminos, vel quæ alii a me habent, si quomodo Fratres Deo servientes acquirere potuerint, Deo et beatæ Mariæ, et Pomerii Fratribus in manu Domini Petri Prioris Pomerii, per manum Domini Roberti sanctæ Viennensis Ecclesiæ reverendi archiepiscopi, et per manum Domini Arditionis Gebennensis antistitis. Testes sunt Frater Theodoricus Conversus Sylvæ Benedictæ, Petrus Dominus Terniaci*, et Humbertus filius meus qui hoc donum fecit in manu prædicti Prioris per manum supradictorum Episcoporum. B. quoque uxor mea et filius meus Aymo quinquennis, hoc donum fecerunt et laudaverunt in obsidione castri quod dicitur Rupes*, testimonio Oliverii sacerdotis de Crusillia* et Girardi vicecomitis. Propter impensas autem non modicas quas propter guerram acceperam, accepi a prædictis Fratribus quingentos solidos. Comitissa habuit centum solidos, Humbertus filius meus centum solidos, Hugo de Noydent centum solidos, Girardus vicecomes Terniaci decem solidos, Humbertus vicecomes de Crusillia duodecim solidos. Item

* *Vulgo* Ternier *in pago Gebennensi.*

* *Vulgo* La Roche *oppidum Gebennesii.*

* *Aliud oppidum Pomerio vicinum.*

pro strata XXX solidos, pro tenemento ego Willelmus XXX solidos, et Humbertus filius meus VII solidos. » ANNUS 1170

Hunc Willelmum Guicheno in Notis dicit decessisse cum opinione sanctitatis, et jacere ante fores ecclesiæ S. Catarinæ supra Aneciacum, Ordinis Cisterciensis, ab ejus uxore fundatæ, tumulo miraculis claro. Hunc ipsum tamen Sammarthani dicunt a Friderico Imperatore, tanquam Ecclesiæ Genevensis hostem, banno Imperii submissum anno 1186 ad petitionem Nantelini episcopi cartusiæ Vallonis quondam Prioris, ut etiam patebit ex his quæ dicturi sumus anno 1205 occasione ejusdem Nantelini. Anno 1194 idem Willelmus cum Humberto filio quamdam donationem fecit Majori Cartusiæ. Beatrix ejus uxor locum habet inter Vallis S. Hugonis cartusiæ fundatores.

ALTER GUILLELMUS COMES FUNDATIONEM CONFIRMAT.

XV. Humbertus præfati Willelmi filius, Genevensis comes, benefactor hujus Domus, unicum habuit filium Eubalum, quo expulso et in Angliam fugiente, Guillelmus ejus patruus comitatum usurpavit. Hic anno 1252 hujus Domus fundationem confirmavit et auxit, datis sequentibus literis :

« Ego Guillelmus Comes Gebennensis notum facio, tam præsentibus quam futuris præsentem paginam inspecturis, me vidisse et diligenter inspexisse Chartam a nobili viro Willelmo patre meo, quondam comite Gebennensi, Fratribus Pomerii Cartusiensis Ordinis, Gebennensis diœcesis, ratam et concessam, non cancellatam, non abolitam, non in aliqua parte corruptam, competenter sigillatam, in præsentia mea et Rodulphi filii mei sufficienter lectam et expositam. Nos vero Guillelmus comes Gebennensis et Alesia comitissa uxor mea, et Rodulphus filius noster primogenitus cum cæteris filiis nostris, scilicet Amedeo venerabili viro episcopo Diensi, Aymone cantore Gebennensi, Henrico, Roberto canonico Viennensi, Willelmo et Guigone, donationem, concessionem et eleemosynas Fratribus Pomerii ab antecessoribus nostris factas laudamus et confirmamus, et eisdem concedimus et donamus, sicut eisdem jamdudum concessit vir nobilis Willelmus comes quondam Gebennensis, fun-

ANNUS 1170

dator Domus Pomerii et patronus, ut quicquid infra terminos Pomerii de rebus nostris, pratis, terris, nemoribus, hominibus, censibus, possessionibus et rebus aliis, vel de feudis nostris acquisiverint vel acquirere poterint, donatione, emptione vel alio quocumque modo juste et canonice, possideant libere et absolute in puram et perpetuam eleemosynam, pro animabus nostris et antecessorum nostrorum habeant, et pacifice teneant et quiete. Insuper præfatis Fratribus Pomerii damus et concedimus, pro remedio animæ nobilis viri Humberti fratris nostri quondam comitis Gebennensis et animarum nostrarum et antecessorum nostrorum, usum pascuorum per totum comitatum Gebennensem, salvo jure alterius; cum Domum Pomerii speciali dilectione et privilegio debeamus amplecti, cujus fundatores extiterunt patres nostri. In cujus rei testimonium nos Guillelmus comes Gebennensis, et Alesia comitissa uxor mea, et Rodulphus filius noster primogenitus præsentem paginam sigillorum nostrorum impressione duximus roborandam. Actum anno ab Incarnatione Domini M. CC. LII. »

Successores fundatorum fautores Ordinis Cartus.

Ex septem filiis in præfato diplomate nominatis Willelmus et Guigo, juxta Guichenonem, fuerunt episcopi Lingonenses, et eo tempore quo in Chartis nostris capitularibus (ab anno videlicet 1270 ad annum 1282) præcipiunt Patres ut « pro domino Episcopo Lingonensi et aliis qui se orationibus Ordinis commendaverunt, dicatur in qualibet Domo Ordinis una Missa de Spiritu Sancto ». Octavum filium addit idem Guicheno, nempe Joannem episcopum Valentinensem qui et sæpius preces Ordinis implorabat, et post obitum, qui signatur in Charta anni 1301, habet fraternitatem Ordinis. Radulphus horum primogenitus habuit hæredem Aymonem filium suum, qui anno 1268 Domui Majorevi quædam bona largitus est. Amedeus alter Radulphi filius et ipse post fratrem Aymonem comes Genevensis, fuit magnus fautor Ordinis et propterea cum uxore preces obtinuit vivens, et post mortem denunciatur his verbis : « Ad petitionem Illustrissimæ Comitissæ Gebennensis nobis oblatam per Priores Ge-

Ex cartul. Majorevi.

Ex chart. 1302.

Ex chart. 1309.

bennenses, domino Comiti Gebennensi nuper defuncto conceditur fraternitas Ordinis ». Et iterum post septem annos, « Domino Amedeo quondam comiti Gebennensi conceditur tricenarium per totum Ordinem ». Simile beneficium filius ejus Guillelmus habuit, signatus mortuus in Charta 1321. Agnes a Sabaudia hujus Guillelmi uxor bienno post inter mortuos in Charta recensetur. Unde miror quod Guicheno secundam uxorem eidem Guillelmo dederit Emeraudam de la Frasse, quod fieri non potest si ille ante Agnetem obierit. Amedeus, istius Guillelmi filius et hæres, donationes olim ab antecessoribus suis Majori Cartusiæ factas bis renovavit, cujus obitus habetur in Charta anni 1367 cum Edmundo filio suo qui tantum dicitur « Dominus Gebennensis », unde conjicio eum ante patrem fuisse defunctum nec unquam dictum comitem, ut Guicheno credit. Guillelmi uxor, Mathildis de Bolonia, adhuc vivebat anno 1387 quo preces Ordinis requisivit. Amedeus IV Gebennensis Comes, præfatorum filius, jacet sepultus apud Cartusienses Parisienses ad latus septentrionale majoris altaris, cujus epitaphium gallice exaratum hæc continet : « Hic jacet nobilis ac potens princeps, Dominus Amedeus de Geneva qui obiit anno M. CCC. LXIX, die IV Decembris. » Ejus obitus tantum triennio post cum tricenario per totum Ordinem denunciatus est. Petrus frater ejus comes Genevensis, in Charta anni 1387 precibus Ordinis commendatur « cum consorte sua Margareta, et Domina Comitissa Gebennensi matre Domini nostri Papæ Clementis, et Domino Comite filio suo », præfato videlicet Petro qui quinquennio post, id est an. 1392, defunctus in Charta capitulari his verbis dicitur : « Obiit Dominus Petrus comes Gebennensis et frater Domini nostri Papæ, pro quo quilibet celebrans dicat tres Missas defunctorum, non celebrantes unum psalterium, Laici vero CL vicibus *Pater noster* et *Ave Maria* »; non igitur tantum decessit anno sequenti, ut habet Guicheno.

ANNUS 1170

Ex chart. 1316.

Guich. Hist. Sab. to. 1. l. 2. c. 20 et to. 2. l. 5. tab. 46.

Ex chart. 1392.

Insigniores Pomerii benefactores et amici sunt hi : Arducius de Fulciniaco, Nantelinus et Henricus episcopi Gebennenses, Durandus de Condrusiaco, Willelmus vicedominus

ANNUS
1170

Crusilliæ et Joannes fratres ejus, Hugo de Viriaco et Salanova; qui omnes anno 1233 vel dederunt vel vendiderunt terras intra terminos domus positas. Petrus comes Sabaudiæ anno 1261, suffragante Henrico episcopo Genevensi olim nostri Ordinis, Domum hanc sub sua posuit protectione. Duo tantum in nostris Chartis reperiuntur : nobilis dominus Joannes Magnini [a] et nobilis domicella Stephana Despagne [b]. Per quatuor fere secula Consuetudines nostræ in hac Domo intemeratæ conservatæ sunt, mirumque satis quod ab anno 1535 quo Geneva ab hæreticis occupata est, uterque hujus Cartusiæ status steterit inconcussus per annos quinquaginta et amplius. Verum Calvinistis in dies magis ac magis sævientibus, communem his temporibus vastationem vitare non potuit, quam tandem passa est anno ferrei seculi octuagesimo octavo, monachis illius alio fugere coactis, ut ibidem dicemus.

[a] Ex chart. 1497.
[b] Ex chart. 1563.

JESU CHRISTI

ANNUS 1171.

Alexandri PP. III	Ord. Cartus.	Basilii Pr. Cart.
Ann. 12.	Ann. 88.	Ann. 21.

I. ANNO salutis millesimo centesimo septuagesimo primo, Indictione quarta, Stephanus Portarum Prior ab Alexandro Summo Pontifice bullam obtinet, qua renovantur ejusdem eremi termini, et confirmatur concordia inter ejus monachos et canonicos de Ordinato Guichardi Lugdunensis archiepiscopi interventu inita. Successerat in Portarum regimine S. Antelmo ad Sedem Bellicensem evecto; nec medius inter utrumque ponendus est quidam Bernardus, quem inde factum Diensem præsulem quosdam perperam scripsisse alibi ostendimus. Hunc Stephanum alii verisimilius censent ipsum esse Stephanum cognomento de Chalmeto, Joannis de Montemedio ejusdem Domus monachi fratrem. Joannes natu major Stephanum in via Domini præverterat, factusque Portarum monachus fratrem post se ad conversionem attrahere nisus est, et revera attraxit, scripta ad eum piissima et ad persuadendum aptissima epistola, quæ potius dici potest Tractatus *de Fuga seculi,* ubi inter cætera sic ipsum adhortatur ad Christum sequendum : « Age, veni, Angeli te invitant, quibus gaudium est super uno peccatore pœnitentiam agente. . . . . . Age, veni, Christus te vocat. Quid ? imo et apparet vultui Dei pro te et interpellat pro te. Non enim vult pretium Sanguinis sui irritum esse in te. Tu autem facies irritam effusionem Sanguinis Christi ?.... Veni ergo, ne differas, et mecum horum

STEPHANUS DE CHALMETO APUD PORTAS FLORET.

Ex cartul. Portar.

V. an. 1152.

Pet. Franc. Chifflet. in Præfat. ad Manuale Solitar.

A fratre ad Christum conversus.

ANNUS 1171

gaudiorum fructus et pariter spei æternorum carpe libamina. . . . . . Rogo autem te ut non prolixitatem verborum sed charitatem, imo ut ex copia verborum penses multitudinem charitatis. Nunquam enim mihi satis dixisse, nunquam satis fecisse videbor, donec voluntatem Christi et desiderium meum impleveris, vale. » Hæc Joannes ad Stephanum, frater ad fratrem; ut in limine ejusdem epistolæ his verbis profitetur : « Stephano dilectissimo in Christo, Joannes frater ipsius carne ac spiritu in Christi visceribus inveniri, et ab auditione mala non timere. » Fratris tandem validissima adhortatione devictus Stephanus, abjecta vitæ secularis sarcina, vestem Cartusiensem in eadem Portarum Domo induerat circa annum 1135. Nam nomen ejus reperitur in tabulis eodem anno datis, ubi et tantum Novitius dicitur. Deinde ipse Stephanus jam emissa professione piam conflavit conspirationem, cum eodem fratre suo Joanne et Bernardo Priore, contra quosdam amicos quos etiam ad Deum convertere volebat. Hi erant Aymo de Varennes et Aymo de Rohoria, ad quos illi tres uno animo unoque calamo epistolam gravissimam scripserunt, ut jam alibi observavimus. Quantum vero idem Stephanus in religiosa exercitatione profecerit, agnosci potest ex præclara illa epistola, quæ *de Perseverantia Ordinis* ad Novitios Sancti Sulpitii Ordinis Cisterciensis ab eo scripta extat ad Manualis Solitariorum calcem. Hæc nostri Stephani nomen sic præfert: « Dilectissimis in Christo fratribus Bonoamico et sociis ejus apud S. Sulpitium in annua examinatione positis, Stephanus de Chalmeto spiritu principali confirmari. » Statimque quantum humilitatem, charitatem et obedientiam sectatus fuerit, his paucis verbis patefacit : « Quidam amici vestri rogaverunt me, supra id quod sum fortasse me existimantes, ut ad confirmandos sive confortandos vos, quam possem operam impenderem. Unde ego volens non tam subvenire necessitati vestræ quam non deesse charitati, cum Domnum Priorem consuluissem, visum est ei ut hæc schedula meo nomine ad vos dirigeretur. Igitur non ego tanquam emeritæ militiæ vete-

V. sup. ad an. 1135.

Ejus pietas.

ranus tirones instruo, sed quasi miles adhuc ad nova bella rudis, quæ ad meam sicut ad vestram æque vel confirmationem vel exhortationem valeant, profero, etc. » Hæc ibi. Certe hos Novitios non fuisse Cartusienses ex illis verbis intelligimus, quibus circa finem eorum Institutum et nostrum Stephanus distinguit sic dicens : « Quia vero quidam cum ad nostrum vel vestrum Propositum venerint, solent vel de nostro ad vestrum, vel de vestro ad nostrum suspirare ; ne vero et nobis hujusmodi suggestionibus tentator illudat, audiamus Apostolum dicentem : Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. » Præfuit Stephanus ad annum 1177 quo videtur defunctus.

ANNUS 1171

Chifflet. ubi supra.

II. Stephano Portis præsidente, pie apud Majorevum decessit Latoldus (sive Lutoldus) ibidem monachus, cum eo et fratre ejus Joanne de Montemedio arctissimis sanctæ amicitiæ vinculis constrictus. Veste Ordinis a Milone Priore indutus, votis emissis, cum perfectioni Cartusianæ totis viribus studeret, Joannem præfatum piarum rerum beneperitum per literas rogavit, ut ipsum rectam Deum prece venerandi rationem doceret. Justis novelli monachi postulationibus asquiescens Joannes, Tractatum *de Modo orandi* ad eum scripsit. In hoc opere quid a Deo unusquisque præsertim petere debeat agens, tria petitionum genera esse dixerat, in quibus omnium precum nostrarum caput et finem consistere asseveraverat. Lutoldus, cujus industria unum hoc spectabat, ut thesauros orationum sibi congereret, per epistolam iterum ab Joanne enixius postulat, ut brevem hanc certamque Deum deprecandi artem ei vellet quantocyus tradere. Ejus desiderio rursus ille assentiens, epistolam quam edidit Chiffletius scripsit, ex cujus tenore discimus priorem Tractatum, qui nunc periit, ab eo fuisse compositum. Sic enim de eo in hac posteriori epistola loquitur : « Latoldo Fratri carissimo Frater Joannes salutem. Nuper cum de modo orandi quærenti tibi, quod Domino dante mihi visum est, respondissem ; summopere postulasti ut scripto tibi digererem tres petitiones, in quibus summam orationum, quas pro nobis singuli facimus,

SCRIBIT TRACTATUM DE MODO ORANDI.

Manuale Solitar. pag. 385.

ANNUS 1171 dixeram constare debere. Et quia ad excitandum devotionis affectum hoc plurimum valere dixeram, si non semper eorumdem usum verborum sequamur, sed prout affectus dictaverit verba variantes. . . . . . . hoc quoque devotissime petiisti ut aliqua tibi in hunc modum conscriberem, quibus commonitus hanc orandi formam sequi valeres. » Postea de tribus disserit quæ debemus singuli pro nobis in oratione petere, et quæ inferius vocat « Gradus incipientium, proficientium, et perfectorum. Primum, veniam delictorum; deinde agnitionem et operationem divinæ voluntatis; tertio salutem æternam quæ est in Christo » et ad quam suspirant perfecti. His quasdam adjicit ad Deum Patrem et Filium orationes; et sub finem admonet ut sicut pro adipiscendis beneficiis divinis oratio est fundenda, pro adeptis est gratiarum actio facienda. « De qua, inquit, operosius scriberem, nisi quæ supra posita sunt nimiam etiam habere prolixitatem viderentur. » Quæ verba occasionem præbuerunt prolixæ alterius epistolæ, quam Joannem cuidam Hugoni ejusdem cartusiæ Majorevensis tunc monacho et postea Priori scripsisse alibi diximus. Tandemque totam hanc instructionem his claudit verbis: « Hæc autem quæ tibi quoquomodo manu accelerante exaravi, quantum tibi profutura sint nesciens, hoc certe scio et te certissime scire volo, me quantum Dominus dedit desiderio tuo satisfacere curasse. Quæ si tibi utilia esse cognoscere potero, laboris mei compensationem apud Christum tuis orationibus me recepturum sperabo, qui per Apostolum suum jubet ut per charitatem serviamus invicem. Fratres omnes per te nomine meo salutari desidero, non omnes simul sed nominibus suis singulos; quorum orationibus et tuis adjuvari quantum indigeam, nec præsens satis indicare potui, nec absens intimare sufficio. » Procuratoris munus apud Portas quandoque Joannes exercuerat; quo tempore videtur non semel Majorevum Fratrum salutandorum gratia adiisse, et postea reducem a Latoldo ad scribendum de modo orandi invitatum fuisse. Ecce quanta cum pietate et utilitate primi Patres se invicem in cellis

V. an. 1162.

invisebant, quam sancta erant eorum colloquia, quam fructuosa literarum commercia. Denique Latoldus, cum munus Procuratoris per aliquot annos cogente illum Humberto Priore executus fuisset, pro sancto temporum illorum more quibus vix reperiebatur qui libens vellet negotiis exterioribus intricari, solitudine repetita, sibi soli et Deo vacans vitæ residuum sancte complevit.

HENRICUS EPISC. WINTONIEN. MORITUR.

III. Die sexta Augusti præsentis anni obiit Henricus Blesensis, Henrici I regis Angliæ nepos et Stephani Boloniæ comitis, ac itidem Angliæ regis frater, episcopus Wintoniensis* et olim Cluniacensis monachus, cui secundum sub Basilio celebratum generale Capitulum, ad instantiam maxime Petri abbatis Cluniacensis tunc præsentis cum ipso Episcopo, ut verisimile est tale Beneficium concessit : « Pro Domino Ainrico Wintoniensi episcopo post obitum ejus generale officium in Conventu celebrabitur » ; nempe Missa pro defunctis cum toto officio per omnes Ordinis Domos. Rarum sane his temporibus beneficium. Ex quo conjicimus ipsum non solum Cartusiensibus fuisse amicum, sed et beneficum. Et revera virum fuisse ditissimum et magnificum opera illius ostenderunt. Xenodochium namque celeberrimum S. Crucis Wintoniæ dotavit et construxit, multas Cluniaco divitias contulit. A plerisque Historicis Anglicis tum catholicis tum heterodoxis laudatur, velut qui propter multiplices animi virtutes ex Abbate Glastoniensi ad Episcopatum evectus sit ; « sicque omnium moribus sese conformabat, ut singulis tam carus esset quam reverendus, » ut in Glastoniensis abbatiæ Historia legitur. Eruditione præditum fuisse, scripta ab illo edita testantur. Nihilominus apud S. Bernardum non ita bene audit, quod Guillelmum in Sedem Eboracensem intrusum consecrasset.

* Winchester in Anglia.

Histor. Glaston. apud monastic. Angl. to. 1. pag. 18.

Codex mss. Montis Dei.

Preces pro eo a nostris funduntur.

V. sup. an. 1156.

Balæus de Scriptor. angl.

Godwin. in Epis. Winton.

Bern. Ep. 93. et notæ Mabil.

CARTUSIÆ BONILOCI FUNDATIO.

IV. Circa eadem tempora Ordini nostro adscribitur Boniloci cartusia in comitatu Burgundiæ et diœcesi Vesontionensi, duabus leucis a fano S. Claudii Sequanorum oppido et ejusdem comitatus distans versus occidentem. Fundatorem habuit nobilem Titebertum de Montmoret ; cujus fundationis

Ex mss. ejusd. cart.

ANNUS 1171

instrumenta perierunt, præter sequens diploma quod dedit Titebertus Jancelini Cartusiæ Majoris Prioris tempore; estque sequentis tenoris:

Facta a Titeberto de Montmoret.

« Ego Titebertus miles de Burgundia, ex mea pura et spontanea voluntate do, trado et cedo Domno Jancelino Priori Cartusiæ quicquid juris, actionis, proprietatis et dominii alti et bassi, pro me et successoribus meis in perpetuum, habeo et habere debeo in montibus et vallibus, aquis, terris, joriis, campis, pratis, sitis circa locum meum de Balma, nihil omnino mihi vel meis retinens. In cujus donationis robur et firmitatem sigillum meum, una cum sigillis domini Archiepiscopi Bisuntini et Abbatis S. Eugendi, huic Chartæ apponere curavi. »

Hæc donatio diem non habet nec annum, sed non potuit fieri ante annum 1179 quo præesse cœpit Jancelinus Cartusiæ Prior, in eadem donatione memoratus. Nihilominus hanc Domum tunc temporis, imo hoc ipso quem agimus anno, fuisse jam fundatam probamus ex literis Gerardi comitis Matisconensis, qui anno sequenti Titeberti fundationem sive donationem confirmavit, ut sequitur:

Confirmatur a Comite Matisconensi.

« Ad cautelam et pacem futurorum, placuit antiquis per literas memoriæ commendare res gestas, ut rei veritas agnoscatur a posteris. Sciant ergo tam præsentes quam futuri quod Gerardus comes Matisconensis, Dei timore et amore tactus, pro salutæ animæ suæ et antecessorum necnon uxoris et filiorum suorum, libenter et absolute donat Fratribus Boniloci terram quam Dominus Tiebertus ab eo in feudum infra ipsorum terminos tenebat . . . . . Usum pascuorum per totam terram suam, et Calmam. . . . jure immobili dedit eis possidendam. Hæc omnia quæ dicta sunt dedit gratuito et corde devoto in perpetuum supra dictæ Domus habitatoribus, laudantibus uxore et filiis suis. Et proprio sigillo firmavit prædictus Comes. Et insuper ipsam domum in manutenentiam suam, et tanquam seipsum custodiendam atque tuendam suscepit. Ipsi vero Fratres Boniloci dederunt ei societatem et fraternitatem Domus et in vita et in morte, ut pro eo faciant

Cui conceditur Ordinis fraternitas.

sicut pro Fratre, ipso devote petente. Hoc autem factum est anno ab Incarnatione Domini MCLXXII. Hujus rei testes sunt Bernardus Majorevi monachus, Petrus Conversus, Willelmus sacerdos de Parsini, Humbertus de Pairno. » ANNUS 1171

Hic Gerardus filius fuit minor natu Guillelmi hujus nominis primi, Burgundiæ ac Matisconæ comitis, cui successit in Matisconensi comitatu. Stephanus vero primogenitus fuit Burgundiæ comes, et inter Domus Siligniaci benefactores annumeratur. Vixit Gerardus usque ad annum 1180 et tres habuit liberos : Guillelmum comitem Matisconensem, Gaucherium dominum Salinarum, et Idam Ducis Lotharingiæ uxorem.

SUCCESSORES FUNDATORIS CONFIRMANT BENEFICIA AB EO CONCESSA.

V. Anno præsentis seculi ultimo, Petrus et Hugo de Montemoretio Titeberti fundatoris filii, quicquid pater contulerat confirmaverunt; facta etiam nova donatione eorum quæ possidebant infra hujus Domus terminos, dato diplomate sequenti : « Quoniam rerum gestarum memoria temporum revolutione multoties aboletur, curæ nobis est ut actionis nostræ recordationem ad posteritatis venturæ notitiam per literarum indicia transmittamus. Universis igitur præsentes literas audituris, notum fiat quod ego Petrus et frater meus Hugo, filii Titeberti de Montmoret, libere et quiete concedimus Domui et Fratribus Boniloci quæcumque pater noster Domus prædictæ fundator eidem Domui largitus est. Insuper etiam donamus et præsenti scripto confirmamus Fratribus prætaxatis, quidquid juris et dominii infra terminos eorum habebamus. . . . . . . Nullique alii religioso vel seculari, absque Fratrum prædictorum consensu, ibidem aliquid occupare seu modo quolibet acquirere licitum sit. Istam donationem et concessionem laudaverunt uxor mea et filii mei Jacobus et Humbertus. Hujus rei testes sunt : Humbertus monachus frater meus, milites Albericus de Binant, Hulricus de Montmoret, Guido de Bers. . . . . Gerardus Prior, Guido et Joannes monachi Boniloci. Anno ab Incarnatione Domini MCC. » Sigillatæ erant cera alba cum impressione equitis armati scutum ferentis.

ANNUS 1171

Humbertus de Montmoret præfati Petri filius, dictus Aragonus, dedit quicquid juris et dominii habebat ex parte Sancti Mauritii, datis literis anno 1223 roboratis sigillo suo et D. Petri abbatis Grandevallis et domini Decani de Montanis.

Quidam benefactores.

Anno 1188 Pontius de Cuisello, filius vel nepos fundatoris Domus Vallis clusæ, concessit Domui Boniloci medietatem terræ S. Claudii, sive S. Eugendi.

Domina Joanna de Rupe domina de Marrigneio, magna hujus Domus benefactrix, vivebat anno 1332; de qua in Charta Cap. gen. ejusdem anni fit mentio his verbis: « Præcipitur Priori Boniloci ut excuset Capitulum et Ordinem erga dominam Joannam de Rupe, dominam de Marrigneio, super eo quod non conceditur ei ingressus ad dictam Domum Boniloci, quia hoc expresse prohibent Constitutiones Ordinis et Statuta. Et injungitur eidem Priori, quod si prædecessor suus aliquid innovavit et fecit in præjudicium dictæ Dominæ, revocare studeat de consilio peritorum. »

CARTUSIÆ CASULARUM FUNDATIO.

VI. Eodem ferme tempore, initium habuit cartusia Beatæ Mariæ Casularum in Pedemontio et Albensi episcopatu, in marchionatu Cevæ, ab ipsa ejusdem nominis urbe duodecim circiter milliaribus italicis versus occidentem sita, septimo a Garexio Liguriæ municipio lapide, sex vero horarum itinere a Monte regali. Quæ Domus cum non semel incendio vastata fuerit, inter cætera ab igne consumpta perierunt etiam documenta vetustiora, et si quæ erant alia Monumenta rerum quas hic ab habitationis principio Patres gessere; unde propriæ fundationis memoria in ejus Tabulario non reperitur. Attamen Cartusienses Casulani constanter asserunt non obscura majorum traditione haberi, antiquos nostri Ordinis viros qui primi in hac solitudine vitam eremiticam ducere cœperunt, pauperem ecclesiam ædificasse, quam B. Mariæ Virgini dedicaverunt, humilesque sibi habitationes veluti casulas construxisse, ac inde monasterium Casularum ab incolis fuisse appellatum. Quamquam aliter in quibusdam instrumentis et in ore vulgi Domus Casotuli nominetur, ab

Morot. in Theat. Chronol. Ord. Cart.

ejusdem vocabuli fluvio non procul nascente, qui inter montes labens ipsam etiam cartusiam alluit. Affirmant præterea primos Patres loci possessionem iniisse circa præsentem annum. Et revera in Priorum catalogo vidimus quemdam Petrum jam præfuisse anno sequenti. Quod fundatorem spectat, nullum primarium agnoscunt præter Dominos et Universitatem Garressii, quod est oppidulum ab hac Domo tribus circiter milliaribus italicis dissitum. Hi enim videntes primos Cartusienses habitationis angustia coarctari, montaneas, ut vocant, et aliquod terrarum jugera eisdem contermina anno 1183 eis concesserunt. Cujus donationis apographum tale est :

ANNUS 1171

Donatio facta ab Universitate Garrexii.

« Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi MCLXXXIII, Indictione prima, quinta die Aprilis, regnante Friderico Imperatore. Charta donationis quam fecerunt domini de Garrexio, scilicet Ramundus Catalanus et Robaldus Scatia pro filiis suis, et Ritius et Conatus et multi alii qui in fine scribuntur, qui dederunt montaneas Deo et ecclesiæ B. Mariæ Virgini Heremitanorum Casotoli. Montaneæ quæ pendent versus ecclesiam sicut determinatæ sunt. . . . Domini Garrexii et populi Garrexii dederunt Deo et Heremitanis et successoribus suis perpetuo et per investituram lapidis, in vacuam et liberam possessionem eos miserunt a præsenti die dicta, a cœlo usque ad abyssum, sine omni contradictione eorum et hæredum et prohæredum suorum. Et quod semel factum est, inviolabiliter conservetur illæsum. Hoc actum est in loco Casotoli cum omnibus suis rationibus, in manibus Prioris Petri et suorum monachorum, D. Pontii, D. Oberti Bocis, D. Asi, D. Henrici de Dian, D. Arditiani de Coan, D. Alberti de Seigna, Joannis de Chartossa Conversi, Lamberti Verter, Petri Marchiant. In manibus istorum facta fuit donatio. Qui condonationem fecerunt, sunt isti : Ramundus Catalanus, Robaldus Scatia, Ritius, Conatus, Robaldus Pedibo, Ricardus Pedibo, Flamengus Carius, Henricus Bardena, Valfredus Ostivallus, et alii. Testes : Joannes sacerdos, Ugo Muraur, Petrus Ruffus, et alii. Et donationem firmam tenere

ANNUS 1171

promiserunt pro se et omnibus, cum omnibus rationibus quas ibi habebant et habere possent. Ego Guiglielmus Bartheu Notarius Sacri Palatii, ex utraque rogatus, interfui et scripsi. »

Marchiones Cevæ velut fundatores habiti.

Transumptum vero, cui interseritur præfata Charta, scriptum fuit anno 1418, Indictione undecima, die 17 Augusti, « præsentibus egregiis et spectabilibus viris » (sunt verba instrumenti) dominis Bonifacio et Galeoto fratribus, marchionibus Cevæ et dominis Garrexii, qui talem donationem confirmaverunt et ab eo tempore tanquam hujus cartusiæ benefactores, imo et fundatores habiti sunt. Quorum propterea plerique post obitum suum in nostris Chartis capitularibus denunciati, orationes Ordinis obtinuerunt. Eorum nomina sicut in dictis Chartis describuntur, gratitudinis ergo subjicimus.

[a] Ex chart. 1448 et 1450.

[b] Ex chart. 1453.

VII. Nobilis et egregius dominus Galeotus[a] marchio Cevæ. Videtur esse is qui nominatur in supra citato instrumento, cum fratre suo Bonifacio, cujus obitus quinquennio post denunciatur in Charta his verbis : « Egregius et magnificus dominus Bonifacius[b] marchio Cevæ ex fundatoribus Domus Casularum. »

[c] Ex charta 1446.

Egregia domina Sigismunda[c] marchionissa Cevæ, uxor quondam magnifici domini Lucæ.

[d] Ex charta 1465.

Reverendus Pater et dominus Janonus[d] ex marchionibus Cevæ, Sedis Apostolicæ Protonotarius.

[e] Ex charta 1466.

Magnificus dominus Thomas[e] ex marchionibus Cevæ.

[f] Ex charta 1467.

Magnif. dom. Guillelmus[f] ex marchionibus Cevæ et domina Marchionissa consors ejus.

[g] Ex charta 1473.

Magnif. Dom. Lucas[g] ex Marchionibus Cevæ et domina Simondina ejus uxor.

Benefactores.

Ughel. in Episc. Asten.

Alios præterea benefactores nacti sunt monachi Casulani inter quos annumerantur : Guillelmus de Morotio filius quondam Amedei qui donavit cellam unam in alpibus Morosii, accipiente Petro Priore. Jacobus de Portia qui præfuit Ecclesiæ Astensi ab anno 1219 usque ad annum 1236, Petro Priori Casularum plura bona concessit in finibus S. Albani,

addita facultate ut in eisdem finibus possent acquirere ; ac præterea confirmavit omnia quæ eidem cartusiæ a prædecessoribus Episcopis donata fuerant.

ANNUS 1171

Magister Feniolus, Astensis Canonicus, dicitur magnus benefactor hujus Domus in quadam Charta capitulari, in qua Capitulum generale Priori Casularum dat licentiam « quod possit sepelire Magistrum Feniolum, Canonicum S. Martini Astensis, magnum benefactorem ejusdem Domus. »

Ex charta. 1298.

R. P. Dom. Cornelius Clarimontis Casparorum episcopus, « qui fundavit unam cellam in hac Domo ». Obiit ex Charta anni 1459. De hoc Episcopo nihil potui reperire.

Illustris Dom. Antonius de Bollieriis, Baro regius et Comes Contralli *, benefactor Domorum Vallis Pisii et Casularum, obiit ex Charta anni 1539.

* *Forsan* Contalli.

Multas immunitates et privilegia concesserunt Sabaudiæ Duces, Marchiones Montisferrati, Savonæ, Cevæ et Salinarum, et plures Universitates, sive Communitates, scilicet Albinghæ, Fossani, Montis regalis, Centalli et aliorum.

MOS DICENDI MISSAM DE B. SINGULIS SABBATIS QUANDO INDUCTUS.

VIII. Sub finem regiminis Basilii, usus celebrandi majorem Missam de B. Maria singulis Sabbatis cœpit sensim inter nos introduci. Diximus sensim, nam primum sancitum tantum fuit ut cantaretur diebus sabbathi, quæ in Adventu carerent Missa. Id patet ex ejusdem Basilii Constitutionibus, quarum ultimo articulo dicitur quod « Sabbatis vacantibus in Adventu, si forte non occurrat Anniversarium vel Brevis vel Missa Tricenarii, cantabitur *Rorate cœli,* id est Missa de B. Maria, cujus Introitus per hæc verba Rorate cœli incipit. Idem vero non observabatur Quadragesimalibus sabbathis Missam non habentibus, siquidem « sabbato Quadragesimam præcedente, inquiunt præfatæ Constitutiones, inter Sextam et Nonam nullum pro Missa facimus intervallum », quod idem est ac si diceretur : Missam non facimus ; et revera juxta nostrum, imo et plurium aliarum Ecclesiarum usum, huic Sabbatho nulla assignatur Missa propria. « Sabbato quoque, sunt verba earumdem Constitutionum, ante Dominicam in Palmis, quia Missa Conventuali caret, cantatur

Constitut. mss. Basilii sub finem.

ANNUS 1171

Missa pro Benefactoribus. » Hæc omnia suis Constitutionibus Jancelinus pariter inseruit; qui præterea videns hanc Missam ex speciali tum monachorum tum benefactorum pietate in pluribus domibus frequentius celebrari, declaravit quolibet « sabbato extra Adventum posse cantari *Salve Sancta parens,* quam aliquando Prior aliqua necessitate mutare poterit. » Quod hic mos præfati Jancelini temporibus in aliquas Ordinis Domos jam admissus fuerat, discimus ex Chronico Bellilaricensis cartusiæ, cujus primus Prior Stephanus obiit « cum mane Conventus jam B. Mariæ Missam celebrasset. » Eodem etiam tempore Guillelmus de Joinvilla Lingonensis episcopus, eamdem Missam apud cartusiam Luviniacensem semel in qualibet anni ebdomada, quamdiu viveret, cantandam fundavit. Mortuo Jancelino, quidam ex illius successoribus Capituli generalis fretus autoritate, admonuit ut quando hujusmodi Sacrum conventualiter fieri non posset, privatim diceretur. Sic enim in additionibus ad Jancelini Constitutiones legimus: « Admonemus ut singulis sabbatis, nisi intervenerit Anniversarium vel Festum XII lectionum, celebretur Missa de B. Maria vel conventualis sive privata. » Quod monitum, regente Matrem Cartusiam Gerardo, vim Statuti habuit per Chartam Capituli generalis decernentis ut, sabbatis propria vel alia peculiari Missa impeditis, Sacrum B. M. privatim perageretur. Diu ritu festivo caruit, nam citatæ Basilii Constitutiones habent, « ut in Missis votivis et *de Spiritu Sancto* et de B. Maria taceatur *Gloria in excelsis.* » Et sic perseveravit usque ad annum circiter 1240, tunc enim sancitum est ut « sabbato et in cæteris Missis conventualibus et privatis quæ de B. Virgine cantabuntur, *Kyrie eleison* Dominicale et *Gloria in excelsis* præter Adventum et Quadragesimam, Præfatio *Et te in veneratione* dicantur, pax sumatur et stantes oremus » : quæ omnia festivalem ritum indicant. Denique tum ex monachorum devotione, ut diximus, tum ex benefactorum largitate hæc consuetudo pluribus in Domibus ita crevit et invaluit, ut etiam ad singulos dies quoad privatam celebrationem successu temporis extenderetur.

Constit. mss. an. 1222. a Jancel. editæ.

Chron. ms. Cart. Bellil.

Calendar. ms. Cart. Luvig.

Addition. mss. ad constitut. Jancel.

V. infra ad an. 1270.

Ubi supra.

Addition. mss. ubi sup.

V. infra ad ann. 1237. et 1335.

IX. Circa eadem tempora Missam quoque *siccam* jam inter nos, nescio unde, serpsisse ex eisdem Basilii Constitutionibus colligimus, ad quarum calcem præscribitur ut « in Quadragesima fiat more solito; ut scilicet, post Missam cantatam, dicatur officium de Festo vel de Quadragesima. » Cum dicitur « more solito », patet hunc usum jam ante fuisse introductum. Hic vero per « Officium de festo » intelligi Missæ officium, inferius apparet ex his verbis : « In Adventu feriis quarta et sexta jejuniorum temporalium, et in jejuniis Septembris similiter, si Anniversarium contingat, cantatur in Conventu de Anniversario, et post audimus officium de jejunio. » Idem exprimitur de pridianis Festorum Vigiliis, quæ his temporibus quoad Missam (si die Dominico occurrerent) non anticipabantur ut hodie fit. « Si die Dominico, inquiunt laudatæ Constitutiones, eveniat vigilia proprium officium habens, post Missam dominicalem audimus officium de Vigilia. » Certe his in locis non agitur de Horis canonicis, cum constet dies jejuniorum vel Vigiliarum nullum habere ad Horas peculiare officium, quod possit appellari officium jejunii vel Vigiliæ; ergo hæc omnia interpretari debemus de Missa sine sacrificio, sive de solo Missæ officio, ut etiam a Guillelmo Durando qui ejusdem meminit, appellatur. Sed id apertius significatur in Constitutionibus Jancelini, ubi et aptius modestiusque nominatur « nudum Missæ officium », quod apud nos inepto « Missæ siccæ » vocabulo designatum fuisse nusquam animadverti. Sic igitur habet Jancelinus : « Si Circumcisio in Dominica fuerit, prima post Circumcisionem die vacante, cantatur *Dum medium silentium* (quod est Introitus istius Missæ Dominicalis); qua non vacante, in die Circumcisionis post Missam, nudum illius Missæ (Dominicalis) officium audietur. » Adhuc extra omne dubium idem apparet in additionibus ad easdem Constitutiones, ubi edicitur, ut « quando contigerit post Missam diei, Missæ officium sine consecratione Eucharistiæ, nec *Sanctus* dicatur nec *Agnus Dei*. » Modum celebrandi hoc officium et ceremonias illius, præsertim cum publice et conventualiter fiebat,

ANNUS 1171

MISSA SICCA ADMITTITUR CONVENTUALITER.

Durand. in Ration. lib. 4. cap. 1.

Melius dicta nudum missæ officium.

Stat. an. p. 1. c. 43. Stat. no. n. 1. c. 5.

ANNUS 1171

scire qui voluerit, Antiqua et Nova Satuta consulat, ubi fuse satis describuntur.

Privatim etiam celebratum.

Ubi autem, ut loquuntur Antiqua Statuta, « a non celebrante tale reddebatur officium in secreto, semper Completa (sive Postcommunio) reticebatur, in qua fit mentio de susceptione Sacramenti, loco cujus iterabatur Missæ oratio principalis » sive Collecta. Unde conjicio hunc ritum ab Ecclesia Gratianopolitana Patres fuisse mutuatos ; in vetusto namque ejusdem Ecclesiæ Missali ms. nobis ab Eminentissimo Cardinali le Camus commodato, plures sunt Missæ sive Missarum officia, quibus eadem pro Collecta et Postcommunione oratio assignatur. Infirmi nostri qui Missæ adesse non poterant, ad illud officium cum cæteris horis, si per morbum licebat, tenebantur ; non ex indiscreta devotione aut anxio conscientiæ scrupulo, sed pro animæ solatio et ut ex illius recitatione eorum pietas nutriretur. Ad quod facilius præstandum a monacho ægrorum curam habente adjuvabantur : « Infirmarius, tam festivis diebus quam aliis, totum officium dicat infirmis. In die tamen Natalis Domini non dicitur eis officium Missæ nisi Majoris. Officia quoque Missarum, quæ dicuntur diebus vacantibus, eis dicere non tenetur, nec alicujus Missæ Defunctorum. » Unde quidam Statutorum interpres, diu post, collegit « quod infirmus tantum dicere tenetur officia Missarum propria *de Vivis,* scilicet de Dominicis et Festis XII vel trium lectionum, et infra octavas Natalis Domini, Paschæ, et Pentecostes et Corporis Christi, et de Vigiliis et jejuniis. Quæ officia similiter dicere debent omnes qui non intersunt Missis prædictis, sicut dicuntur infirmis. »

In usu fuit apud Ecclesiam Gratianop.

Coram infirmis in cella recitata.

Stat. ant. p. 1. c. 45.

Glossæ mss. in Stat. Ant. et Nov.

EJUS ANTIQUITAS.

Cangius verbo: Missa sicca.

Steph. Durant. lib. 2. de ritib. Eccles. cap. 4.

X. Porro Missæ siccæ antiquitatem putat Cangius referendam esse ad Caroli Magni tempora, in cujus Capitularibus « vetantur, inquit, presbyteri ejusmodi Missas celebrare absque communicatione. » Imo si Joanni Stephano Duranto credimus, qui vult de ea mentionem haberi apud Socratem Historicum, jam in usu erat seculo quinto. Attamen existimaverim eam tantum frequentari cœpisse hoc quod decurrimus seculo, quo certa illius mentio apud autores reperitur.

ANNUS 1171

Petrus Cantor in *Verbo Abbreviato* Missam siccam optime dicit nullam conferre gratiam fidelibus. Et Concilium Parisiense anni 1212, statutum edidit contra sacerdotes « qui Missarum multitudine onerati, conductitios alios sacerdotes habent vel siccas Missas faciunt. » Eas tamen non damnat Concilium sed tantum prohibet ne a sacerdotibus, ad se ab aliis Missis exonerandos, pro defunctis fiant. Viguit hic ritus a multis autoribus laudatus, usque ad septimum decimum seculum. Illum confirmavit noster Franciscus a Puteo, ut in ejus Compilatione videre est. Summus quoque Pontifex Leo X, teste Navarro, librum sacerdotalem approbavit, in quo ratio Missam istam celebrandi describebatur. Sed ultimus nostrorum Statutorum conditor Bernardus Carassus eam penitus anno 1572 abolevit, præcipiens ut nunquam in conventu cantaretur, sed loco ejus Missa integra cum sacrificio in privato, ubi esset copia sacerdotum, redderetur; « et propterea, inquit, nudum officium minime est dicendum; quod alias quoque nullum apud nos locum habere volumus. » Apud alios nempe, præsertim apud seculares sacerdotes diutius perseveravit, ut discimus ex Genebrardo qui se Taurini anno 1587 in exequiis viri nobilis, qui vespere sepeliebatur, hujusmodi Missæ cum Diacono et Subdiacono cantatæ interfuisse testatur. « Nunc vero provida Episcoporum cura, inquit Cardinalis Bona, ubique gentium ut puto, oblitera et abrogata est. » Nec Missæ nomen tribui potest officio B. Mariæ, quod nos etiamnum per preces *Rorate cœli desuper* in Adventu, et per *Salve sancta Parens* cæteris anni diebus, privatim in cellis sine ullis ceremoniis aut aliquo ornatu sacerdotali soli recitamus, et quidem nulla ex superstitione sed ex mera devotione, cujus originem suo dabimus loco.

Pet. Cant. Verb. Abbr. c. 29.

Conc. Paris. Stat. pars 1. cap. 2.

3. Compil. Stat. c. 1. et 2.

Nav. lib. de orat. Miscell. 89.

Quando apud nos abrogata.

Ordinar. Cartus. c. 28. n. 8.

Bona Rer. liturgic. lib. c. 15. nu. 6.

V. inf. ad an. 1237.

JESU CHRISTI

ANNUS 1172.

Alexandri PP. III. Ann. 13.	Ord. Cartus. Ann. 89.	Basilii Pr. Cart. Ann. 22.

PRIMUS PRIOR VALLIS DEI MORITUR.

I. SEQUITUR annus Redemptoris millesimus centesimus septuagesimus secundus, Indictione quinta, quo defuncto Vallis Dei cartusiæ ante biennium fundatæ Protopriore, Engelbertus Vallis S. Petri Prior Radulphum suum monachum ibi tunc demorantem, ad novi Conventus preces, nascenti Domui præficit. Mortuum Priorem, ante ingressum Ordinis apud Guillelmum tum Senonensem episcopum postea Remensem archiepiscopum gratia valuisse, imo et ejus quondam alumnum fuisse, colligere est ex epistola Petri Cellensis ad eumdem Præsulem hoc anno (ut puto) data, in qua de illo sic loquitur : « Opus manuum vestrarum, locum utique qui dicitur Vallis Dei, non tradatis oblivioni..... Ad suam patriam, ut credimus, evolavit spiritus filii vestri fratris R. * quem sicut paternis gremiis, dum in carne esset, continuistis; sic justum est ut orationibus et benedictionibus vestris usque ad thronum gratiæ conducatis. » Deinde Radulphum velut juvenem in locum mortui suffectum commendat his verbis : « Quia ergo sublato pane de mensa Domini, in sabbato novum substituendum non ignoratis, eamdem dilectionem et protectionem oramus impendi bono et religioso juveni, quem amicus et filius vester carissimus ibi ex voluntate Fratrum præposuit Prior de Valle S. Petri, etc. » Engelberto apud Vallem Dei, Radulphum in novum munus inducendi ac stabiliendi causa, adhuc demo-

A Petro Cellensi commendatus.

Epist. lib. 6. Ep. 2.

* *Al.* H.

Radulphus Prior II Vallis Dei.

ANNUS 1172

rante, Albertus S. Laurentii in Lucina cardinalis, ejus quondam Magister, in Normanniam inferiorem accessit ab Alexandro legatus ad procurandam Henrici Anglorum regis ob S. Thomæ necem excommunicati reconciliationem. Ad ipsum eodem tempore scripsit præfatus Abbas, rogans ut per Engelbertum, quem e Valle Dei ad se vocarat, eum edocere dignaretur quo loci deducta res tanta tunc esset; simulque ad epistolæ calcem honorifice de Radulpho ipsi Cardinali non ignoto loquens, petit ut illum in novo officio suis consiliis adjuvet. Sed placet ejus hic epistolæ partem subjicere.

Alberto cardinali commendatur.

« Domino Alberto cardinali et Romanæ Sedis Legato. Nisi tanta distantia locorum et multiplex occupationum impedimentum nos retineret, dilectissimam nobis Paternitatem vestram visitare nullatenus tamdiu postposuissemus. Est enim in pectore nostro multa de negotio vobis injuncto et de fine ejus sollicitudo, quia honor Dei et Ecclesiæ utilitas, et famæ vestræ integritas atque totius Curiæ Romanæ circumspectio, ex eo accipiet apud conscientiam omnium laudem et magnificentiam, si secundum regulam æquitatis et veritatis sortitum fuerit effectum. Quatenus ergo res jam processerit, non sit vobis tædiosum amicum vestrum certificare. Habetis autem idoneum, si placuerit, per quem fideliter remandare et secure potestis, Priorem utique de Valle S. Petri, carissimum filium vestrum quem in Christo genuistis, et ejus spiritum in omnibus vobis obnoxium reddidistis. Ad locum namque qui Vallis Dei appellatur profectus ut ibi Priorem substituat, non multum a vobis remotus; si ei mandaveritis venire ad vos, tutis auribus instillare poteritis quæ de statu vestro grata vel ingrata vobis occurrunt..... » In calce literarum : « Supponimus, inquit, vobis commendare Priorem qui ibi substitutus est, quem de fornace Religionis et regularis subjectionis noviter extractum, ad curam animarum gerendam filius vester manum mittere coegit. Doctrina itaque et auxilio vestro instruite illum, quia scitis quam difficilem rem arripit qui animas suscipit regendas. »

Postea Prior Vallis S. Petri.

Substitit Radulphus in Vallis Dei Prioratu usque dum

ANNUS 1172

evecto in episcopatum Cabilonensem Engelberto succederet in Vallis S. Petri regimine. Deinde idem Engelbertus abdicatis infulis factus Montis Dei Prior, cum sæpe multa negotia sibi ab Ordine demandarentur, Radulphum semper in collegam assumebat. Reperimus enim quod plures Ordinis Domos simul visitaverint, inter quas sunt prædicta Domus Vallis Dei anno 1185, Luvigniaci et Majorevi anno sequenti. Ipseque Radulphus specialis Commissarius delegatus est anno 1190 ad ipsam Montis Dei Domum, ubi cum aliis Prælatis et multis Nobilibus composuit discordiam, inter hujus cartusiæ monachos et Artesianos toparchas, ratione terminorum ortam. Vixit usque ad seculi tertii decimi initium. Sed quando obierit dici omnino non potest. In Vallis Dei Calendario ejus Anniversarium habetur Calendis Januariis.

OTHMARUS CONVERSUS MAJOR.CARTUS. MORITUR.

II. In vivis pariter desiit esse, circa hunc annum, F. Othmarus de Vallebona Conversus professus Majoris Cartusiæ; vir olim nobilitate clarus in seculo, sed clarior ex humilitate effectus, quam semper inter nos fideliter sectatus est. Ejus industria sæpissime utebatur B. Guigo in arduis suæ Domus et Ordinis rebus, ut sub illius regimine vidimus. Ad novas cartusias in remotioribus regionibus fundandas mittebatur, Gaufredum nempe primum Montis Dei Priorem institutum comitatus est; unde ad Majorem Cartusiam rediens, ibidem se semper strenuum exhibuit in vinea Domini operarium. Petro Venerabili notissimus, ab eo in epistola ad Basilium his verbis perquam urbane salutatur : « Illum nobilem carne et spiritu Otmarum Conversum de Valboneis saluta ». Denique felici morte defunctus, postquam saltem quinquaginta quinque annos cum omni laude in Ordine vixisset, laborum mercedem percepit. Ejus obitus notatur in Majoris Cartusiæ et Montis Dei Calendariis ad quartum Nonas Septembris.

Petri Venerab. amicus.

LURENSIS ABBATIA FUNDATUR.

III. Hoc anno Guigo quondam Calesiensis monachus, et primus Boscaudunensis abbas, acceptis secum quibusdam Religiosis, Calesiense Institutum ad Lurensem abbatiam transtulit. Cumque aliquot post annis factus esset primariæ Ordinis Domus Abbas, Lurensis fundationis confirmationem

obtinuit a Guillelmo Forcalquerii comite, in cujus literis S. Hugo quondam Gratianopolitanus episcopus dicitur ejusdem Ordinis autor. « Donavi, inquit Comes, Deo et S. Mariæ locum de Lura, ad ædificandam ibi ecclesiam in honore Domini nostri Jesu Christi et gloriosæ Virginis Mariæ, et ad instituendam ibi abbatiam secundum Ordinem Calesiensium a sancto Hugone Gratianop. Episcopo institutum. Hanc autem donationem. . . . . . volui confirmare in manu Domini Guigonis* abbatis Calesiensis monasterii, in cujus manu primam donationem similiter feceram, cum esset abbas tunc Boscaudunensis monasterii quod prius ipse construxerat. » Postea vero idem ipse ædificavit monasterium de Lura, et fuit primus abbas utriusque monasterii. Ad ultimum reductus est ad Calesiense monasterium et abbas ibi factus; qua occasione, suo dicemus loco.

ANNUS 1172

Sammarth. in Abbat. Lura.

* *Al.* Hugonis, *sed perperam.*

JESU CHRISTI

ANNUS 1173.

Alexandri PP. III	Ord. Cartus.	Basilii Pr. Cart.
Ann. 14.	Ann. 90.	Ann. 23.

S. THOMÆ CANTUARIENSIS CANONISATIO.

Baron. ad hunc annum 1. 5.

Festum illius apud nos colitur.

Ex calendar. ms. Maj. Cart. et aliarum.

Divina ultio Regem exagitat.

Baron. ubi sup. n. 8.

Simon Pr. Mont. Dei ad eum mittitur.

I. ANNUS sequitur Redemptoris millesimus centesimus septuagesimus tertius, Indictione sexta, quo Alexander Papa reversis quos in Angliam miserat Legatis, auditisque et examinatis quæ Deus in novo suo Martyre Thoma operabatur miraculis, illum solemni ritu, in die Purificationis Beatæ Mariæ, in sanctorum Martyrum numerum retulit; et Passionis ejus memoriam quarto Calendas Januarii perpetuo agi debere constituit. Haud diu post, in generalibus Ordinis nostri Comitiis decretum fuit ut illius festum sub duodecim Lectionum ritu celebraretur; statimque nomen illius insertum fuit omnium Domorum Calendariis quæ præ manibus habemus. Par enim erat ut qui Cartusienses in partem suarum tribulationum in terris vocaverat, eosdem suorum quibus in cœlis fruebatur, consortes faceret gaudiorum. Inter hæc ulciscente Domino, accidit ut inter Angliæ Reges patrem et filium implacabilis dissentio oriretur. Ita permittente Deo, ut qui Patrem suum Thomam indefesso odio fuerat persecutus, persecutorem ipse pateretur filium suum, quousque tantum a se admissum expiaret delictum.

Hac occasione, ut verisimile est, Alexander Papa, a Rege Franciæ rogatus, Tarentasiensem Archiepiscopum, Claromontensem Episcopum, et Priorem Cartusiæ Basilium vel ejus loco Simonem Montis Dei Priorem, ad Henricum regem

seniorem misit, eum commonendi gratia ut filiis suis uxores restitueret. Id innotescit ex epistola quam ipse Summus Pontifex ad Presbyteros et Clericos per Angliæ regnum constitutos scripsit, certiores eos faciens quod « præfatum Regem Angliæ, inquit, studiose satis et attente monuimus, eique dedimus in mandatis ut ad commonitionem venerabilium fratrum nostrorum Tarentasiensis Archiepiscopi, Claromontensis Episcopi, et dilecti filii Cartusiensis Prioris, vel loco ejus Prioris de Monte Dei si ipse adesse non poterit, vel duorum ex his, si tres non potuerint interesse : filiis suis uxores infra quadraginta dies post literarum nostrarum susceptionem restituere non postponat. Si vero eas infra præscriptum terminum viris suis non restituerit, Apostolica autoritate præcipimus ut tota provincia infra quam detinentur et ad quam transferentur, quamdiu ibi fuerint, donec viris restituantur, ab omnibus divinis officiis, præter baptisma parvulorum, et pœnitentiam morientium cesset. »

ANNUS 1173

Extat integra to. 10 Concil. Labb.

II. Etsi Priores Cartusiæ et Montis Dei in prædictis literis nominatim non exprimantur, hos tamen esse Basilium et Simonem credimus, quod hæc epistola videatur scripta hoc præsenti anno vel saltem superiori ; Simon vero in officio diu post obierit, ac Basilius adhuc præfuerit hoc anno, quo tamen exeunte vel ineunte altero, regimen abdicavit. Quod autem hoc præsenti anno adhuc sederit, tenemus et certissima autoritate ; nempe ex literis concordiæ inter eum et Guntardum Calesii abbatem factæ, quarum tenor sequitur :

BASILIUS PRIOR CARTUSIÆ ADHUC SEDEBAT

« Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo septuagesimo tertio, Indictione sexta, Alexandro beatissimo Papa tertio sedente in sede Majestatis suæ, notum facimus omnibus tam præsentibus quam futuris, quod ego Guntardus abbas Calesii, et abbas Guigo Boscaudonensis, et Fratres Calesii tam monachi quam laici, terminos carissimorum Fratrum nostrorum Cartusiensium, scilicet vallem . . . . Hæc omnia prout ipsi melius intelligunt, sopita omni querela et contradictione, bona fide et sine fraude, juris eorum esse cognoscimus et confitemur. Ut autem societas fraternitatis, et benevo-

Concordat cum Abbate Calesii.

Ex archiv. Maj. Cart.

ANNUS 1173

lentia dilectionis, quæ ab antiquo inter utramque Domum perseveraverat, reformaretur . . . . Quod si aliquando contigerit, et ex qualibet parte querimonia facta fuerit ; nisi infra quadraginta dies satisfecerint : si Conversus fuerit, a consortio Domus suæ ut pote excommunicatus expellatur ; mercenarius vero ex toto separetur. Ad majorem vero hujus placiti confirmationem Domini Cartusienses de paupertate sua nobis quingentos solidos Viennensis monetæ donaverunt. Facta sunt autem hæc per manum et consilium venerabilis Patris nostri Joannis Gratianopolitani episcopi, qui de hoc et super hoc pro Cartusiensibus nobis, et pro nobis Calesiensibus fideijussor et testis existit. Sed et insuper transgressores et infractores hujus placiti, prius apud Cartusiam, secundo apud Calesium, autoritate Dei Patris omnipotentis et Filii et Spiritus Sancti, nec non Petri et Pauli, et sua excommunicavit. Hujus rei testes sunt ex parte Cartusiensium : Basilius Prior Cartusiæ, Pontius Prior de Valle Sanctæ Mariæ, Ismido monachus Sacrista, Guigo Monachus Procurator, Catbertus Monachus ; Bernardus Pollenus Conversus, Petrus Dostrant Conversus, Rainaudus Conversus, Petrus de Cartusia Conversus, Hungrinus Conversus, Petrus de Cornelione Conversus ; Giraudus Conversus de Podio Bosonis, Radulfus Conversus de Cambariaco. Ex parte vero Calisiensium : Guntardus abbas Calesii, Guigo abbas Boscaudonensis, Beraudus Monachus (et alii decem) ; et ex Conversis, Catbertus Malenus, Bernardus Salvagius (et tredecim alii) ; Iterius Monachus capellanus Episcopi, Rostagnus Monachus de Casa Dei. De hominibus seculi testes sunt : Guitfredus Lumbardi, Petrus Giraudi, Umbertus de Miribello, Petrus Vaccarii, Falco Borrelli, Berlo, Boso de Laborgia, Umbertus frater ejusdem, Stephanus Vacca, Burno Monachus de Vorione, Petrus capellanus Sancti Christophori, Gillelmus de Alavardo, Gillelmus Massoth, Guigo Ramerii. »

ABDICAT PRIORATUM CARTUSIÆ.

III. Quod vero Basilius sub hujus anni finem aut sub initium sequentis Prioratum Cartusiæ dimiserit, colligimus ex Chronicis, Sutore, et aliis Autoribus, qui omnes præter Dorlan-

dum dicunt eum Generalatum tenuisse per viginti tres annos, et in eo circa annum millesimum centesimum septuagesimum quartum obiisse. At eum abdicasse aliquot ante obitum annis probamus ex duabus conjecturis non levibus. Prima ducitur ex Vita sancti Hugonis Lincolniensis, in qua autor loquens de tentatione a qua S. Hugo liberatus fuit apparente sibi Basilio, dicit sanctum Virum tunc fuisse quadragenarium, hancque tentationem perpessum paulo antequam Prior Domus in Anglia recens fundatæ eligeretur. Deinde addit, « Basilium quondam Priorem Cartusiæ et nutritium suum, qui ante aliquot dies migraverat ad Dominum », in somnis adstitisse et eum sanasse. At constat S. Hugonem quadragesimum suæ ætatis annum tantum attigisse circa annum 1180 et eodem tempore in Angliam missum fuisse, ut ibidem dicturi sumus. Cum igitur tentatus fuerit jam quadragenarius et liberatus a Basilio ante dies aliquot defuncto, hinc liquet Basilium in officio non obiisse, quando quidem alius jam certissime præerat Cartusiæ anno millesimo centesimo septuagesimo quinto. Altera conjectura sumitur ex Calendario quo tunc Nostri in Majori Cartusia utebantur, in quo obitus Basilii designatur tanquam simplex Monachus, ut post sex annos dicemus. De quibusdam decretis et ordinationibus factis in Comitiis generalibus sub Basilii regimine habitis, et ab ipso in unum volumen compactis sive (ut loquimur) compilatis, sub præsentis anni finem agemus postquam quidquid ad historiam pertinet recensuerimus.

ANNUS 1173

Vita S. Hug. ms. lib. 2. cap. 2.

Absoluto igitur Basilio, hoc vel sequenti anno, in ejus locum sufficitur Guigo Cartusiæ monachus et Procurator, ut constat ex literis superius exscriptis ; quem nonnulli, Veteris Chronici Continuatorem secuti, Hugonem perperam vocant, ex quadam bulla ubi Hugonis nomen per imprudentiam scriptoris exaratum fuit.

Guigo Procurator fit Cartus. Prior.

IV. Ubi Guigo in Priorem se vidit assumptum, cernens in S. Hugone, quem ante tredecim annos vidimus ex Canonico Regulari factum Cartusiæ monachum, vitæ sanctitatem, humanitatem et prudentiam, totius Domus procurationem

S. HUGO FIT PROCURATOR.

ANNUS 1173

ipsi demandavit. Quam vero strenue illud munus executus sit Hugo accipe ex illius Vita :

Ubi sup. lib. I. c. 14.

« Post hæc, jam cum Hugo in quietis suæ nidulo per bina circiter lustra moratus, et mundo plene mortuus, plumis undique et pennis fultus solidissimis ad volatum esset aptissimus, procurationem totius domus ei, in quantum licuit renitenti, Prior suus delegavit. Hujusmodi vero volatum columba hæc pulcherrima satis exhorrebat. Horrebat corporaliter circumvolitare officinas materiales et diversoria corporalia, qui spiritualiter volitare didicerat ad Domus Patris qui in cœlis est multas mansiones, et Domini Virtutum cogitatione spirituali et aviditate perambulare æterna tabernacula. Volatus quippe iste fuit ad requiem, ille ad fatigationem. Ad hunc dabantur ei pennæ ut diceret cum Psalmista : Volabo et requiescam; ad illum sumebat pennas suas diluculo ut inhabitaret in extremis maris , cujus itinera licet ipsi extrema essent (quia et tenebris curarum et sollicitudinum amaritudinibus erant respersa), extra tamen negotiorum secularium mare erant. Viderat autem Prior illius, ut erat prudentia sic et benevolentia unice præditus, viderat, inquam, illum vas effectum in honorem, utilem in omnibus et ad omne opus bonum sufficientem ; sciebat enim serviendo fidelissime Jesu Christo affatim didicisse bonis quibusque operibus præesse. Reputabat igitur incongruum aliis eum de cætero manere infructuosum, qui sicut oliva fructifera, speciosa et uberrima, fructificaverat sibi in Domo Dei. Noverat illum et igne charitatis splendescere et pinguescere oleo pietatis ; nec censebat opportunum ut lucerna lucens et ardens, sub modio diutius latens sibi tantum luceret, quæ lucem omnibus qui in Domo Dei erant, sufficiens erat ministrare. Exponitur itaque in publicum et ponitur super candelabrum, quatenus ad lucem ejus non modo ad horam, imo in æternum gaudeant universi. Regebat ergo industrie commissam sibi familiam, Fratres sollicite instruebat, et juxta illud de sancto Honorato dictum, quod frequenter in ore habebat multumque laudabat, torpentes semper excutiens ad desideria, ferventes spiritu coge-

ANNUS 1173

bat ad requiem. Exhibebat se Priori suo alterum Joseph, qui optime esse Dominum cum eo sciebat. Unde creditis ipsi omnibus, nihil ipse noverat nisi panem tantum quo vescebatur. Ipse vero fidelis in omnibus, tanquam David ingrediens et egrediens ad imperium ejus, in cunctis se prudenter habebat.

Quantum sibi et aliis in hoc officio profuerit.

« Erat revera Dominus cum eo manifeste, et omnia opera ejus dirigebat ; unde ad ingressum illius benedixit Dominus domui suæ valde, exuberare eam faciens in omnibus bonis. Erat quoque in sermone prudens et efficax, in consilio acutus et circumspectus. Qui ad illum accedebat, cellam se vinariam putabat introïisse ; aut certe promptuarium eructans ex hoc in illud. Si enim de temporalibus alicui consuleret aut ab aliquo consuleretur, mox consilium pro negotio instanti referebat opportunum consulens eum, vel ab aliquo consilium accipiens ; sed confestim consilio salutari de caducis ad mansura consulentem et consultum transferebat. Rideant, si videatur, talia prosequentem, aut nimium literati aut parum creduli ; illi syllabas coaptent et cavillent, isti sententiis derogent et discredant. Ego, ut verum fatear, literatis satisfacere nescio, incredulis non sufficio. His autem quibus sola per seipsam veritas etiam nullo fuscata ambitu verborum placet, id quod verum novi, celandum non duxi ; sed fiducialiter imperanti cedendo charitati, ut facultas tulit, exposui syllabas calumniantibus, utpote doctis indoctus cedo discutientibus sententiæ veritatem, ad defensionis meæ patrocinium omnes qui Hugonem agnoverunt interpello. Quis ab Hugone, etiam in temporalibus destitutus consilio, non solum non detulit consilium necessitatibus suis profuturum, sapientibus quoque seculi hujus admirandum ? Quem in temporalibus non erudivit ? Quem ad perpetua mox non accendit ? Loquebatur in Capitulo Monachorum verbum ; sed spiritualia spiritualibus comparans, quasi musto quodam pretioso rerum spiritualium pigmentis condito, jucundissime inebriabat, vino licet meracissimo Scripturarum jugiter potato ; loquebatur in auditorio Fratrum, et lactentibus lac Apostolicum affluenter

ANNUS 1173

immulgebat; secularibus qui forte advenissent loquebatur, et dicebat divites non sperare debere in incerto divitiarum; pauperes recreabat, ut licebat pro rigore Ordinis, diurnis etiam subsidiis, etc. » Hæc ibi. Quomodo ex Cartusiæ Procuratore Prior Witamiensis factus est, suo loco referemus.

CARTUSIA VALLIS PISII INCHOATUR.

In Catalogo Dom. Ord. ad calcem vitæ S. Brunonis.

* *Mondovi.*

Olim dicta Vallis ardua.

V. Hoc præsenti anno, non vero tardius, ut scripsit Meleager Pentimalli, cartusia Assumptionis B. Mariæ Vallis Pisii in Pedemontio et episcopatu Montis Regalensi *, in subalpinis Lombardiæ ejusdem diœcesis, die decima quinta Augusti, suæ fundationis sumpsit exordium. Eam ob rem per aliquod inde tempus dicta fuit *Vallis Benedicta,* quæ antiquissimo ævo appellabatur *Vallis Ardua,* de qua in Historia Romana Titi Livii scribitur, quod Imperator fugatus a Gallis et perventus in collibus, per Vallem Arduæ regressus est in Italiam. Est enim illa cartusia in interiori vallis sinu, cujus pars superior ad meridiem, ob frigoris rigorem neutiquam habitari potest. Sed per Alpes asperasque cautes nive semper tectas, per totius iter diei inhospitas, ora aditur illa quæ Provincialem seu Narbonensem dividit a Ligustica. Ad boream vero, ab amœna Pedemontana planitie quatuor distat milliaribus, et clauditur ipsa vallis ab oppido quod ideo *Clusa* vocatur; et nunc ab ejus flumine Pisio, *Vallis Pisii* ipsa quoque nomen retinet, cum sub initium ejus fundationis fuerit etiam dicta Vallis Ardua, ut constat ex Cartulario Majoris Cartusiæ. Ejus fundatores imprimis agnoscuntur Domini de Morotio ut indicant Tabulæ a R. Patre Carolo Josepho Morotio, in hunc modum laudatæ: « In nomine Domini etc. Arnaldus de Morotio filius quondam Anselmi, et Amedeus de Brusa Porcello filius cujusdam Vidonis, et suus frater Anselmus, Amedeus Pulisellus filius cujusdam Robaldi, Ubertus de Breolo filius cujusdam Adalrici, Anricus de Breolo et sui fratres, Ramundus, Willielmus et Amedeus filii cujusdam Uberti; itemque Joannes Prior ecclesiæ sancti Blasii de Morotio, jubente abbate Fruterii cum omni suo Capitulo: omnes isti domini de Morotio fecerunt donationem in manus Uldrici Prioris de

Cartul.Cart. ad an. 1184. et 1269.

Qui ejus Fundatores

Theat.Chronol. Ord.Cart.

Ordine Cartusiensi de terra quæ jacet in montanis villæ, quæ dicitur Clusa, sita in loco quæ dicitur Ardua. . . . . . Nominati enim dederunt isti Domini cum omni populo Clusæ, alpes scilicet Vacherii et Serpenterii, et pratum Brunum ad ecclesiam construendam in honorem Dei sanctæque Virginis Mariæ, et Sancti Joannis Baptistæ; et actum in Morocio, anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo septuagesimo tertio, Indictione nona*. Ego Jordanus Judex atque Sac. Palatii Notarius, jussu supradictorum dominorum de Morotio scripsi et dedi. » Alia recentior Tabula est.

ANNUS 1173

* Sexta.

« Nos infrascripti Prior et Monachi professi Cartusiæ Vallis Pisii, diœcesis Montis Regalis, Provinciæ vero Taurinensis, certam fidem facimus prædecessores nostros, consequenter et Nos, in honore habuisse coluisseque familiam Morotiam e Monte Regali, utpote traductam ex illustrissimis dominis de Morotio sacri nostri monasterii Vallis Pisii conditoribus, idque veteri traditione apud nos firmiter teneri, ut patet ex ipso erectionis instrumento sub dat. anno 1173, Indict. * 9, quod asservatur in archivio scripturarum cartusiæ nostræ Vallis Pisii. In fidem, præsentem dedimus subscriptam ab omnibus Religiosis monachis professis præfatæ cartusiæ Vallis Pisii, et munitam solito sigillo nostri monasterii; dat. et in prædicta cartusia Vallis Pisii, 21 Februarii, anno Incarnationis Dominicæ 1635. D. Laurentius Bergia professus et Prior testor ubi supra, D. Vincentius Raibaudus professus et Vicarius testor ubi supra, D. Gervasius Cardesius testor ubi supra. » Sequuntur nomina omnium Professorum ad numerum decem et octo.

* 6ª.

Fuit illustris Morotiorum familia, quæ etiam Episcopos dedit variis Italiæ Ecclesiis. Ex Benefactoribus hi recensentur in nostris Chartis Capitularibus : « Nobilis Dominus Ludovicus Volerus[a] miles et vicecomes Relaniæ. Dominus Gasparinus de Richer[b]. . . . . , curatus ecclesiæ de Bredulo. Nobilis vir Dom. Bartholomæus Lupariæ[c]. Nobilis Dom. Bernardus de la Costa[d], et Dominus Georgius de Grossis[e]. » Non multum ex beneficiis collatis ab his benefactoribus

Ughel. in Episc.Epored. et Asten.

Benefactores.

[a] Ex charta 1460.

[b] Ex charta 1498.

[c] Ex charta 1501.

[d] Ex charta 1520.

[e] Ex charta 1522.

ANNUS 1173

profecit hæc Domus, cujus statum temporalem diutissime tenuem fuisse colligimus ex eisdem Chartis. Nam post trecentos et triginta a sua fundatione annos, Diffinitores « Priorem hortantur ut in suis tribulationibus dulcem habeat patientiam; et propter magnam paupertatem Domus, taxam Capituli generalis sibi misericorditer relaxant. » Revoluto tertio conditæ Domus seculo, tantam ruinam ex casuali incendio perpessa est, ut Visitatores coacti fuerint Monachos in aliis Domibus collocare.

Diu paupertatem passa.

Ex ch. 1403.

Ex ch. 1473.

VALLIS S. HUGONIS FUNDATIO.

VI. Hoc pariter anno condita est Vallis S. Hugonis cartusia, diœcesis Gratianopolitanæ, in ipsa Sabaudiæ propriæ regione (unde totius Ducatus nomen), prope oppidum Rupecula * dictum, tribus a Mommeliano arce famosissima distans leucis, in territorio et loco cui nomen vallis *de Ben* antiquitas dederat, sed qui postea, ex constructo novæ cartusiæ templo et S. Hugoni dicato, ejusdem Sancti vocabulum accepit. Eamdem ac plures aliæ nostri Ordinis tunc ædificatæ, originem habuit hæc cartusia. Quidam hujus regionis Nobiles, despectis fallacis mundi delitiis, jugumque Christi suave soli cum eo in solitudine subire cupientes, cum sibi in vicina nostri Instituti monasteria non pateret aditus ob completum in eis, quem Guigonis Consuetudines cuilibet Conventui præscribebant tum Monachorum tum Conversorum numerum, aliam in sua patria quæsierunt Eremum, ubi sanctum quo vitæ ducendæ solitariæ et austeræ ardebant, desiderium possent explere. Narrat Patrum traditio ad nostra usque tempora transmissa, oblatam tunc divinitus fuisse quibusdam ejusdem loci Benii incolis, sive in somnis sive in oratione positis, speciem cujusdam Episcopi (quem ipsum fuisse Hugonem Gratianopolitanum arbitrati sunt) ibidem non semel procedentis cum aliquot monachis veste Cartusiensis consimili præcandidis. Quo audito portento, vel etiam viso a quibusdam ex eis qui jam nostrum, ut diximus, Institutum amplecti meditabantur, eodem in loco tanquam a Deo electo, nova cartusia hoc anno cœpit ædificari. Fertur præterea ecclesiam post septendecim annos absolutam, a duobus

* *La Rochette.*

Ex mss. ejusdem Cart.

Episcopis communi sed quodam mirabili Chrismate quod cœlitus emissum volunt, consecratam fuisse ac S. Hugoni Gratianopolitano, ut præmisimus, dicatam: sive in præfatæ visionis monimentum, sive in annuli, mitræ, stolæ et manipuli, quibus idem Præsul uti solebat, ibidem asservatorum venerationem. Sed de his nihil in antiquis Domus monumentis scriptum legitur. ANNUS 1173

Qui vineam nostram e monte Cartusiæ in S. Hugonis vallem primi transtulere, hi in Domus Cartulario reperiuntur: Nantelmus Protoprior, Bernardus cartusiæ Repausatorii monachus, Willelmus Blanchi nobilis Sabaudus et Radulphus de Camberiaco, ambo Conversi et Majoris Cartusiæ, ut præfatus Nantelmus Prior, alumni. His se statim e patriæ Nobilibus adjunxere, Petrus Nantelmi in regimine successor, Umbertus et Thomas, qui postea Procuratoris munus executi sunt, Martinus et alii. Conversorum vero labarum eodem tempore amplexi sunt Willelmus Fabri, Hugo Franco, et alii quam plurimi. Hi prius locum Benium montesque illi vicinos, sive dono, sive pretio comparaverant ab eorum Dominis quorum habentur in Charta fundationis nomina, quæ ejusdem prorsus tenoris est (si Prioris ac largitorum loci nomina excipias) ac Matris Cartusiæ literæ, quas primo Instituti Ordinis anno dedimus. Tempus quo Cartusia hæc primum erecta est, in his literis sic describitur : « Præfata autem Heremus a Priore prædicto Nantelmo et ab his qui cum eo erant Fratribus, cœpit inhabitari ac construi anno ab Incarnat. Domini MCLXXIII, episcopatus vero Domini Joannis Gratianopolitani episcopi XVIII, qui videlicet Episcopus laudat et corroborat hoc donum cum Conventu Clericorum suorum. » Præcipua inter loci largitores habenda est Beatrix, Guillelmi Genevensis comitis ac Cartusiæ Pomerii fundatoris uxor, quæ cæteros possessores ad jura quæ ad eos in vasta illa eremo pertinere poterant cedenda, suo exemplo incitavit. Horum nomina tanquam fundatorum aut benefactorum, licet quidam non sine mercede juri suo cesserint, gratitudinis ergo subjicimus : *Primi illius incolæ.* Ex Cartul. ejusd. Cart.

ANNUS 1173

DONATORUM VEL VENDITORUM NOMINA.

VII. Ismido de Ais Magistri Templi Procurator unum e Fratribus suis, Pontium scilicet de Valle, Cartulam in qua continebantur quæ novæ cartusiæ tradebat, ad Matrem Cartusiam anno sequenti misit. Hugo Altivilaris dominus cum Aalide uxore sua in fundationis literis nominantur. Hugo vero filius ejus Jerosolymam (sunt Instrumenti verba) profecturus, suam cessionem confirmavit cum uxore sua Audissia et filio suo Hugone, in præsentia præfati Nantelmi Prioris et monachorum Domus, et Amedei Altivilaris Prioris. Deinde filii ejus jam adulti, Joannes, Petrus et Willelmus, qui prius habiles non erant ad laudandum, patris pactum laudaverunt, præsentibus Petro tunc Priore et pluribus monachis ac Nantelmo Vilaris Benedicti Priore. Floruit Altivilarium familia ad quarti decimi seculi medium, quo Petrus miles de Altovilario dominus obiit sine masculis. Duas vero habuerat filias, Andusiam Humberto de Sabaudia Aymonis comitis notho nuptam, et Johannam quæ maritum habuit Antelmum dominum de Miolans. Andusia in dotem accepit castrum de Altovilario, et Humberto marito plures genuit liberos, quorum primogenitus, Humbertus etiam nominatus, patris et matris hæres, testamento condito anno 1400, sepulturam in hac Domo elegit, quam post viginti et ultra annos tantum accepit. Joannes ejus filius et hujus stirpis ultimus, obiit decrepitus et in nostris Chartis tanquam hujus Domus benefactor denunciatur his verbis : « Joannes de Sabaudia, dominus Altivilaris, ex fundatoribus Domus Vallis S. Hugonis ». Fundatores aliquando dicimus, non qui Domos revera dotarunt aut suis sumptibus ædificaverunt, sed eos etiam qui suo favore nos solent tueri et protegere. Præter Hugonem de Altovilario, loci datores extiterunt Soffredus, et Nantelmus Aynardi, Hugo de Rochetta, Guiffredus de Bella Comba, et Guido de Castro novo.

Guichen. in hist. Geneal. Sabaud.

Ex ch. 1478.

Benefactores : Principes,

Multa a serenissima Ducum Sabaudiæ familia beneficia huic Domui sicut et cæteris nostri Ordinis monasteriis collata sunt. Humbertus III fundationem approbavit. Thomas filius ejus quemdam vini reditum dedit, sæpiusque Monachos vi-

sitabat, ut colligimus ex Charta paulo ante illius obitum scripta, in qua inter cætera hæc habentur: « Notum sit. . . . quod Thomas, illustris comes Mauriannæ, in ultima quam fecit Domui Vallis S. Hugonis visitatione, domino Miolani Nantelmo, Priore Allionis Willelmo, Marescalco Montis Meliani intervenientibus, concessit in perpetuum dictæ Domui pascua, etc. Factum est hoc in superiori Claustro sub præsentia et testimonio Galterii Prioris, Hugonis de Capella, Petri de Muris, et aliorum plurimorum Monachorum. » Amedeus ejusdem Thomæ filius et successor, patris beneficium « hilari confessione et concessione laudavit et confirmavit in cimiterio præfatæ Domus », quam sua etiam præsentia honorare solebat, moriensque mille solidos ei totidemque pluribus aliis Domibus largitus est. Plura præterea privilegia ab eisdem Comitibus et Ducibus concessa in Tabulario asservantur.

ANNUS 1173

Ex Cartul. ejusd. Cart.

Guichen. Hist. Sabaud.

Delphini pariter sua liberalitate eam ditarunt, quorum « Delfinus comes Albonis et Viennæ Palatii, concedo (inquit) et confirmo Domui Vallis S. Hugonis grangiam, pascua, et universa alia quæcumque prædecessores mei concesserunt. Actum anno MCCXIX, præsentibus Aymaro de Cassanatico, Bosone de Arenis, Petro Calnesii, et multis aliis. »

Præsules.

Quidam etiam Præsules quasi certatim suæ in hanc Domum benevolentiæ indicia præbuerunt. S. Petrus Tarentasiensis archiepiscopus, qui omnes nostri Ordinis alumnos singulari amplectebatur affectu, novos Vallis S. Hugonis tirones ad pietatem animavit. Aymo illius successor, cum Lamberto Maurianensi episcopo, a vicinis Nobilibus necessarios reditus in gratiam Petri Prioris obtinuit. Barnardus Lamberti successor Aymonem Donz de Rocheta circa annum 1200 excitavit, ut quasdam terras intra Domus terminos positas pretio traderet « Martino eremitarum Vallis S. Hugonis Procuratori », ut loquitur Charta; venditioni ipse Præsul adfuit cum Willelmo suæ Ecclesiæ decano, et Humberto suo capellano. Aymarus, et ipse Maurianensis præsul, confirmat donum quod Amedeus suus prædecessor fecerat. Confirmationis

ANNUS 1173

literæ datæ sunt anno MCCXXVI coram Joanne archiepiscopo Viennensi et Jacobo de Montechanu. His adjungendi sunt ex episcopis Gratianopolitanis Joannes de Cassanatico qui fundationem approbavit, Soffredus qui anno MCCXXXIIII gravem querelam a quibusdam vicinis motam sedavit, et Petrus qui anno MCCXXXXIIII similem gratiam præstitit.

NOBILES.

VIII. Inter alios benefactores hi sunt referendi : Albertus de Turre, qui « per manum Joannis Viennæ archiepiscopi, in præsentia Willelmi abbatis Sancti Theuderii et aliorum, dedit pascua in terra sua, et Prior vallis S. Hugonis recepit eum et antecessores ejus, necnon et amicos vivos et mortuos, in omni beneficio Domus » ; hocque donum factum est in Claustro S. Theuderii an. MCCXVIII, XV Calendas Junii. Joannes de Avalone et Burno frater ejus, ex consanguineis S. Hugonis Lincolniensis, quasdam terras intra terminos Domus dederunt « anno gratiæ MCCXII, quando prædictus Joannes, signo Crucis levato, in Yspaniam ire parabat ad obsequium Domini nostri Jesu Christi. » Nantelmus de Cassanatico multa dedit, « quæ post multum temporis Aimericus de Briancon et Rodulphus frater ejus, prædicti Nantelmi nepotes, confirmaverunt » circa annum 1200. Aimarus de Cassanatico in manus Joannis episcopi Gratianopol. quamdam donationem fecit, quam Aimarus ejus filius postea approbavit in manus ejusdem Episcopi. Aimericus quoque de Avalone, et uxor ejus Domina Galiana et eorum filius Rodulphus, dederunt duos solidos censuales coram testibus Nantelmo Priore Vilaris Benedicti, Willelmo Magistro Templi Avalonis, Willelmo de Goncelin et Willelmo Cristino Canonicis Vilaris Benedicti, anno gratiæ MCCXVIII. Multi etiam Nobiles et nomen et facultates suas, induto Monachorum vel Conversorum habitu, contulerunt. Inter quos eminent Willelmus de Alavardo qui, professione emissa anno 1236, per triginta annos omnes perfectissimi monachi partes complevit. Coactus vero Procuratoris onus in se suscipere, haud paulo post in eo defunctus est circa annum 1270. Et Andreas del Molar de Mongaren factus Novitius Con-

versus, « an. MCCLXII, in Capitulo Monachorum die S. Agatæ constitutus, dedit et obtulit pure et irrevocabiliter in puram et meram eleemosynam et oblationem Deo, omnia quæ infra terminos habebat. »

ANNUS 1173

Hæc domus multa patitur ab hæreticis.

A sua fundatione per quatuor secula non potuerat hæc Domus ultra septem aut octo Monachos, cum paucissimis Laicis, suis alere facultatibus. Nihilominus in ea semper viguit Statutorum observantia, donec desinente sexto decimo seculo, pessimorum temporum malitiam, sicut totus Ordo monasticus in his maxime Delphinatus regionibus experta, multa in utroque statu detrimenta pertulerit, ut ex Chartis capitularibus discimus, in quibus Prior a Diffinitoribus « rogatur in Domino, ut det operam restaurandi utrumque Domus suæ statum. Negotia autem temporalia suo Procuratori relinquat, et ipse Domum gregemque custodiat. » Et iterum post viginti annos, Priori ex Rectore instituto Patres « commendant restaurationem utriusque status afflictissimi, ut sicut bene cœpit melius prosequatur consummetque felicius ; adjuvantibus restaurationem dicti status Prioribus Domorum superabundantium, pro Dei honore et reverentia B. Patris Hugonis, hospitis et ducis Patrum nostrorum. » Deinceps paulatim revirescens vallis ista, tandem his nostris temporibus facta est Novitiorum seminarium, ex quorum fervore et religiosa educatione integra disciplinæ regularis restitutio speratur.

Ex ch. 1579.

BENEDICTUS MAGISTER EREMI CALABRIÆ MORITUR.

IX. Hoc præsenti anno Magister Benedictus, qui Calabriæ regimini post Henricum præfectus fuerat, obtinuit privilegium a rege Siciliæ Guillelmo, in quo privilegio Rex sic ait : « De more itaque nobis feliciter residentibus in Palatio nostro felicis urbis Panormi, Benedictus venerabilis Magister monasterii S. Stephani de Bosco una cum quibusdam Fratribus suis, etc. Datum anno Incarnationis Dominicæ MCLXXIII, mense Februarii, Indictione sexta. » Posthac Benedictus creditur obiisse, et dies obitus habetur in veteri Domus Necrologio ad ultimum Decembris. Eo mortuo, Magister designatur Guillelmus de Messana de quo iterum post duos annos.

Constantius in Actis ms. S. Brun.

Guillelm. de Messsana succedit.

ANNUS 1173

DECRETA CAP. GEN. SUB BASILIO FACTA.

Duo cerei accendendi diebus solemnibus.

Candela in lanterna ad Missas.

X. Sequuntur, ut superius promisimus, quædam ordinationes in Comitiis generalibus sub Basilii regimine factæ, et ab eo compilatæ.

1. « In omnibus principalibus Festis quibus duas candelas ad Matutinas et Vesperas accendimus, consueta suffragia omittuntur ». Per principalia Festa intelligendæ sunt Solemnitates, in quibus hodie quatuor candelas sive cereos accendimus. Tempore Jancelini duæ tantum etiam accendebantur ad Matutinas et Vesperas, sed ad Missam tertia addebatur, ut legimus in Compilatione ordinationum ab ipso Jancelino facta anno 1222, ubi modus cereorum in quibusdam Missis accendendorum ab hodierno more satis diversus designatur, quem propterea hic subjicere libet : « In Anniversariis, ad Missam sacerdote induto, tertio signum pulsatur, duæ tantum candelæ accenduntur, quarum una in candelabro, altera in lanterna ponitur. Ab omnibus etiam qui hoc facere possunt (id est qui ab hoc faciendo sua non impediuntur paupertate), idem observatur in omnibus Missis conventualibus. » Deinde de Festis solemnibus additur : « In præcipuis tamen Festis, in quibus ad Matutinas et Vesperas duas accendimus candelas quæ ponuntur in candelabris, ad Missam accendimus tertiam quæ ponitur in lanterna. Ad privatas etiam Missas, si præsens sit Episcopus vel Abbas, vel si Priores Ordinis nostri Missas illas cantent, duæ accenduntur : una in candelabro, altera in lanterna ; alioquin ad privatam Missam una tantum candela accenditur, et ipsa ponitur in lanterna. » Sed hæc cœperunt mutari sub initium regiminis Martini, qui Jancelino successit. Nam in altera compilatione sub finem regiminis Jancelini vel paulo post edita, sic legimus : « Duæ lampades possint haberi in ecclesiis superiobus, et dum celebrantur divina Officia ambæ accendantur. Possunt etiam in Solemnitatibus plurima luminaria accendi secundum voluntatem Prioris. Ad privatas Missas duæ candelæ accendantur. Et quando non potest videri Corpus Christi, eo quod mane celebretur, possit Diaconus tenere cereum bene ardentem a retro sacerdote, ut Corpus Christi

in hac parte possit videri. Hoc tamen non est præceptum. » Postea Rifferius statuit ut si quis voluerit plures candelas accendere in præcipuis Festis, ultra quatuor non accendat.

Festum S. Matthæi caret Missa si acciderit sabbato quatuor Temporum.

2. « Mense Septembri si festum B. Matthæi in Sabbato occurrerit, Missam de jejunio celebramus ; commemorationem tamen de Apostolo facientes, *Gloria in excelsis Deo* et *Credo in unum Deum* omittentes. Si quarta feria in Capite jejunii festum B. Agathæ occurrerit, Missam de jejunio dicimus, commemorationem tamen de Festo facientes. » Non dicebantur tunc his diebus duæ Missæ majores, ut modo fit. Unde videtur sub finem regiminis Basilii natus usus ille nudi Officii sive Missarum siccarum, de quibus ante biennium diximus.

Sabbatum ante Ramos caret Missa.

3. « Sabbato Ramis Palmarum Missam non dicimus, sed inter Nonam et Vesperas pro Missa spatium facimus. » Ex quibus conjicitur quod aliis diebus per Quadragesimam Nona, Missa et Vesperæ nullo intervallo interjecto dicerentur ; ac proinde prandium statim post Vesperas sumeretur : id magis liquet ex sequenti Constitutione. Porro sub finem regiminis Jancelini statutum est ut Missa pro Benefactoribus hac die cantaretur, quod quidem Consuetudinibus Guigonis congruit, in quibus præcipitur ut singulis hebdomadibus Sacrum celebretur pro benefactoribus.

Festum Annunciationis quomodo celebrandum.

4. « Si Annunciatio Dominica sive festum B. Benedicti quartam ante Pascha feriam non transierint, et infra hebdomadam evenerint, Missam post Tertiam cantamus, Sextam continuantes ; et facto grandi intervallo post Sextam, Nonam in ecclesia dicimus, et modicum item spatium facientes Vesperas cantamus, et refectione completa, post gratiarum actionem inviolato silentio ad cellas redimus. » Idem prorsus hodie observamus, non quidem in præfatis Festis, sed in Sabbato ante Palmarum Dominicam. Nempe Missa post Tertiam cantata, Sextam statim continuamus, et longiori facto intervallo quam in aliis Missis Quadragesimalibus quæ duas habent Missas majores, Nonam cantamus, et pauco post tempore Vesperas ; quibus dictis refectorium intramus,

ANNUS 1173

unde post gratiarum actiones egressi cellas repetimus, nullo dato colloquio per totam Quadragesimam, exceptis Dominicis diebus.

Festum S. Benedicti quomodo olim celebratum.

5. « Si festum S. Benedicti die Dominico evenerit, commemorationem tantum de eo facimus; si tertia vel quarta feria ante Pascha, de jejunio Missam dicimus. Ad horas tamen omnes ad ecclesiam convenimus, competentibus intervallis distinctas. Annunciatio vero quacumque die ante Cœnam evenerit, totum de ea Officium facimus, excepta Dominica in Ramis Palmarum, in qua Missam Dominicalem facimus. » Hic usus hodie mutatus est per translationem Festorum, quæ his temporibus non fiebat.

MISSA ET VESPERÆ IN QUADRAGESIMA CONTINUE DICUNTUR.

XI. 6. « Quando tres primæ Passiones leguntur, *Dominus vobiscum* dicitur sine *Gloria tibi Domine.* Quarta in Parasceve, nec *Dominus vobiscum* dicitur nec *Gloria tibi Domine.* Adoraturi Crucem calceamenta deponimus, post Vesperas eadem sumpturi. » Ergo statim post Missam dicebantur Vesperæ; quod etiam fiebat Guigonis tempore, qui suis in Consuetudinibus agens de divino Officio per totam Quadragesimam, sic ait: « Nonam et Missam cum Præfatione de Quadragesima et Vesperas, omni die in ecclesia cantamus. » Et inferius numero 21 loquens de Cœna Domini, « Nonam et Missam et Vesperas in ecclesia celebramus. » Nec objicere quisquam potest, Guigonem non dicere quod Vesperæ statim post Missam cantarentur; hoc enim apertius innuit numero 27: « In Parasceve genua flectimus. » Deinde postquam ceremonias in hujus diei Missa observandas descripsit, addit: « Percepto autem a sacerdote Domini Corpore, Vesperas alterutrum cum silentio dicimus. » Et num. 28 : « Sabbato, cantatis in cellulis Sexta et Nona, et interim sacerdote induto, ad ecclesiam congregati. . . . . Missam a *Kyrie eleison* solemniter inchoamus. . . . . Pacem accipimus, incensum vero non adolemus. Quibus expletis, pulsato tintinnabulo, Vesperas juxta morem monachicum solemnissime celebramus. » Hæc Guigo. Ex quibus nullus restat dubitandi locus, quin Vesperæ per totam Quadragesimam post Missam continue cantarentur.

Stat. Guig. c. 4. n. 10.

Ordo Rom. a Mabilonio edit. n. 35.

Imo probabile est nostros Patres statim post Vesperas refectionem etiam sumpsisse. Quod colligere possumus, tum ex articulo quarto superius exscripto, tum ex eodem Guigonis capitulo, ubi postquam dixit : « Nonam, Missam et Vesperas in ecclesia celebrari die Cœnæ, addit : In Missa hostia Dominici Corporis, integra a Parasceve a sacerdote sumenda, servatur. » Statimque immediate : « Post refectionem omnes in quantum possibile est, Monachi et Laici ad *Mandatum* in Capitulum convenimus. » Pergitque narrare quomodo cunctorum pedes postea a Priore lavabantur, ac dehinc reversi in refectorium vinum bibebant. Quæ quidem omnia prout habentur in Consuetudinibus Guigonis, a nobis etiam hodie servantur sine ullo discrimine ; nisi quod probabilissimum sit Missam et Vesperas Guigonis tempore post meridiem peractas fuisse, quas nos ante persolvimus juxta morem ubique ab Ecclesia toleratum. Quandonam vero hæc mutatio temporis facta sit apud nos, nullibi reperimus ; quam tamen nisi post seculum duodecimum credimus a Nostris admissam, quando per totam Ecclesiam hic usus jam invaluerat.

Confessionem ante Missam facit Episcopus etiamsi non celebret.

7. « Sacerdos hebdomadarius finitis psalmis . . . . . . dictaque Oratione ad dextrum cornu altaris, ad sinistrum casula induitur, et inclinatus præmittit, ante confessionem, precem : *Pone, Domine, custodiam ori meo.* Confessionem autem si præsens sit, facit Episcopus ; qua facta subdit sacerdos aliam precem : *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, etc. » Hoc satis singulare est, sed hodie non est in usu.

Diaconus flectit genua ad Homo factus est.

8. « Dum *Credo in unum Deum* cantatur, Diaconus flectit genua ad gradum altaris dum dicitur *Et homo factus est.* » Hodie sicut et cæteri Monachi, ita et Diaconus se prosternit.

OSCULUM PACIS IN MISSA.

XII. 9. « Diebus Dominicis post *Agnus Dei*, sumptam a sacerdote pacem Diaconus fert Priori, et ei qui in sinistro Choro primum tenet locum. . . . . . deinde, sumpta venia a dextro latere altaris, de hostia quæ præcedenti Dominica servata est communicat, alteram pro illa reponens, quæ a sacerdote in duas partes frangitur ; si qui de Laicis communicare voluerint, nonnisi diebus Dominicis communicare

ANNUS 1173

solent. Diaconus vero in principalibus Festis quæ super hebdomadam occurrunt, de tertia parte hostiæ communicat. » In his verbis quædam sunt annotanda. Primum, quod tunc temporis adhuc apud Nostros vigebat mos, sibi invicem dandæ pacis in Missa per oris osculum. In Compilatione ordinationum sub Jancelino facta (de qua supra) extat singulare capitulum *de Officio Episcopi,* ubi de hujusmodi osculo hæc habentur : « Die quo pacem ab invicem sumimus, eam, quasi unus ex nobis, post Diaconum a sacerdote, deinde a Diacono accipit Episcopus ; post ipsum Abbas si adsit ; post Abbatem Prior ; post Priorem alii hospites Religiosi, deinde monachi. Notandum quoque quod prædicti hospites nobiscum stant in Choro, donec illud pacis osculum compleatur. Aliis vero diebus festis Episcopus in sua sede pacem a Diacono accipiens, dat ei qui in eodem Choro sedet juxta eum. » De eodem osculo intelligenda sunt hæc Antiquorum Statutorum verba : « Sacerdos, osculato altari, dat pacem Diacono. » Deinde ibidem inseruntur eadem verba, quæ superius in hoc articulo retulimus. Hæc consuetudo, ut docte observat cardinalis Bona, adhuc vigebat tempore Innocentii tertii ; unde infert hunc usum permansisse, donec a Religiosis Franciscanis plerique Romanæ Ecclesiæ ritus immutati fuerint. Et revera non fuit a nobis abolitus usque ad annum 1319, quo per Chartam Capituli generalis « declaratur, quod de cætero pax sumatur in ecclesia cum tabula in qua sit depicta imago Crucifixi. » Quæ quidem declaratio tanquam Statutum confirmatur biennio post, his verbis : « Statutum de pace sumenda in tabulis cum imagine Crucifixi, approbatur et confirmatur. » Non tamen statim per omnes Domos Ordinis antiquus ille mos videtur sublatus, nam post quatuordecim annos iterum decernitur « ut, omni tempore, sumatur pax sicut in Domo Cartusiæ, videlicet tabula in qua Crux sit vel imago Christi depicta. » Juxta hæc decreta Guillelmus Raynaldi in suis Statutis declarat, quod « in Missis quæ Conventualiter celebrantur cum Dominicali *Kyrie eleison,* pacem sumimus cum tabula in qua depicta sit imago Crucifixi. Et idcirco tres ha-

Stat. Antiq. part. 1. c. 43. n. 45 et 46.

Lib. 2. Rerum Liturg. cap. 16. n. 7.

Quando abolitus.

Cum tabula pax sumitur.

Ex ch. 1321.

Ex ch. 1335.

Stat. Nov. p. 1. cap. 5. num. 14.

beantur, duæ pro Monachis, et una pro Conversis. » Hæc etiam ita hodie servantur. ANNUS 1173

Alterum, quod in hujus articuli verbis observandum venit, est, Diaconum singulis Dominicis communicasse, ut etiamnum fit; sed de hostia quæ præcedenti Dominica servata fuerat, et alteram pro illa reposuisse quam frangebat Sacerdos. Hodie vero duas hostias reservamus quia minores sunt, et non franguntur ut his temporibus fiebat. Nam ut ibidem superius dicitur, Diaconus super hebdomadam principalibus Festis communicabat de tertia parte hostiæ ; nunc vero integram sumit, et id quidem jam ante annos quadringentos, ut constat ex Rifferii Statutis. Infirmis etiam pars tantum Hostiæ porrigebatur, sicut declaratur ab eodem Rifferio; sed hodie non frangitur propter rationem superius allatam, nempe quia duæ reservantur, et quidem pro infirmis, non pro sanis. Nam juxta antiquam Ecclesiæ consuetudinem nulli Nostrum, nec etiam secularium, communionem ministramus in ecclesia extra sacrificii actionem . . . . Tertio advertere debemus, quod licet juxta hunc articulum Laici nostri non solerent sacram Communionem accipere nisi diebus Dominicis, ab ea tamen non arcebantur solemniorum Festivitatum diebus; quandoquidem et ipsis criminosis id licebat ex Antiquis Statutis.

Hostiam fractam Diaconus communicans sumit.

Stat. Ant. p. 1. cap. 43. n. 51.

Morinus lib. 8. de pœnitentia, cap. 14.

Laicorum apud nos frequens communio.

Stat. Ant. p. 2. c. 31. n. 19.

XIII. In his Constitutionibus, vel in aliis ad Guigonis Consuetudines adjectis, quarum autorem credimus S. Antelmum, nulla fit Communionis sub utraque specie mentio, quam inter nos circa finem regiminis Guigonis adhuc viguisse, ex his colligimus quæ de morte Aduini Cartusiæ monachi anno 1132 observavimus. Eam tamen a Nostris, Cisterciensium ad instar, abrogatam penitus fuisse credimus Jancelini temporibus, hac gratia soli Diacono reservata, qua ipsum tandem privavit Rifferius, prohibens « ne Sacerdos reservet unquam* de Sanguine Diacono. » Sed ipse Diaconus « omni tempore quo Missa cantatur, sive communicet sive non, accipiat calicem quem vino lavat, et sumit tantummodo quando communicat; alias vinum dimittitur in Sacrarium. »

COMMUNIO SUB UTRAQUE SPECIE QUANDO ABROGATA.

Bona lib. 2. Rerum Litur. c. 8. n. 1.

* Quicquam.

Stat. Ant. p. 1. c. 43. n. 45 et 55.

ANNUS 1173

Hodie Diaconus vinum tantum infundit in Calicem quando communicat; alias sola aqua calicem lavat. Sacerdos vero duas ablutiones ex vino sumit; cum olim unam solum sumeret, ut ex iisdem Rifferii Statutis constat, loco citato.

« Pro privata confessione quæ in cella fit vel alibi, non dimittitur generalis quæ fit in Capitulo. » Quid hoc loco per generalem confessionem intelligatur jam exposuimus anno 1132. In cella vero confiteri etiamnum possumus; sed licentiam prius a Priore obtinendam esse præcipiunt recentiora Statuta. Neque nobis solis communis fuit hæc licentia, quam S. Petrum Damianum suis aliquando concessisse legimus in ejus Congregationis Institutis. « In cellulis, inquit, continuum tenetur ex more silentium, nec permittitur ut illic alter alterum vel pro confessione loquatur, excepto si Priori visum fuerit. » Noster Guigo Claustrum sacris confessionibus designavit; sed postea solum Capitulum ad id opus deputatum est. Quem morem noster Basilius e Cluniacensibus ad nos videtur transtulisse: siquidem eorum Consuetudines admonent ut, quando quis « opus habet ad confessionem pro aliquo excessu venire, accedat ad sacerdotem . . . . quem præcedentem sequitur in Capitulum. » Statuta quoque Lanfranci volunt ut monachi confessuri « ad Abbatem vadant, vel ad eos quos specialiter in Capitulo designaverit Abbas. » At Præmonstratensium Statuta Templum vel Capitulum, aut alium convenientem locum indifferenter assignant.

Nov.Collect. Stat. p. 2. cap. 7. n. 1.

Pet. Dam. opuscul. 15. c. 10.

Consuetud. Guig. cap. 7. n. 1.

Antiq. Consuetud. Cluniacen. lib. 2. c. 12.

Stat. Lanfr. c. 21.

Stat. Præmonst. dis. 1. c. 6.

QUANDO DONATI ADMISSI.

XIV. Notandum denique est quod, ejusdem Basilii tempore, augeri cœpit status personarum Ordinis in Domibus Monachorum. Nam præter Monachos et Conversos, quos tantum in suo Ordine S. Bruno constituerat, Donati a Basilio inter nos admissi sunt, de quibus prima mentio mihi occurrit in Domus Montis Rivi Calendario, ubi in quadam Charta anno sequenti exscribenda, inter testes recensentur cum Monachis et Conversis Donati quatuor, ut ibidem videre est. Postea Jancelinus in Compilatione ordinationum a Basilii regimine ad annum 1222 factarum, unum capitulum « de Donatis et numero animalium et Mercenariorum » inscripsit, in quo hæc

de eorum statu collegit et statuit : « Provida consideratione stabilitum est, ut quia certus est numerus Monachorum et Conversorum per Domos nostras habendus, certus etiam in Donatis et in animalibus haberetur modus. Propter modestiam igitur et unitatem ubique servandam, pro consuetudine servamus ut septem et non plures habeamus Donatos, qui laborare sciant et possint, absque proprio sint, obedientes et continentes, vestiti sicut mercenarii, in ecclesia recipiantur.... in obitu Tricenarium eis fiat. Decies pro Matutinis, et pro aliis singulis Horis ter dicant *Pater noster*. Vestiri tam sani quam ægri possunt, si non est plenus numerus Conversorum. » Hæc omnia, veste mercenariorum excepta, in Rifferii Statutis reperiuntur, non Donatis sed Redditis adscripta. Stat. Ant. p. 3. c. 33.
Porro in his verbis quædam sunt observanda : 1. Donatos his temporibus vestem gestasse secularem. Erant enim « vestiti sicut mercenarii ». Et Guillelmus Raynaldi vult ut « habitum non mutent secularem », nisi quando divino adsunt Officio vel extra terminos mittuntur; tunc enim caputio utuntur Conversorum. Sed hodie religioso semper induuntur vestimento, et cum divinis intersunt, non solum caputium sed et albam Conversorum tunicam sumunt. 2. Ad quoddam Officium obligatos fuisse, si quidem decies pro Matutinis........ Stat. Nov. p. 3. c. 3. n. 5.
dicant *Pater noster*. » Verum per quamdam Chartam Cap. Ex ch. 1317.
gen. fit declaratio : « Donatos non teneri ad aliquod divinum Ubi supra n. 9.
Officium, nisi portent habitum Ordinis. » Idem exprimit laudatus Raynaldus. Sed quia nostro tempore in habitu sunt regulari, ad quoddam Officium recitandum adstricti sunt. 3. Vestem monasticam aliquando induisse, ut imperfectum supplerent Conversorum numerum. Id enim hæc verba innuunt : « Vestiri tam sani quam ægri possunt, si non est plenus Conversorum numerus », id est, si minus sedecim Conversi sunt (totidem enim Statuta permittebant) unus vel plures Donati, sive sani sive ægri aut debiles, Conversorum habitum induere poterunt, donec eorum numerus compleatur. Quod Raynaldi Statuta sic explicant : « Donati et Præ- Ubi supra n. 8.
bendarii, senes, debiles et infirmi, sicut indui possunt ad suc-

ANNUS 1173

currendum quando locus vacaverit Redditorum, ita in simili casu recipi poterunt in habitu Conversorum, quando in Domo completus fuerit numerus Redditorum. » Nunc autem ad Conversorum statum ascendere non possunt, nisi prius per quinquennium fuerint in Donatorum statu probati. Hinc patet quantum variaverit illorum conditio donec ad eum, in quo nunc sunt, statum adducerentur. Mulieres quoque in Donatas in villis Domorum Monachorum, imo et homines conjugatos in Donatos, temporis successu, receptos fuisse constat. Sed hic usus seu potius abusus (licet per annos aliquot toleratus) nunquam ab Ordine ullo Statuto approbatus

3. Comp. Stat. c. 11. n. 19.

est, sed potius condemnatus : quandoquidem Franciscus Puteanus prohibet « ne mulieres in Domibus Ordinis (non loquitur de parthenonibus) ullomodo recipiantur Donatæ vel Præbendariæ, nec pariter Donati aut Præbendarii uxorati. »

DE REDDITIS LAICIS.

XV. Ex Donatis prodierunt Redditi circa Jancelini tempora; nam ubi quis ex illis vestem induebat religiosam, Redditus dicebatur. Imo paulo post Compilationem ab eodem Jancelino factam, videntur Patres Donatorum gradum neglexisse, ut solis Redditis paulo ante ortis, certum vitæ genus instituerent. In altera namque Compilatione ordinationum a præfato anno 1222 ad finem usque Jancelini regiminis in generalibus Ordinis Comitiis promulgatarum, nulla facta Donatorum mentione, speciale habetur capitulum « de Redditis et forma habitus et modo vivendi ipsorum »; in quo, præter plura satis austera quæ ab ipsis requiruntur, pleraque etiam quæ in prima Compilatione Donatis imposita fuerant, ipsis Redditis præscribuntur. Sic igitur ibi legimus: « Ad jussum Summi Pontificis concedimus Redditis nostris, ut de cætero sepeliantur in cœmiteriis nostris, et cum tali habitu qualem gerunt, scilicet cum caputio et tunica, caligis et pedulibus; et sicut scriptum est, fiat eis tricenarium . . . . . obedientes et continentes et sine proprio erunt. Non vescentur carnibus, nec camisiis et brachis utentur. Septem erunt numero; et quando recipientur, renuntiabunt proprietati statim; non poterunt redire ad seculum . . . . . . nec reci-

pientur sub spe recipiendi in Conversos. Unus poterit esse Clericus, et poterit promoveri usque ad diaconatum, nec ultra. Et si vellet fieri sacerdos, ad alium transiret Ordinem. » Hæc et alia, quæ eorum statum spectant, postea Rifferius suis in Statutis paulo fusius interseruit. Plura adhuc passim in eadem Compilatione decreta occurrunt eorum occasione pronunciata, inter quæ unum est quo sancitur, ut « Redditi non vocentur Fratres, sed Burdones, et sint contenti eis quæ dabuntur illis. » Quid per « Burdones » significetur, fateor me ignorare ; sed neque juxta hanc addictionem reperitur apud eruditum Cangium. Illud vero nomen omisit Rifferius, cum decretum istud in sua Statuta transtulit. Aliquot post editam ultimam hanc Compilationem annis, statutum fuit per Capitulum generale « ut Redditi recipiantur sub probatione sex mensium, et tamen profitebuntur secundum formam consuetam de ipsis Donatis. » Sed postea per Rifferii Statuta decretum fuit ut per spatium unius anni probarentur, sicut Monachi et Conversi. Eorum indumenta similia erant Conversorum indumentis, ut discimus ex Statutis, et a nostro Bosone. « Alii, inquit, vocantur Redditi, in eodem habitu Conversorum, sine barba. » Eis Jancelinus a Gregorio nono obtinuit ut gauderent Ordinis privilegiis ; et in bulla vocantur « Oblati, qui Redditi vulgariter appellantur. » Oblatus et Donatus idem significant. Unde Donati videntur in eadem bulla confundi cum Redditis ; quod cum in Chartis capitularibus et Statutis Antiquis manuscriptis non semel factum fuisset, hanc Patres inter utrosque distinctionem aliquando posuerunt : nempe eos vocandos esse Donatos qui habitum gererent secularem, Redditos vero qui regulariter induti essent ; et sic in libris corrigendum esse voluerunt : « Statutum antiquum, inquiunt, quo cavetur quod Donati ad certum quoddam Officium sunt adstricti, intelligitur de Donatis qui habitum receperunt, et Redditi Laici nuncupantur : et ideo ponatur Redditi in libris, ubi Donati est descriptum. »

Ex ch. 1249.

Tract. ms. de orig. et verit. perfectæ Relig.

V. infra ad an. 1232.

Ex ch. 1368.

DE CLERICIS REDDITIS.

XVI. Sicut Redditi a Donatis prodierunt, ut diximus ; ita Redditi Clerici a Redditis, qui propterea Laici postea dicti

ANNUS 1173

sunt, ut ab ipsis Clericis distinguerentur. Id patet ex his verbis Compilationis ordinationum anno 1222 factæ superius allatis : « Unus ex Redditis poterit esse Clericus et poterit promoveri usque ad diaconatum, nec ultra; et si vellet fieri sacerdos, ad alium transiret Ordinem. » Hujusmodi Clericus Redditus locum habebat inter Conversos, sed supra eos sedebat. Paulo post, cum concessisset Capitulum generale ut quælibet Domus posset habere tres vel duos Clericos Redditos, inter Monachos in Chorum, Capitulum et Refectorium admissi sunt; et propter magnam conformitatem quam habebant ad Monachos, statutum est ut « induantur et profiteantur secundum formam Monachorum »; sed eorum cuculla erat sine vittis, ut per quamdam Chartam declaratum est: « Notificatur Horti B. Mariæ Priori, quod Clericus Redditus uti debet tonsura et cuculla monachali, vittis detractis, et in Conventu Monachorum ultimam sedem tenere. » Et ne ullum inter eos et alios Clericos Redditos, sive Monialium Capellanos esset discrimen (quorum adinstar videntur in Ordine recepti), concessum est eis ut possent ad sacerdotium promoveri, de licentia Prioris Cartusiæ vel Capituli generalis, ea conditione ut « de cætero Fratres tantum nominentur, non Domni. » Cum quis Monachus Novitius imparem se crederet ferendo sui status oneri, conditionem Clerici Redditi amplecti poterat.

Vid. Sutorem, lib. 1. de Vita Cartus. tr. 3. c. 5.

Ex ch. 1342.

Ex ch. 1370.

Stat. Nov. p. 3. c. 2. per totum.

Ex ch. 1327.

DE PRÆBENDARIIS.

XVII. Alius servorum Dei gradus, paulo post Jancelini regimen, admissus est, sub Præbendariorum appellatione; quorum prima mentio habetur apud Rifferium declarantem « Præbendarios, et si sint debiles, senes aut infirmi, indui posse et sepeliri, si locus vacaverit Redditorum; non tamen hoc eis promittatur. » Quibus ex verbis colligimus illos non habuisse ullam vestem regularem, sed tantum potuisse induere, ut numerum supplerent Redditorum, sicut de Donatis dictum est. Cum vero olim rarissime seculares in nostris cœmiteriis sepelirentur etiamsi famuli Domus fuissent, sed ad vicinam parœciam transportarentur, Gerardus Prior Cartusiæ, Rifferii successor, obtinuit ut « Præbendarii nostri possent

Stat. Ant. ubi supra n. 4.

Ex ch. 1268.

sepeliri in cœmiteriis nostris, etiam in habitu seculari. » Hujusmodi hominum genus videtur non fuisse multæ utilitatis. Nam « ordinamus, inquiunt Diffinitores, quod Præbendarii amodo non recipiantur in Domibus Ordinis, nisi de licentia Capituli generalis vel Prioris Cartusiæ super annum, quia multæ Domus non modicum aggravantur. » In victu et vestitu similes erant Donatis, sed utrorumque differentia in hoc solum posita erat, quod Donati Ordini se dedebant cum certis conditionibus, quæ a Præbendariis non requirebantur. Mulieres quoque huic statui a Monachorum conventibus quandoque adscriptas fuisse (licet in eorum Domibus non morarentur), discimus ex quadam Charta capitulari quæ admonet, ut « mulieres amodo in Domibus Ordinis Præbendariæ seu Donatæ non fiant, sine magna et matura deliberatione Visitatorum Provincialium et approbatione Capituli generalis, alias hujusmodi præbendæ irritæ sint et inanes. » Franciscus Puteanus, ut jam vidimus, huic abusui peritus occurrit, prohibens ne hujusmodi mulieres, aut etiam homines uxorati, ullo modo ad hunc statum reciperentur.

ANNUS 1173

Ex ch. 1309.

V. Stat. Nov. p. 3. c. 3. per totum.

Ex ch. 1423.

Sed tanti viri successores, ejus moti exemplo, attendentes istam variorum statuum multitudinem familiæ Brunonianæ superinductam, confusionem inordinatam parere ; æquum duxerunt ut non solum Præbendarii sed et Redditi, tum Clerici tum Laici, velut inutiles nostræ arboris pulli, tollerentur atque radicitus detraherentur, servatis tantum utilibus palmitibus. Quod tali decreto Novæ Statutorum Collectioni inserto fecerunt : « Statuimus de cætero, ut nullus omnino recipiatur in statum Redditorum Clericorum, vel Laicorum, aut Præbendariorum ; sed omnes Personæ Ordinis sint Monachi, Conversi, Donati, aut Moniales. » Cumque ineunte quo vivimus seculo, monachi cujusdam Domus quemdam in Redditorum gradum coaptassent, indignati Patres, per Chartam prohibent ne de cætero in illa vel alia Domo Provinciæ recipiantur Oblati Clerici vel Laici, quacumque occasione. Et jam recepti post compilationem Novæ Collectionis Statutorum nostrorum absque licentia Capituli generalis vel Reve-

Redditi et Præbendarii resecantur.

Nov. Coll. p. 3. c. 23. n. 1.

Ex ch. 1601.

ANNUS 1173

rendi Patris, habeantur pro non receptis. » Qua quidem prohibitione, medio eodem seculo, ad tres Provincias novo decreto extensa, ab eo tempore tota hæc gens periit ; ita ut memoria ejus vix apud nos hodie ulla restet. In quibusdam Summorum Pontificum bullis nostro Ordini concessis, fit etiam mentio Commissorum et Commissarum, sub quibus vocabulis, quæ sunt in usu apud monachos S. Benedicti, indistincte Redditi, Donati, Præbendarii et Oblati apud nos designati sunt, ut ex variis Capitulorum generalium Chartis discimus.

JESU CHRISTI

ANNUS 1174.

Alexandri PP. III	Ord. Cartus.	Guigonis II Pr. Cart.
Ann. 15.	Ann. 91.	Ann. 1.

I. ANNUS sequitur Redemptionis nostræ millesimus centesimus septuagesimus quartus, Indictione septima, quo vel vitam vel episcopales infulas dimisit Bertrandus Sistariensis episcopus. Hic ex Canonico ejusdem Ecclesiæ factus Cartusiensis in Domo Durbonensi, eamdem per viginti annorum spatium laudabiliter et utiliter rexerat, quando in Episcopum electus est, anno videlicet sexagesimo nono, ut colligitur ex quibusdam literis ab eo datis ineunte anno pontificatus sui secundo, in quibus dies et annus sic designantur: « Facta est Charta ista anno ab Incarnato Domino millesimo centesimo septuagesimo, tertio mensis Aprilis, Domino Alexandro Summo Pontifice, primo anno pontificatus nostri jam expleto. » Hæc a Patre Columbo in tractatu *de Rebus gestis Episcoporum Sistaricensium* referuntur. Sed vereor ne numero annorum aliquid incaute subtractum fuerit ab exscriptore, qui forsan legit « septuagesimo, tertio mensis Aprilis », pro septuagesimo tertio, mense Aprili. Nam invenio Bertrandum adhuc præfuisse Domui Durbonis anno millesimo centesimo septuagesimo, quo adfuit præsens cuidam donationi Majori Cartusiæ factæ ab Abbate Calesiensi, de qua vide supra. Aut certe est alius ejusdem nominis, qui translato prædecessori ad Sedem episcopalem successerit anno 1169. Ut ut sit, noster Episcopus vocatur sanctissimus a Burellano scriba, quem sæpius citat Columbus; et

BERTRANDUS EPISC. SISTAR. CARTUSIENSIS.

Lib. 2. num. 50 et seqq.

V. an. 1170.

50*

ANNUS 1174

in tabulario Sistaricensi pietate summus prædicatur. Anno 1172 præsens fuit cuidam donationi factæ cartusiæ suæ ; et coram ipso ventilata est controversia inter Milites Templi ac eamdem Domum Cartusiensem anno 1173, quæ inscripta est tabulis cartophylacii Boscaudunensis ; cætera optimi Præsulis gesta perierunt. Ejus obitus repertus est in Antiquo Calendario Durbonensi ad diem decimam octavam Aprilis, sed sine anno. Constat solummodo quod hoc præsenti anno in Novembri alter ei jam successerat, Bermundus scilicet ex illustri Andusiorum familia. Hunc quidam Nostrum inter Episcopos ex Ordine nostro assumptos annumerant, sed falso ; nam recte probant Sammarthani et Columbus, eum ad hanc dignitatem evectum fuisse ex Magalonensis Ecclesiæ Canonico. Nisi dicamus eum post abdicatum Episcopatum ad nos transiisse ; quod tamen ex nulla apparet autoritate.

DONATIO MILIT. TEMPL. IN GRATIAM CART. VAL. S. HUGON.

II. Hoc anno vel sequenti, Milites Templi in gratiam novæ Domus quæ ab anno superiori in Sabaudia, in valle S. Hugonis ædificabatur, dederunt Guigoni Majoris Cartusiæ Priori et ejus Conventui, quidquid juris habere poterant infra ejusdem nascentis cartusiæ terminos ; ea conditione ut totus Ordo Templi particeps sit omnium bonorum spiritualium quæ fiunt, tam apud Majorem Cartusiam, quam apud Vallem S. Hugonis. In cujus Cartulario literæ donationis extant sub tali sententia :

« Frater Albertus de Vallibus et F. Ysmion de Ais, cismarinarum Domorum Militiæ Templi Salomonis Procuratores, universis hominibus qui has literas viderint vel audierint, æternam in Domino salutem. Universitati etenim vestræ liquide pateat, quod nos ambo prælibati, consilio et gratuita voluntate venerab. Fratrum nostrorum Arnaldi de Turre, et Rob., Provinciæ et Yspaniæ Magistri, et Hugonis Guifredi, et omnis Conventus Fratrum tunc apud Ricarencas congregatorum, necnon et Fratrum Burgundiæ et Præceptoris illius Patriæ : donamus et relinquimus Deo et B. Mariæ et Fratribus in cœnobio Cartusiæ Deo servientibus, precibus et rogatu venerabilis G. Prioris ejusdem cœnobii, quicquid juris apud

Domum nostram pertinet et habet in possessione quam possident Fratres de Valle S. Hugonis, ut habeant illud in perpetuum ad peragendum servitium Christi; quatenus et nos et universi Fratres Militiæ beneficiorum illius loci et cœnobii Cartusiæ, Deo concedente, participes simus. »

ANNUS 1174

III. Circa hunc annum Petrus S. Remigii Remensis abbas ab Eschillo Lundensi archiepiscopo rogatus, ad generale Capitulum iterum scripsit, Patres congregatos commonens ut ad cartusiam in Dania inchoatam novos mittant operarios, qui adjuvent minorem numerum jam olim illuc missum, sed tum ad edendum Agnum non sufficientem. Hæc certius clariusque innotescent ex ejusdem Petri epistola, quæ talis est :

PETRUS CELLENSIS PETIT ALIOS MONACHOS IN DANIAM MITTI.

« Dominis et Patribus Basilio cum cæteris Prioribus Cartusiensis Ordinis, Frater Petrus humilis abbas S. Remigii salutem cum omni devotione. Ad glorificandum Christum vos convenire, quotiescumque convenitis, non ignoramus. De nullo itaque negotio seculari directionem cordis vestri impedire, sine dubio fas est. Commonere autem vos dignum est, ut quod facitis, usque in finem facere studeatis. Virtus enim boni operis de radice procedit bonæ intentionis, et in perseverantia dilectionis perficitur, et omnis laus in fine canitur. Melior est quoque finis orationis quam principium. Hæc ideo præmiserim, ut quia manum misistis ad fortia, semper ad ampliora et anteriora charitatis opera extendere contendatis, ad imitationem Ejus qui dum in mundo esset, porrigendo manum, corporum lepras, oculorum cæcitates, aurium surditates et labiorum silentia curavit. In fine vero prorsus in Cruce manus extendens, cœli et terræ universaliter plagas et vulnera antidoto Sanguinis sui curavit, et contra omnia recidiva validissimam medicinam in cornu Crucis omnibus posteris usque ad consummationem seculi reposuit, ut quicumque crucem suam post eum bajulaverit, vitæ æternæ compos et particeps, contrariam valetudinem timere non habeat. Frater iste præsentium lator, per nos et per multos alios, rogat mitti operarios de vobis in messem Domini. Messis enim multa in Dacia jam alba est ad metendum; sed operarii

ANNUS 1174

pauci, sed minor numerus qui non potest sufficere ad edendum Agnum. Non sit itaque vobis pigrum, non durum, non desperabile, mittere ex vobis qui nomen Dei et sanctum Ordinem vestrum in terra illa portent, in spe percipiendi fructus centesimi, aut potius millesimi. Corona vestra et gloria, si bono exemplo vestro animas plures Deus lucratus fuerit; et in regno gloriæ de salute aliorum merces vestra amplior et gloriosior, in conspectu Dei et sanctorum Angelorum erit. Valete. »

Ex hujus contextu epistolæ, fatemur non absurde posse concludi Cartusienses tunc in Dania non degisse, quando hanc scripsit Abbas, maxime cum dicat loquens ad Patres Ordinis: « Non sit itaque vobis pigrum mittere ex vobis qui nomen Dei et Ordinem vestrum in terra illa portent. » Curnam, dicet aliquis, Ordinem portarent in hunc locum, si ibi ab aliis jam consitus fuisset? Verum si hæc ita stricte accipienda sunt, nonne et de portando Dei nomine idem dici posset, quod et de Ordine? Sed quis absurditatem non videat? Sic igitur hæc verba intelligenda putamus, quasi diceret Abbas monachos in Daniam mittendos, ut illuc Ordinem Cartusiensem portent sicut et nomen Dei, id est ut utrumque jam portatum ibi ampliarent suo bono exemplo. Nam præterquam quod ex alia Abbatis epistola * satis liqueat monachos, aut saltem Rogerium, jam ante aliquot annos in Daniam perrexisse; ex hac quoque epistola cuique sagaciori apparet, Abbatem non ad novum opus inchoandum sed ad cœptum perficiendum Nostros adhortari, cum sic loquitur: « Commonere autem vos dignum est, ut quod facitis, usque in finem facere studeatis, etc. Hæc ideo præmiserim ut quia manum misistis ad fortia, semper ad ampliora et anteriora charitatis opera extendere contendatis. » Et post pauca: « Messis enim multa in Dacia jam alba est ad metendum; sed operarii pauci, sed minor numerus (intellige Cartusiensium) qui non potest sufficere ad edendum Agnum. »

* Supra ad an. 1162.

Novi mittuntur monachi.

His acceptis literis, Capitulum generale totius negotii effectnm commendavit Basilii prudentiæ, quem, vel saltem ejus

successorem, monachos ad B. Eskillum misisse colligimus ex Vita ms. S. Hugonis Lincolniensis, ubi autor narrat quomodo Frater ille famosus, nomine Aynardus, Majoris Cartusiæ Conversus, jussus in Daniam pergere, novellæ plantationi opem laturus, simplici quidem, sed obfirmatiori quam par erat, animo recusavit obedire. Postquam igitur Autor mirabilia de Fratris Aynardi constantiæ virtute retulit, hæc addit : « Et vero de Christi pugile fortissimo, id quoque referendum est, quod ei infirmius subrepsisse agnovimus, cum sit audire operæ pretium. Nam rigor pariter et moderatio sancti Ordinis illius ex eo vehementer elucet. Et vir sanctus qui humanitus subreptione quadam impelli ad lapsum videbatur, quam seipso fortior surrexisse demonstratur. Cum enim Christi miles emeritus, ac prævalidus vineæ Dominicæ operarius, quaquaversum dilatatam sacri hujus Ordinis Religionem, veluti vitis electissimæ propaginem, annis jam innumeris rigare non destitisset, et jam centenarius Cartusiam (ubi sacræ Religionis olim puer susceperat habitum) reversus, de cætero quieti operam dare disponeret ; repente jubetur in Daniam pergere ibique novellæ plantationi (fundandæ scilicet de recenti cuidam Domui) consuetæ solatium consolationis exhibere. Tunc ille non modice turbatus, nec tam itineris, quamvis longioris satisque laboriosi fatigationem, quam sibi olim suspectam gentis illius exhorrescens barbariem, signum crucis fronti suæ imprimens statim ait : A Dannemarchia libera me Domine. Consueverat enim, quamquam laicus et illiteratus, ad singula pene verba, Scripturarum sermonibus quos usu didicisset uti. Post hæc, pedibus se advolvens Prioris, supplicat instantius ne jam decrepitum cogat animos indociles hominum barbarorum ritibus ignotis subjicere, et ferendum eorum moribus quos semper exhorruisset, studium mentis violenter inflectere. Memorabat jam satis esse quod eatenus ad hujusmodi opera decertasset, cui et ætas et debilitas feriandum de cætero a tantis laboribus justa ratione præscriberent. Qui enim, inquit, a remotis partibus huc tandem respirandi gratia, et spiritum ad extrema præparan-

ANNUS 1174

Vita S. Hugon. Lincoln. l. 4. c. 13.

F. Aynardus Conversus eorum ductor eligitur.

Sed ire recusat.

ANNUS 1174

di, artus fatiscentes referre tantopere curavi, quonam pacto extra orbem ultraque oceanum mitti habeo, præsertim ad gentem cujus ne quidem linguam novi ? Talia eo frustra prosequente, perstat in sententia Prior, dicens probatam multo tempore industriæ suæ experientiam junioribus illuc dirigendis Fratribus omnimode pernecessariam. Tunc ille graviter suspirans : O, inquit, duram, O et amaram hujus diei conditionem ! Proh dolor qui tot annis obedientiæ meritum tantopere colui, nunc compellor aut inobediens inveniri, aut negotium mihi millies supra mortis supplicium semper exosum, propter obedientiam experiri. Cæterum istam, ut Deus adjuverit, expiaturus inobedientiam, semel dico Danemarcham in hoc corpore mortali degens nunquam certe videbo. Sic audaci voce locutus, singulorum pedibus in Capitulo (ubi hæc gerebantur) sese prosternit ut pro se intercedant ; quatenus a legatione adeo molesta mereatur absolvi, Fratrum universitati preces lacrymabiles fundit. Sed hoc agendo, cum nihil proficeret nec quo jubebatur ullatenus ire acquiesceret, ad terrorem aliorum extra habitationis suæ januam pulsus, sive projectus est.

Ejicitur ex Ordine.

« In tantum quippe provida illius sacri Ordinis censura inobedientiæ prosequitur vitium, ut quemlibet etiam in re levissima obedientiæ limites excedentem, a sua, cum volunt, societate eliminet. Verum ne multis immoremur, Aynardus ille antiquus et eximius Ordinis Cartusiensis institutor et propagator, ex Ordine et extra fores Cartusiæ ejectus, nudo sub aere jacens, fame torquetur et frigore ; veniam quidem petens, sed petendo nihil proficiens. Qui cum propriam supplicationem, ad obtinendam quam quærebat indulgentiam, prorsus cerneret inefficacem ; ad emendicanda plurimorum suffragia, corpore seminudus et discalceatus, universas pene Ordinis illius Domos adiit. Erat vero tempus jam mediantis brumæ, cum omnis illa regio glaciali rigore et nivium congerie, flatibus quoque hibernis exasperata, etiam bene vestito videbatur ad gradiendum incommoda. Nihilominus hic novus pœnitens et innocens veteranus, a castris in quibus tot lustra

Priorum Ordinis emendicat suffragia.

ANNUS 1174

splendide militando transegerat extorris, per aspera montium, per devexa vallium, ita ut erat nudulus, disgreditur. Nec enim qui, Protoplasti exemplo, Paradisi habitationem per inobedientiam meruerat amittere, per expellentis quoque misericordiam vestem pelliceam ut ille acceperat; quia sæpe in ira misericordiæ obliviscitur homo, cujus semper Deus recordatur. Sic igitur in iter die incedens et nocte sub dio recumbens, compluta et congelata membra, nunc saxo cuilibet omnino congesto nivium cumulo, raro vero rudi credebat telluris gremio, cujus ubique videlicet superficiem nix densissima cooperuerat.

Revertitur, sed repulsam patitur a janitore.

« Qui reversus demum, cunctorum pene totius Ordinis Priorum deprecatoriis onustus literis, venit jam nocturnis incumbentibus tenebris et umbris ad portam Cartusiæ; quem frater Portarius Cartusiæ nec sub patulum tectum ingredi permittens, cum esset quoque nimia cœli intemperies, exterius mediis nivibus pernoctare coegit; cujus amaritudine noctis nimis immoderata vexatus, mane tandem portario Aynardus loquens, ita facete dixit: Revera, inquit, Frater carissime, si nocte hac inter collidentes præ frigoris tormento dentes faba extitisses, etiam nolens te funditus comminuissem. Qui tandem sub regulari satisfactione susceptus et a Danemarcha ut petebat liberatus, in Angliam non longe post ad opus consuetum destinatur. Ita vero in Burgundia, quibus diu extiterat forma perfecte vivendi, in Anglia demum exemplar est effectus perfectissime pœnitendi: et cujus vita stantes informavit ad justitiam, ejus pœnitentia quandoque lapsuros instituit ad indulgentiam. De cujus hodie perenni memoria dignis et gestis et dictis, tanta per totam fere Angliam celebri sermone vulgata sunt, quod hæc ab ore narrantium, etiam sine scribentis suffragio, nulla in ævum, ut creditur, auferre prævalebit oblivio. Qui biennio ferme antequam hæc scriberentur, vigesimum sextum ut dicitur annorum transgressus lustrum, deficiens in senectute bona feliciter migravit ad Dominum. » Hactenus ex Vita S. Hugonis.

Tandem recipitur cum debita satisfactione.

Quo tempore hæc evenerint.

Etsi Aynardus non sit in Daniam profectus, attamen

ANNUS 1174

dubium esse non debet quin illuc monachi missi sint, cum res tanti momenti non videatur fuisse derelinquenda propter unius contumaciam Conversi. Id vero accidisse sub finem regiminis Basilii circa præsentem annum vel paulo post, conjicere est ex verbis ejusdem Autoris dicentis Aynardum jam centenarium jussum fuisse in Daniam proficisci ; et paulo post suam reconciliationem in Angliam destinatum, ac tandem vigesimum sextum annorum lustrum, id est centum et triginta annos transgressum obiisse, biennio antequam hæc scriberet. Quandonam autem hæc scripserit autor, dici non potest. Nam ex diversis ejusdem Vitæ locis deprehenditur huic scriptioni iteratis vicibus operam dedisse ; licet constat eum opus illud aggressum fuisse tantum post S. Hugonis mortem. At quidam rerum nostrarum Scriptores dicunt Aynardum obiisse anno sequentis seculi quarto. Quod si ita est centesimus illius ætatis annus referendus erit ad hunc quem agimus annum, vel paulo tardius.

ESKILLUS FUNDATOR FIT MONACHUS CLAREVALLENSIS ET MORITUR.

IV. Quantum vero temporis Cartusienses in Dania morati sint, nullibi scriptum reperitur ; quamvis verisimillimum sit eos nullam ibi fixam unquam habuisse stationem, ac propterea statim in Gallias rediisse, ut viderunt Eskillum se archiepiscopatu abdicasse : ille enim, relictis dignitate et patria, celeberrimum Galliarum cœnobium Clarevallense petivit anno 1178, ut habet rex Ericus ; ibique habitu Religionis suscepto summæ humilitatis et totius sanctitatis speculum exhibens, decessit quadriennio post, multis postmodum miraculis coruscus.

Ericus, Historia gentis Dan. ad an. 1178.

CONSTITUTIONES CIRCA EPISCOPORUM REVERENTIAM.

V. Circa hæc tempora, multæ Constitutiones editæ fuerunt circa honorem et reverentiam quam Episcopis ad nos venientibus debemus exhibere. Quarum præcipuæ postea insertæ sunt in variis Statutorum Antiquorum locis, quas habes tomo primo horum Annalium.

DE QUODAM EPISCOPATUM RECUSANTE.

Dorland. lib. 4. cap. 26.

VI. Ad hæc etiam tempora spectare possunt, quæ Dorlandus in suo Chronico narrat his verbis : « Cum tempore quodam unus ex his Patribus, nempe Domus Cartusiæ, ad Pontificatum esset electus, venirentque electores ut eum ad suam

Sedem cum honore traducerent, renuit ille vi maxima, ac penitus contradixit. Cumque illi acrius instarent, dixit uni eorum qui præstantior habebatur : « Scito, inquit, mi Frater, nolle me Episcopum fieri; sed, quæso te, persevera mecum in hoc loco usque in lucem sequentis diei. Cras enim hujus rei rationem agnosces. » Illo permanente, obiit sanctus Pater ipsa nocte, et humana exuens, cœlestibus est insertus. Mane facto, in multa lucis gloria viro uti promiserat apparuit, illo precibus incumbente, cui et dixit : En, ut cernis, in numerum adscriptus sum Beatorum ; sed si Pontificis fuissem onus aggressus, damnatorum me numerus excepisset. Hæc dicens, culmina cœli, viro inspectante, lætus ascendit. Fuerunt tamen nonnulli nostri Ordinis Priores, qui in magnis Ecclesiæ dignitatibus degentes, nec labefactari poterant nec corrumpi. Horum unus, ut cæteros omittam, magnus ille Antelmus est habitus. »

ANNUS 1174

Hæc Dorlandus, qui videtur ea mutuatus ab Henrico Calcariensi, qui rem, nisi sit historia altera, sic enarrat : « Honores mundanos et dignitates non curant Cartusienses, nec singularis notas sanctitatis reputant. Cum enim cuidam Priori Ordinis electo solemniter in Episcopum applaudere venissent Episcopi vicini et alii Domini, uni eorum dixit : Scito quod Episcopus esse nolo ; verumtamen quia moriar cito, mane hic et causam revelabo. Qui proxime mortuus, clara meridie apparuit illi in cella oranti, dicens hoc verbum : Scito quod si fuissem de numero Episcoporum, forem de numero reproborum. »

Calcar. in tract. ms. de Ortu Ordinis Cartus.

Simile quid legitur in Martyrologio Romano, ad sextam diem Februarii, de Nillamone recluso in Ægypto; qui dum ad episcopatum traheretur invitus, in oratione spiritum Deo reddidit. Consulenda est Nicephori Historia.

Niceph. lib. 13. cap. 17.

JESU CHRISTI

ANNUS 1175.

Alexandri PP. III.	Ord. Cartus.	Guigonis II Pr. Cart.
Ann. 16.	Ann. 92.	Ann. 2.

ALEXAND. III DAT BULLAM IN GRATIAM ORDINIS.

Inter Privilegia Ordinis, num. 4.

I. ANNUS sequitur millesimus centesimus septuagesimus quintus, Indictione octava, quo Alexander Papa a Nostris interpellatus contra quosdam qui eos infestabant, Archiepiscopo Viennensi et aliis ei subjectis Episcopis mandat ut molestantes nos in terminis vel pascuis cohibeant, nec sinant ab aliis Religiosis ædificari monasteria intra terminos nostrarum Domorum. Et ut eos ad id nobis efficacius præstandum excitet, hac utitur ratione, quod non lateat eos « quanto desiderio quantoque amore Fratres prædicti divinis intendant obsequiis, et abnegantes secularia desideria, rerum terrenarum delectationes spernentes, sobrie, juste ac pie in hoc seculo vivere elegerunt, et incessanter supernæ meditationi proposuerunt vacare. » Idem igitur cum Patribus nostris propositum teneamus, eodem desiderio eodemque amore divinis intendamus obsequiis, ut tum Summorum Pontificum, tum cæterorum Prælatorum, imo et omnium piorum hominum benevolentiam magis ac magis conciliemus. Integram bullam habes editam ad calcem Antiquorum Statutorum inter Ordinis privilegia. Porro Alexander hujusmodi concedendo privilegium, secutus est sancti Gregorii Magni exemplum et doctrinam, qui ad Marinianum Ravennæ episcopum scribens, demonstrat monasteriorum curam ad episcopos spectare. Quanto magis ad Summum Pontificem, cui incumbit Ecclesiarum omnium sollicitudo.

II. Ab eodem Pontifice, hoc eodem anno, Magister Brunonianæ in Calabria Eremi, Guillelmus de Messana, bullam aliam obtinuit, qua Alexander ei concessit ut qui voto tenerentur Sepulchrum Domini et S. Jacobi limina visitare aut alia religiosa loca, voto non obstante, possent Religionis habitum in suo monasterio suscipere. Hanc bullam accepimus e Domo nostra Calabrina sub sequenti tenore :

ANNUS 1175

VOTO PEREGRINATIONIS SOLVUNTUR QUI NOSTRAM PROFITENTUR RELIGIONEM.

Ex Archiv. Cartus.Calab.

« Alexander Episcopus, servus servorum Dei, dilectis Filiis Priori et Fratribus S. Stephani de Nemore, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Cum quidam, sicut accepimus, qui voto tenentur Sepulchrum Domini et limina B. Jacobi visitare, in ecclesia vestra desiderent habitum Religionis suscipere, a nobis sollicite postulastis, ut in hac parte nostrum vestris præstaremus assensum. Attendentes itaque quomodo in ecclesia vestra Religio ferventer per Dei gratiam observatur, autoritate vobis Apostolica duximus indulgendum ut si aliqui eorum, qui vel ad Sepulchrum Domini vel ad limina B. Jacobi aut alia religiosa loca visitare tenentur, in ecclesia vestra voluerint habitum Religionis suscipere et vobiscum Domino militare, liceat eos vobis, dummodo liberi sint, ad Conversionem vestram recipere et sine contradictione qualibet retinere, quia votum non violat qui in melius ipsum commutat. Datum Anagni, VII Kal. Dec. MCLXXV. »

S. ANTELMUS AB IMPERATORE HONORATUS.

III. Eodem etiam anno S. Antelmus super gregem suum vigilans, ad suorum civium instantiam ut par est credere, egregium a Friderico Imperatore privilegium obtinuit, quo licentiam habuit civitatem Bellicensem claudendi et munitionibus circumdandi et firmandi. Ipse vero Imperator Ecclesiam Bellicensem, « ipsumque, inquit, fidelem nostrum Antelmum episcopum » et ejus successores Episcopos, Canonicos, possessiones, homines tam ad Episcopum quam ad Canonicos pertinentes, eamdem civitatem cum omnibus appenditiis, in suam suscipit protectionem, aliasque singulares gratias in eodem privilegio expressas concedit. Datum fuit diploma 7 Calendas Aprilis in obsidione Toboreti.

S. PETRUS ARCHIEPISC. TARENTARIENSIS, CARTUSIENSIBUS FAMILIARIS

IV. Hoc anno die 8 Maii, ut recte arbitrantur eruditi Bol-

ANNUS
1175

In Cella Cartus. moratus.

landiani, obiit S. Petrus Tarentasiensis archiepiscopus, qui Cartusiam sæpius adire solitus et in cella solitarius pluribus mensibus commorari visus est, ad cujus obsequium S. Hugo (postea Lincolniensis episcopus) deputatus erat, ut habetur in ejusdem S. Hugonis Vita his verbis.

Vita S. Hugon. ms. l. 1. c. 13.

« Per idem tempus vir sanctissimus Tarentasiensis archiepiscopus Petrus, Cisterciensis monachus, Cartusiam sæpius adire solebat, ibique in cella solitaria infra Sanctorum illorum habitacula (quæ sunt mellita quædam alvearia) pluribus per intervalla mensibus, ut apis prudentissima commorabatur; aut certe ut columba mitissima et mansuetissima in arca tutissimæ quietis, ibi cum Noe respirabat fugiens seculi tumultum, quasi impetum aquarum inundantium ac universam fere terrarum faciem misere obruentium. Hic vero sacris meditationibus et spiritualibus Sanctorum vacans collationibus, alterum cum Paulo Paradisum se credebat invenisse. Unde persæpe ad tertium rapiebatur cœlum sublimis theoriæ. Hujus itidem Hugo mancipabatur obsequio, servitio delegabatur.

Cum S. Hugone sæpius conversabatur

Quis enim dignius sancto Hugone tanti viri interesset arcanis? Quis membra sanctissima purius contrectaret, foveret dulcius, sollicitius demulceret? Quis illo devotius serviret tanto Præsuli? Quis sciret, quis posset tam facetum, tam acceptum exhibere Sancto Dei famulatum? Si lectio recitari, si quælibet sententia in tanto librorum pelago inquiri petebatur et inveniri, quis utrumque competentius, sed celerius, sed libentius adimpleret? Ad manum ei omnis, quæ posceretur, Scriptura erat. Si de paginis veteris, si de novi Instrumenti vel Testamenti sermo erat; si gesta Sanctorum, si tractatus Doctorum inquisitionem movebant; Hugonis solertiam nihil latebat. Cum Sanctus ille loqueretur, hic auditor erat mansuetus et docilis. Cum loqui juberetur, pronunciator acutus et mirum in modum efficax in eloquio et suavis. Si illum senem, si hunc juvenem pariter videres; Petrum et Joannem sibi redditos et conjunctos existimares. Et ille quidem ætate et nomine Petrus, hic Joannes gratia et obsequela. Obsequebatur namque in cunctis gratiose, quæ senis poterant aut reverentiæ aut animo grata esse.

ANNUS 1175

EUM HABEBAT MINISTRUM.

V. « Abluebat frequenter pedes ejus et osculabatur osculo cordis sui, quia osculo oris non sinebatur. Diluente autem illo, ut referre solitus erat, plantas ejus et tibias, aiebat ei Sanctus : Fili etiam superiora lavari indigent, lava secure et bene. Asserebat enim hoc genus fomenti infirmiori corpusculo suo plurimum conferre. Extat usque in præsens, sub declivi montis latere quo itur a Monachorum mansionibus ad Fratrum diversoria, sedes quædam pro Sancti illius pausatione, ac si frequentius in eundo et redeundo usque ad sudorem fatigati, parata. Neque enim ibidem equitare, quia vel Priori illius loci hoc minime licebat, Archiepiscopo aliquatenus licebat. Est autem sedes hujusmodi, ita ut cominus duæ proceritatis immensæ abietes locum sessionis humanæ capacem medio inter se spatio præberent; his per transversum incisis modice, insertus est vectis taxeus, quadrus, nec multum grossus. Hoc totum erat illius Cathedræ pontificalis opus. In hac sedentem vidimus aliquoties jam episcopum Hugonem, de suo quondam Archiepiscopo jam regnante in cœlo, hæc et alia nobis gratissime referentem, et sudorem suæ sanctæ faciei extergentem ; non enim parum laborabat et ipse in ascensu viæ illius. In throno excelso isto nobis, qui ab eo hæc audivimus, sedere jucundum fuit, mirantibus lignum aridum crescentibus arboribus ita insolubiliter compaginatum, ut obduci pene videretur cicatricis utrimque incisio. Quidam et hoc miraculi loco ducebant, pro abietibus per quater ternos vel eo amplius annos in aera crescendo in tantum elevatis, quatenus sedile trabis insertum, in sublime nullatenus evectum, ita esset solo contiguum ut etiam hominis exigui sessioni cerneretur accommodum. Quod etiam ita recens apparebat, ac si succum nativum nondum exuisset.

« De Archiepiscopo hoc etiam commemorabat quod post stratus sui ingressum, ut fatigata diurno labore quiete nocturna membra relevaret, dum hunc Hugo in lecto componeret et vestibus operiret, quotidie hanc eum orationem proferre audiebat : « Præsta quæsumus, omnipotens Deus, ut de perceptis muneribus gratias exhibentes, beneficia potiora

ANNUS 1175

sumamus. » Quotidie vero et benedictionem petentem ministrum suum Hugonem muniebat, et autoritate Pontificali a peccatis omnibus absolvebat, et monitis spiritualibus instruebat. Nihil denique utilium subtrahebat, sed omne consilium quod sciret ipse profuturum ei et pluribus per eum, sollicite illi manifestavit. »

PARENTES S. PETRI CARTUSIENSIBUS BENEFICI.

VI. Hunc erga Nostros amorem cum lacte hauserat sanctus Præsul a parentibus, quorum sanctam vitam Gaufredus (Vitæ illius autor) describens, hæc laude digna de eorum pietate erga Cartusienses intexuit: « Deputaverant mollia fulcra pauperibus, ipsi in palea recubantes; et cum tota domus xenodochium videretur, assignata est pauperibus et peregrinis propria cella seorsum. Religiosos non modo suscipere sed expetere satagebant; maxime vero Cartusiensibus et Bonevallensibus, in quibus maxime complacebant congrua ferre cibaria, et salutis consilia ab eisdem non modo sibi sectanda, sed pluribus communicanda referre. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1176.

Alexandri PP. III Ann. 17.	Ord. Cartus. Ann. 93.	Guigonis II Pr. Cart. Ann. 3.

ALEXANDER PAPA ORDINEM COMMENDAT CUNCTIS ECCLESIÆ PRÆLATIS.

I. MILLESIMUS centesimus septuagesimus sextus, Indictione nona, sequitur annus, quo Prior Cartusiæ Guigo videns molestias hominum inquietorum non cessare, Alexandrum Papam iterum rogat ut literas commendatitias, non ad Archiepiscopum Viennensem, ut anno superiori, sed ad Prælatos omnes in omnium Ordinis Domorum gratiam concedere velit. Ejus precibus abunde satisfecit Summus Pontifex, scriptis sequentibus literis, indiciis amoris et existimationis plenissimis, quarum exemplar in solo Durbonensis Cartusiæ Cartulario hactenus reconditum, in lucem proferimus ad Patrum veterum laudem et Nostri consolationem et æmulationem.

« Alexander, etc. venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, et dilectis filiis Abbatibus, et aliis Ecclesiarum Prælatis in quorum parochiis Domus Cartusiensium Fratrum consistunt, Sal. et Apostol. Benedict. Nostis, sicut credimus, quomodo dilecti filii nostri Fratres Cartusienses ea religione præeminent et virtute ut læsi ulcisci non quærant, et malint juxta verbum Apostoli injuriam pati quam in jure contendere; et ideo tanto propensiori studio adesse debet eis Apostolicæ Sedis suffragium, quanto minus pro suis justitiis defendendis volunt contentionibus detineri. Inde est quod tam religiosos viros charitati vestræ sollicite commendantes, monemus Fraternitatem vestram attentius et hortamur, qua-

ANNUS 1176

tenus prædictos Fratres, pro reverentia Jesu Christi et suæ Religionis obtentu, propensius diligere et honorare curetis, et ipsis uberius exhibeatis interventu nostro charitatis et humanitatis affectum. Quia gratum Deo, sicut credimus, obsequium exhibet et acceptum, qui prædictis Fratribus reverentiam exhibet et honorem. Vobis quoque præsentium autoritate mandamus atque præcipimus, ut eorum jura illæsa et integra conservetis et faciatis ab aliis, quantum in vobis est, conservari; nec in pascuis, vel in aliis possessionibus ipsorum, indebitum a quolibet permittatis gravamen inferri. Et ita super his diligentes et vigiles existatis, ut qui suæ Religionis obtentu malunt malefactoribus cedere quam cum eis causam intrare, per studium vestræ sollicitudinis jura sua possint pacifice possidere. Datum Anagniæ, XIII Cal. Julii. »

Extat inter Privil. num. I.

Aliquot post mensibus aliam bullam Guigo impetravit, qua Alexander Ordinis personas in tutelam Apostolicam recepit, bona nostra, terminos omnesque libertates confirmavit; privilegiumque anno superiori datum explicando, prohibet ne quis alterius cujuscumque Ordinis Religiosi infra dimidiam leucam a terminis nostris, possint ædificare aut possessiones acquirere. Extat diploma Pontificium ad calcem Statutorum Antiquorum inter Ordinis privilegia, et in editione Conciliorum Labbei. Sic autem incipit bulla : « Alexander, etc. Dilectis filiis Guigoni Priori Cartusiensi ejusque Fratribus, etc. » In autographo videtur primitus scriptum fuisse « Hugoni », sed postea ex industria ita deletum, ut prima litera H vix appareat. Cartularius Majoris Cartusiæ tempore Francisci a Puteo collectus eum vocat Hugonem ; sed in Durbonensi Cartulario trecentis fere annis ante Cartusiæ Cartularium exarato distincte nominatur Guigo, tam in præfatæ bullæ quam alterius anno sequenti describendæ apographis. Unde potius Statutorum Antiquorum editioni fidem habendam esse credimus.

Tom. X. Conc. Labbei.

B. STEPHAN. DE CASTELL. FIT CARTUSIANUS.

II. Hoc præsenti anno, B. Stephanus de Castellione vigesimum sextum ætatis annum agens, ad Cartusiensium Instituta apud Portas convolavit, futurus postea Diensis episcopus. Sed libet ex ejus Actis hic delibare, quæ priusquam manum

mitteret ad fortiora nostri Propositi exercitia, adolescens gessit in seculo. Vitam ejus cum rhytmice primum quidam scripsisset, et idcirco obscure, alius cujus etiam nomen latet prosa reddidit, annis circiter quinquaginta vel etiam amplius post Stephani obitum. Ex hoc ultimo autore mutuatus est Surius quæ de B. viro scripsit; sed quia stylum non nihil mutavit et expolivit, nos relicta editione Suriana, ipsa autoris verba exscribemus ex manuscripto codice. Ac primum autoris Prologus talis est :

ANNUS 1176

Prologus in ejus Vitam.

« Beati Stephani Vitam, eremi quondam incolæ Portarum, brevissimo stylo rhytmice quidam conscripsit, cujus ratione, ut in literis consonantibus mutis vel liquidis non peccaret, varia divaricatione procedens, præcedentia consequentibus seu consequentia præcedentibus minime in serie hujusmodi Vitæ concordare videntur. Ob hoc tali præludio sic obscuro quidam decepti, in dicta Vita ex hujusmodi carmine obscuriores redduntur. Nec illius scriptoris ingenio in aliquo derogare intendimus; sed quæ capacitas legentium, ut plurimum, talia metra ad liquidum non comprehendit. Idcirco nunc simplici et brevi oratione, juvante Deo, dictam Vitam tentabimus explicare; quatenus et brevis narratio tædium pellat, et simplex elocutio facilem intellectum admittat. Curabimus autem pro viribus, ne tam sanctæ vitæ veritatem excludamus; et ne ignorata scribentes, falsitatem admittamus. Miracula etiam quædam quæ in vita Sanctus iste gessit, seriem temporis non admittunt, quum quo tempore sint patrata brevitas carminis non declarat. Ponentur tamen seriatim post ipsius Episcopatus adeptionem, licet privata persona et solitarius existens aliqua ex ipsis exercuisse credatur. Si vero hic aliqua minus lucide fuerint declarata, stylo dulci carminis causa imputetur, brevius et velocius procedenti, non ejusdem interpreti qui noluit addere quod nescivit. In quatuor autem capitulis dividitur hæc Vita, ut lector facilius quod quærit valeat reperire. Primum enim capitulum tangit ejusdem Sancti secularis vitæ palæstram. Secundum, militarem seu eremiticam Domus Portarum disciplinam. Tertium, ipsius ad

ANNUS 1176

Episcopatum promotionem cum miraculis in vita peractis. Quartum et ultimum, de miraculis post mortem ipsius evidenter ostensis. Porro beatum hunc Stephanum vitam sanctorum Antelmi Bellicensis et Hugonis Lincolniensis episcoporum, qui ante eum ad Domini gloriam ab hac luce migrarunt, pro forma imitationis in pluribus notatur captasse. Et ideo quædam scripta virtutum eorumdem sanctorum Episcoporum, in quibus idem S. Stephanus ipsos est imitatus, non incongrue Vitæ suæ consequenter exaratæ videntur inserta. Postremo lectoris benevolentiam et attentionem ad sequentia plurimum invitamus, ne linguæ pauperis indigentiam parvi pendat; sed potius hanc Vitam sic ad sui profectum assumat, ut talis profectus scriptori etiam causa mercedis existat. » Deinde Acta ejus sic prosequitur :

A QUIBUS ORTUS.

Cap. 1.

III. « Lugduni, quæ Provinciæ Galliarum civitas nobilis et famosa, Stephanus extitit oriundus; cujus pater, Dominus de Castellione, christianæ religionis et sanguinis nobilitate insignis. Consortem hujusmodi titulo decoratam est sortitus. Horum duplici stipite tam illustri, sanctus alumnus extitit procreatus : arbor enim bona fructum suaviorem producere consuevit. Hunc ab ipsis cunabulis Dei servum futurum, signis quibusdam est ostensum, quod non absurdum videtur inseri huic lectioni. Nam prius cruci Christi cœpit configi, quam adhuc posset effari. Quod enim fere incredibile videtur, verum tamen, nutricis lacte infantulus educandus tali se edulio feria sexta foveri recusans, diem transigebat inedum; quod parentes et noti audientes et videntes, manum Domini jam in eo operari cernentes, illud idem quod dictum fuit de Baptista Joanne dicere cogebantur : Quid putas puer iste erit? Dum vero ab uberibus abstractus in pueritiam coalescere cœpisset, a parentibus traditur sacris literis imbuendus. Puer autem, et gratia plenus et ingenio pollens naturali, non solum in scholis supra ætatem et præ coætaneis suis proficiebat; sed etiam mirum in modum gratiosum, docilem, humilem et amabilem omnibus se præbens, jam professionem futuræ vitæ velut naturaliter inchoabat. Bibebat enim quoti-

Sextis feriis infans abstinet ab uberibus.

ANNUS 1176

die aquas Sapientiæ salutaris, et de die in diem seipso prudentior fiebat, annis puer, senilem moribus ætatem agebat, lasciviæ puerilis ignarus. Nam in disciplina morum profectuque virtutum, unctione Sancti Spiritus magistra, etiam super omnes se docentes noscitur effulsisse. Adolescentia vero pueritiam dirimente, cœpit manifestius apparere quid esset in eo, et gratia in eo vacua non videri. Videns enim devotus et nobilis adolescens, quam in maligno et in præceps mundus esset constitutus, consideransque illud Apostoli : Quod esca ventri, et venter escis, Deus hunc et hanc destruet ; carnes spernens, a tali se cœpit edulio penitus abstinere. Stupebant autem omnes et mirabantur virtutem, eoque amplius quo minus inter seculares, et potissime nobiles et divites usitatam. Videres tunc ex multorum cordibus cogitationes revelari : alii enim sanum sapientes, adolescentis constantiam et abstinentiam mirabantur ; plerique quæ carnis sunt sapientes, levitati propter ætatem deputabant. Verum ille nihil sine consilio agebat, nam habuit consilium a Propheta : Bonum est viro cum portaverit jugum a juventute sua. Quod enim multis contingere solet in illius ætatis fervente confinio, ut novæ suggestionis vento mentem pulsante blanda pudoris naufragia patiantur, hoc ille providus anticipaverat, combiberatque jamdudum castitatis amorem, ut pectus virtutibus insertum nulla turpi cogitatione vexaretur ; addebatque virtutibus virtutes, turremque indesinenter ædificabat, cujus usque in cunabulis jam jecerat fundamenta ; crescebant virtutum arbores quas gratia Dei in corde ejus plantaverat, et in vitam fructificabant æternam. Jejunabat propensius et orabat, et quantum poterat misericordiæ operibus intendebat ; sed et cum bene vivendi formam ostenderet in seipso, seipsum nullatenus ostentabat ; morum gravitatem præferebat in vultu, modestiam mentis incessu et habitu fatebatur. » Hæc fuerunt quasi prima virtutis rudimenta quibus Stephanus vitam suam in seculo informavit. Quo vero pacto ire de virtute in virtutem cupiens, nostrum fuerit Institutum amplexus, pergant Acta sic enarrare :

Etiam a carnibus factus adolescens.

Incumbit operibus misericordiæ.

ANNUS
1176

QUO PACTO NOSTRUM INSTITUTUM AMPLEXUS.

IV. « Inter hæc contemplationis amore flagrabat; ut qui semper bonis meliora, melioribus optima adjungere satagebat. Jam enim velut in transitu prælibaverat quam Dominus est suavis, et totis medullis cordis soli Deo vacare cupiebat, ut quasi prælibatam dulcedinem pleno gutture mentis hauriret. In juventutem vero virilem jam adolescentia protracta, juxta exemplum David, cum Goliath infernali gygante singulare certamen inire cupiebat. Locum vero certaminis hujusmodi conflictui aptum cernere concupiscens, prius cœpit tentare utrum armis Saulis accinctus, scilicet secularis nobilitatis, incedere posset armatus; vidensque se hujusmodi loricis oneratum, non enim taliter incedere consuetudinem habebat, locum et arma mutavit. Nam considerans se fortem viribus et animo virilem (viginti sex annos enim jam habebat), ipsius David exemplo quinque lapides de torrente in pera reponens, id est stigmata Jesu Christi cum Apostolo in corde et corpore portans ; baculumque pastoralem, scilicet discretionem qua vitiis imperaret et seipsum rationabiliter gubernaret; fundam manu tenens, scilicet Sacram Scripturam opere volens implere : ad campum certaminis properabat. »

Cum Stephanus obierit anno suæ ætatis quinquagesimo octavo, et hic ab Autore dicatur viginti sex annos habuisse quando de secessu in solitudinem cogitare cœpit; hinc recte colligimus natum fuisse anno Christi 1150 et a seculo conversum hoc præsenti anno. Sed nunc audiamus qualem se inter nos præstiterit :

« Audiens vero Domum Portarum huic certamini aptam, nam et alii cum similibus in dicto loco victores extiterant de prædicto Goliath, illuc usque perrexit ut an verum esset exploraret. Cernens vero locum aptiorem esse re quam nomine, in immensum gloriatus vires resumpsit majores. Inter cæteros enim ibi cognovit duos fortissimos athletas ibidem Priores extitisse, qui gloriose de ipso Goliath triumphantes, perpetuæ felicitatis coronam reportarunt. Quorum primus extitit Bernardus, ad cujus instantiam beatus Bernardus

Ordinis Cisterciensis exposuit Canticum Canticorum; qui et post mortem in dicta Domo Portarum sepultus, *multis* miraculorum signis meruit refulgere. Alter vero non imparis conditionis et meritis fuit Antelmus, qui primitus Prior Cartusiæ existens, deinde dictæ Domus Portarum, postmodum episcopus Bellicensis est effectus; cujus vitæ sanctitatem multa miracula, tam in vita quam post mortem, per ipsum perpetrata declarant. »

ANNUS 1176

Notandum obiter videri Autorem hic confundere Bernardum Portarum Protopriorem cum altero Bernardo ejusdem Domus monacho et postea episcopo Bellicensi, ad cujus, non vero ad Protoprioris instantiam, S. Bernardus abbas Clarevallensis suum opus in Canticum Canticorum aggressus est, ut suo loco diximus. Sed Vitam Stephani persequamur :

Habitum sumit in Domo Portarum.

« Priori igitur ac Conventui dictæ eremi sui pandens intentionem duelli, supplicat instantia magna in præbendarium* et servum omnium eisdem in monachum aggregari. Qui gratanter facilem ei præbuerunt assensum, a quibus per pacis osculum, juxta morem eorum monasticum, cum magna fuit devotione receptus. Hortantur ipsum demum Prior et Fratres juxta eorum consuetudinem Statutorum : quatenus de querelis, si quæ essent, satisfaciat; ac facta sua, usque dum licet, ordinet et disponat; diemque certum statuat quo habitum velit induere regularem, in campo certaminis ibidem in condicto duello pugnaturus. Sed qui sine querela semper vixerat, cui obnoxius erat? Qui mundana semper spreverat, quomodo ipsis irretitus erat? Brevem igitur terminum assignat, tum forte pro indumentis fiendis aut aliis necessariis præparandis. Tempore ergo assignato adest athleta fortissimus, quominus cum Goliath infernali pugnaturus. Statimque habitum induens regularem, cum maximo fervore ibidem conversatus est, ita ut in brevi, in Ordinis observantiis et regularibus disciplinis instructus, seipsum imitandi specimen cunctis præberet. Licet enim plures ibidem miræ sanctitatis et pœnitentiæ viros reperisset, tamen in brevi per multa sanctitatis opera, seipsum præbuit Religionis exem-

* Alludit verbis quibus petimus ad Ordinem admitti

ANNUS 1176

Corpus domat.

plum. Holocausti autem Hostiam totum se offerens Deo, mori mundo, ut Christus in eo viveret, satagebat. Domabat corporis membra vigiliis, jejuniis et flagellis, et juxta morem Ordinis, usu cilicii, et potu aquæ cum arido pane. Nihil de ulla austeritate omittebat, quam communis Regula, vel Majorum admittebant exempla. Nam cum tres abstinentias in pane, aqua et sale singuli Fratres hebdomadibus singulis, juxta Ordinis constitutionem facere tenerentur; cum ipse Ordinis observantias ultra alios rependeret cum usura, vix in ejus mensa, pro majori tempore, non poterat reperiri nisi panis et aqua. Panis enim ab una parte positus, ab alia liber apertus, vicissim sibi lumina distrahentes, utrique homini alimoniam ministrabant. Scutella vero aquæ ibidem constituta poculum præbebat, et salsum. Tali edulio servus Dei contentus, altero epulo mensam suam rarius onerabat.

EJUS PIETAS ERGA SS. ALTARIS SACRAMENTUM.

V. « Sacramento Altaris tam devotus erat et intentus, ut totus lacrymis perfusus ipsius Cruci Christi crucifigi videretur. Cæterum tota ejus vita in terris ingens quoddam miraculum fuit. Propriam voluntatem omnimodis studuit abdicare; otiositatem (quæ inimica est animæ) vitare; orationi, meditationi, contemplationi, ac sanctarum theoriis psalmodiarum die noctuque vacare; labori manuum et exercitio corporali temporibus ab Ordine insistere constitutis; nullum tempus pertransire, quin ut bonus agricola in agro Dominico laboraret. Pro hujusmodi augebatur in dies amor et fervor ejus in Deum, ac opinio et ejus sanctitas inter Fratres, grandeque nomen ejus intus et foris, non tamen rei grandius veritate. Omnes Stephanum Christi militem laudabant, omnes eum attollebant, omnes eum loquebantur, omnes de eo admirabantur. Et ut interiorem ejus hominem taceamus, cujus pulchritudinem, fortitudinem et puritatem satis indicabant mores ejus et vita ; ipsum exteriorem uno semper modo ita modestissimo et decentissimo gessit, ut nihil prorsus appareret in eo quod posset offendere intuentes. Quis nisi coram Deo et Angelis ejus eum crederet conversari? Et ut fidem dictis faciamus, unum de multis non solum ad admirandum,

Ab Angelis visitatur.

verum etiam ad imitandum perstringamus. Quis enim enumeret omnia opera ejus sancta? Cum quadam vice Christi athleta coram Crucis signaculo seu crucifixo, orationi vel contemplationi inhæreret, subito ecce Angelus Domini in humana specie, qua a sanctis hominibus videri consuevit, astitit juxta ipsum, ipsius operibus delectatus. Huic facto testimonium perhibuerunt qui viderunt, homines utique religiosi valde et fide dignissimi, quos divina, ut creditur, ordinatione, ut testimonium perhiberent de homine, casualiter illuc contigit advenisse. Verisimile enim est credendum hoc eidem multoties evenisse : sed talem thesaurum diligenter occultabat, ne humanæ laudis aura subrepere potuisset. »

Hactenus Acta de his quæ solitarius in Domo Portarum gessit, usque ad annum 1196 quo fuit factus ejusdem Domus Prior, ut ibidem dicturi sumus.

GUILLELMUS EPISC. MAURIANENSIS OBIIT. Vide an. 1176 n. 3.

VI. Circa eadem tempora vel abdicavit vel obiit Guillelmus episcopus Maurianensis, ad quod munus e Cartusia assumptus fuerat post Guidonis mortem; nisi sit idem utroque nomine perperam appellatus, ut jam alibi monuimus.

MAJOREVENS. CUM NANTUAC. MONACHIS CONCORDANT.

VII. Hoc anno nostris Majorevensibus cum Nantuacensibus Benedictinis dissidium variis de causis, sed præsertim quod illi quosdam ex his ad nostrum Institutum admisissent, intercessit; quod statim, ne veterem quam inter se hactenus amicitiam coluerant discindere viderentur, ad amicos detulerunt, eorum dirimendum arbitrio; quod sine mora cum utriusque partis approbatione præstitum est, confecta sequenti Charta, ex cujus tenore apparet quanta solertia Nostri cum suis vicinis pacem servare aut turbatam redintegrare, vel etiam pecuniis aliquando redimere studuerint :

« Finalis actio, lege tam divina quam humana, juris autoritate præcellit. Sciat ergo quicumque hanc Chartam vel legerit vel audierit, quod omnia scripta quæ ab initio diversis temporibus, diversas ob causas et per diversas personas, inter Nantoacenses Seniores et Fratres Majorevi facta sunt, consensu et voluntate utriusque Domus in hac ultima conventione in unum redacta et consummata sunt; ut omnis occasio

ANNUS 1176 litium et calumniarum tollatur e medio, et pax inter utrosque, Deo donante, in perpetuum conservetur. Quia enim ortæ fuerant inter eos quædam calumniosæ querelæ a diversis diversa sentientibus, posuerunt se præfatæ Domus in consilio et definitione quatuor virorum : Domni videlicet Bernardi archipresbyteri Ambroniacensis, Fulcherii Prioris claustralis, Petri Prioris Rumilliaci, Aimonis Granaterii; ut quidquid isti definirent, pars utraque adquiesceret atque laudaret. Prædicti itaque mediatores, ad invicem, ut mos est, prius conferentes, et post in Capitulo sententiam suam cunctis audientibus referentes ; statuerunt et adjudicaverunt juste et religiose omnino ut omne jus et dominium, sicut olim scriptum et factum est, quod Domni Nantoacenses intra terminos exteriores habebant, in pace dimiserunt Fratribus Majorevi..... Homines vero qui seculo abrenunciare et Deo servire voluerint recipiant, præter professos monasterii..... Hæc sententia et diffinitio virorum prædictorum in Capitulo recitata, communi favore et ore proprio a singulis laudata est et confirmata. Ad majorem etiam confirmationem et pacis tenorem, dictum et statutum est ut pars utraque ante Archiepiscopum Lugdunensem et Episcopum Gebennensem veniat et hanc Chartam eorum sigillis confirmari faciat; simul se et sua eis concedentes divina et ecclesiastica constringere justitia, si quis ea quæ prædicta sunt violare præsumpserit vel prævertere tentaverit. Sed ne quis præsentium vel futurorum æstimet Fratres Majorevi, gratis, vel violentia, aut calliditate aliena possidere, noverit qui ejusmodi est, quod pro hac ultima Conventione Dominis Nantoacensibus Fratres Majorevi dederint trecentos quinquaginta solidos, præter Fratrum refectorium. Alias olim diversis temporibus quinquaginta sex libras et decem solidos eis impenderunt præter pitantias quorumdam, quarum summa est sexaginta et duorum solidorum, et præter benevolas accommodationes, quarum est summa triginta librarum. Absit autem ut hoc dicamus improperando, sed ut obviemus querelis calumniosorum, qui et Heremitas dicunt cupidos, alienorum invasores, et Monachos

prodigos rerum suarum effusores. Data sunt etiam cum pecunia, non pauca terræ concambia...... Hæc Diffinitio et hæc Charta lecta, laudata, et confirmata est in Nantoacensi Capitulo, præsente Domno Humberto Priore, omnique Conventu. Interfuerunt autem de Majorevo : monachi, Domnus Gaucelmus Prior, Vicardus, Valterius, Stephanus Procurator ; Conversi vero isti : Bonusfilius, Petrus, Humbertus, item Petrus, Aimo. Sacerdotes hi sunt : Bernardus archipresbyter Ambroniacensis, Aimo, Sisimundus et Sisibodus de Nantoaco, Petrus de Balmeto. Clerici sunt hi : Stephanus Chaboldi, Stephanus Parini. Interfuerunt etiam milites isti : Largerius de Martiniaco, et Evrardus Bollat de Mona, Guido de Nat. Burgenses adfuerunt isti : Gaucerannus et Villelmus frater ejus, Villelmus Piscardi et Benedictus frater ejus ; et plures alii. Factum est autem hoc anno, ab Incarnatione Domini M. C. LXX sexto. ANNUS 1176

JESU CHRISTI

ANNUS 1177.

Alexandri PP. III Ann. 18.	Ord. Cartus. Ann. 94.	Guigonis II Pr. Cart. Ann. 4.

GUIGO CARTUSIÆ PRIOR LABORAT PRO CONFIRMANDIS CAP. GEN. ORDINATIONIBUS.

I. MILLESIMUS centesimus septuagesimus septimus, Indictione septima, adest Christi annus, quo Guigo Majoris Cartusiæ Prior pergens impositum sibi totius Ordinis regimen strenue exequi, cuncta quæ hactenus in Comitiis generalibus sancita fuerunt, curavit a Summo Pontifice approbari et confirmari. Venetiis tunc temporis Alexander præstolabatur Fridericum Imperatorem, pacis Ecclesiæ ab annis octodecim turbatæ reformandæ gratia. Interea Frater Terricus, sive Theodoricus, Cartusiæ Sylvæ Benedictæ Conversus, ipsius Imperatoris filius vel frater nothus (quem vidimus pacem hanc conciliare nitentem), Fridericum præveniens, Venetias ante eum se transtulerat, ubi primum ab Alexandro multa privilegia in gratiam non solum totius Ordinis, sed et diversarum cartusiarum obtinuit. Ac primum cum audiisset Cartusienses Seizenses, ex quibus quosdam optime noverat, ob parvam a fundatore relictam dotem ad incitas reductos, locum velle deserere ; literas ad Ottocharum fundatoris filium, apud Imperatorem tunc agentem, ab ipso Alexandro obtinuit, quibus Summus Pontifex illum serio admonebat ut monachos a patre evocatos propensius diligeret, suppetiasque necessarias eis dari curaret. Non extant hæ litteræ, sed earum habetur mentio in alia bulla, quam tertio post suum Venetias appulsum die ad ipsos monachos jussit scribi, in qua titubantes

Terricus Sylvæ Bened. Conversus, diversas a Papa gratias obtinet.

ANNUS 1177

eorum animos ad constantiam his verbis adhortatus est : « Alexander, etc. Dilectis filiis Abbati et Fratribus Cartusiensibus in Valle Sancti Joannis morantibus, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Cum divina inspirante gratia, mundo et pompis ejus penitus abrenunciantes in districtæ Religionis habitu soli Domino elegeretis militare, decet vos divitias seculi et blandimenta respuere ; tribulationes, angustias et paupertates patienti animo sustinere, ut eorum participes esse mereamini, quibus dictum est : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsi possidebunt terram. Ideoque discretionem vestram per Apostolica scripta monemus attentius et exhortamur in Domino, quatenus Religionem et honestatem Ordinis vestri et claustri custodiam incessanter, sicut convenit, observantes, ita operibus charitatis studeatis diligentius insudare, quod exinde Creatori vestro possitis merito complacere, et æternæ retributionis præmia auxiliante Domino promereri. Nos enim dilectum filium nostrum virum Ottocharum marchionem Styriæ per nostra scripta attente rogavimus, ut propensius vos diligat, manu teneat, et honoret, et vobis in faciendis Domibus vestris consilium conferat et auxilium opportunum. Datum Venetiis, in Rivoalto, 7 Calend. Aprilis. » Notandum in his literis Ottocharum vocari tantum marchionem ; nam Ducis dignitate tribus tantum post annis in Comitiis Imperialibus Norimbergæ habitis a Friderico decoratus fuit. Quem vero fructum ab ipsis commendatitiis literis Seizenses perceperint, post quinque annos dicemus.

CALESIENSIBUS PROHIBETUR ORDINEM MUTARE.

II. Deinde Alexandrum Venetiis Ferrariam pergentem F. Terricus secutus est, ibique alteram ab eo impetravit bullam, qua Calesiensibus monachis prohibebat ne sine monachorum Cartusiæ consensu Ordinem pristinum mutarent. Hi enim post Bernardi primi sui abbatis, et post S. Hugonem Gratianopolitanum Institutoris ad Valentinensem episcopatum electionem, primo disciplinæ regularis ardore defervescente, tanto langori desidiæque sensim se dediderant, ut Ordinem mutare ac tandem habitum deponere decreverint. Hoc audito Cartusienses a quibus Calesienses quondam pepende-

ANNUS 1177

rant, Guigonis ejusdem monasterii alumni, tunc vero abbatiam Buscaudunensem secundo gubernantis, precibus forsan excitati, ignavos monachos in disciplina et monasterio continuere; obtentis Fratris Terrici diligentia, ut diximus, sequentibus ad eos Alexandri literis:

Ex Tabul. Maj. Cartus.

« Alexander dilectis filiis Abbati et Fratribus Calesiensibus, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Volentibus per opera Religionis omnipotenti Domino deservire, nihil est quod amplius expedire noscatur quam Ordinis perseverantiam habere, et charitatis atque honestatis virtutem totis viribus imitari. Inde est quod universitatem vestram per Apostolica scripta monemus attentius, atque propensius præcipimus quatinus observantiæ Religionis et Ordinis vestri diligenter intendere studeatis; nec præsumatis occasione transeundi ad aliam Religionem, habitum vestrum deponere aut Ordinem, unde scandalum possit vel discordiam Fratribus Cartusiensibus suboriri, aliquatenus immutare; ita quod de constantiæ virtute apud Deum et homines possitis non immerito commendari. Datum Ferrariæ, VIII Idus Maii. » Deinde suscepta saniori sententia, de habitu dimittendo non jam cogitarunt; sed accersitis e Bonevallensi abbatia Monachis, Cisterciense Institutum quod tunc maxime vigebat, amplexi sunt.

ALEXANDER III CONFIRMAT INSTITUTIONES CAPITUL. GEN.

III. Altera post datam præfatam bullam die, Venetias sine mora Alexander remeavit, cujus vestigiis semper inhærens Terricus Pontificium diploma impetravit, quo, ut diximus, ad Guigonis Cartusiæ Prioris instantiam, factas et faciendas per Capitula generalia Institutiones confirmabat, potestatemque impertiebat instituendi et destituendi Priores, ac personas Ordinis corripiendi, quibus non liceat appellare. Extat quidem editum ad Statutorum Antiquorum calcem, sed sine Prioris nomine, quod tamen in vetustissimo Durbonensis cartusiæ Cartulario distincte exprimitur, ut sequitur:

« Alexander Episcopus, servus servorum Dei, Dilectis filiis Guigoni Priori et Fratribus Cartusiensibus, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Cum sitis Religioni et honestati faciente Domino dediti et operibus charitatis intenti, præter

commune debitum vos speciali volumus prærogativa diligere et fovere, et vestris semper intendere commodis et augmentis. Inde est quod nos Religionem vestram, quæ per gratiam Dei circumquaque redolet odore virtutum, volentes de die in diem robur et incrementum suscipere, et ad anteriora semper extendi; ea quæ generale Capitulum Ordinis vestri provida circumspectione disposuerit et ordinaverit de instituendis et destituendis Prioribus; et ea etiam quæ in Ordine salubriter statuit vel statuerit, et justitiam quam super illos fecerit quos Ordini rebelles esse constiterit, autoritate Apostolica confirmantes, rata et firma decernimus in posterum permanere. Statuentes ne cui liceat appellatione vel alio modo institutioni Capituli vestri contraire. Datum Venetiæ, in Rivo alto, V Idus Julii. »

ANNUS 1177

Ex Cartul. Durbon.

Hujus bullæ meminit Choppinus, dicitque « Regiam ad sacrosanctas potestates nominationem non procedere in Cartusiensi, primatu cujuscumque Conventus monastico. » Et inter rationes quas affert, hanc ultimo exprimit ex præfata bulla : « Nam eximio singularique electionum jure suffultum est Cartusiense sodalitium, bullatis Alexandri III codicillis. »

Chopp. Monast. lib. I. tit. I. n. 6.

Alias quoque literas ejusdem Fratris interventu, in gratiam Domus Luvigniaci Alexander Venetiis adhuc commorans concessit, quibus hanc Domum ab omni decimarum solutione eximit; suntque ejusdem tenoris ac plures aliæ a Summis Pontificibus toti Ordini concessæ. Has vero subscriptis suis nominibus firmaverunt Cardinales, qui Venetias Pontificem secuti sunt, quos idcirco duximus subjiciendos : « Hubaldus Ostiensis episcopus, Chunradus Salisberiensis Minister et Sabinensis episcopus, Guillelmus Portuensis et Sanctæ Ruffinæ episcopus, Manfredus Prænestinus episcopus, Illebrandus* basilicæ duodecim Apostolorum presbyter cardinalis, Boso presbyter cardinalis Sanctæ Pudentianæ tituli Pastoris, Theodinus presbyter cardinalis Sancti Vitalis tituli Vestinæ, Petrus presbyter cardinalis tituli Sanctæ Susannæ, Jacobus cardinalis diaconus Sanctæ Mariæ in Cosmedin, Arditio cardinalis diaconus Sancti Theodori, Cinchius cardinalis

Aliis Ordinis Domibus Bullas concedit.

* Hildebrandus.

ANNUS 1177

Sancti Adriani, Hugo cardinalis diaconus Sancti Angeli, Laborans diaconus cardinalis S. Mariæ in Porticu, Raynerus diaconus cardinalis Sancti Georgii ad velum aureum. Datum Venetiis, in Rivo alto, per manum Gratiani S. R. E. subdiaconi et notarii, sexto Idus Augusti, Indictione X, Incarnationis Dominicæ anno MCLXXVII, Pontificatus vero Domini Alexandri Papæ III anno XVIII. »

Item donationem Domui Sylvæ Benedictæ confirmat.

Circa hæc tempora idem Terricus Sylvæ Benedictæ Conversus, ab Humberto Sabaudiæ comite in paternæ fundationis augmentum impetraverat villam de *Ars* eidem cartusiæ vicinam, divino judicio paulo ante eversam, cujus incolæ duras Nostris molestias inferre solebant. Venetiis igitur agens donationem hanc confirmari curavit obtentis ab Alexandro Pontificiis literis, quas in fidem hujus eversionis placet hic adjicere :

« Alexander Episcopus, servus servorum Dei, Dilectis filiis Priori et Fratribus de Sylva Benedicta, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Ex tenore literarum vestrarum et diligenti relatione dilecti filii nostri Terrici fratris vestri, manifeste nobis innotuit quod cum villa de Ars ita esset proxima domui vestræ ut Religioni vestræ impedimentum præstaret, divino judicio ab hostibus destructa et cum capella est penitus combusta. Licet autem territorium ejusdem villæ de pecunia quam nobilis vir Humbertus Maurianensis comes dederat sitis adepti ; et locum ubi capella ejusdem villæ fuit, de concessione venerabilis Fratris nostri Viennensis archiepiscopi Apostolicæ sedis Legati, in cujus episcopatu est, habeatis ; ipsius tamen villæ et capellæ territorium, quia idem territorium ultra terminos Domus vestræ distenditur, dubitatis sine autoritate nostra tenere. Nos autem volentes paci et quieti Domus vestræ diligenter intendere, et attendentes quomodo præscriptum territorium ad sustentationem Fratrum ejusdem Domus et conservationem Religionis est admodum necessarium ; de benignitate Sedis Apostolicæ dispensative vobis duximus indulgendum ut territorium ipsius villæ, tam id quod infra quam id quod intra terminos ejusdem Domus

consistit, sicut a vobis est pia et rationabili providentia conquisitum integrum, et territorium præscriptæ capellæ, sicut a prædicto Archiepiscopo canonice vobis concessum est, et locum ubi Capella ipsa fuit, possitis amodo sine qualibet nota tenere : ita quidem quod vos in aliis, vel aliæ Domus Ordinis vestri id non possint nec debeant in exemplum assumere, quominus suis terminis sint contentæ. Prohibemus autem ne prædicta reædificetur amodo, quam cum ibi non sit habitatio hominum, capella ipsa non est amodo necessaria. Nulli ergo omnino hominum, etc. Si quis autem, etc. Datum Venetiæ, in Rivo alto, III Calendas Augusti. »

ANNUS 1177

Juxta mentem Summi Pontificis Robertus archiepiscopus Viennensis tanquam loci Ordinarius, concessionis a se factæ literas, quibus etiam prohibet ejusdem ecclesiæ instaurationem, impertiit in hunc modum :

Robertus Archiep. Viennens. eamdem approbat.

« Notum sit omnibus hominibus quod ego R. sanctæ Viennensis ecclesiæ Archiepiscopus, Apostolicæ sedis Legatus, dono et concedo vobis dilectis filiis Priori et Fratribus Sylvæ Benedictæ locum qui dicitur Ars, ut habeatis illum et jure proprietatis possideatis. Interdicimus quoque juxta prohibitionem Domini Papæ, ne aliquis clericus aut laicus de cætero audeat in eodem loco ecclesiam aut oratorium construere. Ut autem hæc donatio firmior habeatur, proprio jussimus muniri sigillo. » Desunt dies et annus.

A quibus vero hostibus hæc villa fuerit diruta ? « Communis est opinio, inquit noster Molinus, quod fuit ab hostibus humani generis eversa, Illius judicio indeclinabilique sententia, qui severior ostenditur in ulciscendis injuriis suis famulis illatis quam in suis propriis. Aliquid simile ante aliquot annos evenisse narrat Robertus de Monte cuidam castro, quod super Cluniacense monasterium invitis monachis et prohibente Papa ædificaverat Hugo, cognomento Discalceatus. De quo castro mentionem facit Petrus Venerabilis in suis epistolis. » Hæc Molinus, qui suam traditionem probat ex his præfatæ bullæ verbis : « Cum villa de Ars Religioni vestræ impedimentum præstaret, divino judicio ab

ANNUS 1177

hostibus destructa et cum capella est penitus combusta. » Verum etsi patriæ traditioni nobis non sit plane reluctandum, putamus nihilominus hanc eversionem et combustionem potius a militibus excitatam, licet non sine divino judicio, ut loquitur Papa. His enim temporibus Humbertum Sabaudiæ comitem legimus bellum gessisse in his regionibus, contra S. Ægidii Comitem Beatricis comitissæ Viennensis tunc maritum. Vel etiam ut scribit Chorerius, hujus oppidi incolæ Summo Pontifici infensi, cum adhærerent Schismaticis, Humberti partes Alexandri tuentis, armis victi, penitus cum oppido extincti sunt.

Chor. Hist. Delphin. t. 2. lib. 2. sect. 18.

ENGELBERTUS PRIOR VALLIS S. PETRI FIT EPISC. CABILONENSIS.

IV. Hoc anno vel sequenti, ut conjicere est ex Traimundi literis, Engelbertus Prior Vallis S. Petri, post tot exhibita virtutum indicia tum in commissæ sibi Domus regimine, tum maxime in S. Thomæ Martyris negotio, in Cabilonensem Episcopum, faciente, ut par est credere, Alberto cardinale Legato magistro quondam suo, assumptus est, non sine multo reluctamine. Quis enim silentio et solitudini studere volebat, solitudinis et silentii commodis privari reformidans, tales dignitates ex obliquo aspiciebat; collum tamen subdidit omni obedientiæ, ut qui cæteros ad obediendum edocere habebat, ipse primus quod dictabat impleret. Notandum vero est contra Claudium Roberti in *Gallia Christiana,* sive potius contra Polycarpum quondam nostrum, ab eo laudatum Engelbertum, non post dimissum episcopatum factum fuisse Priorem Vallis S. Petri et deinde Montis Dei; sed cum antea fuisset Prior Vallis S. Petri (ut jam diximus), creatum esse Episcopum et ex Episcopo rursum factum fuisse simplicem monachum, ac demum Priorem Montis Dei, ut inferius dicemus.

Ei congratulatur Henricus Abbas Clarevallensis

Hist. Franc. scriptor. t. 4. Epist. 12.

Traimundus monachus Clarevallensis de illius ad episcopatum promotione, nomine Henrici Clarevallensis abbatis et postea Cardinalis, pluribus ei gratulatus est epistolis, quarum prima sic habet :

« Sermo bonus egressus a Domino non indigne quidem de vestra nos electione lætificat, quos in vestra pariter dilectione sublimat. Gaudemus siquidem ad altiora conscendere

quos amamus, et eos præsertim de quorum datur conversatione præsumere, quod eis in signum gratiæ operationemque virtutis sublimis adveniant culmina dignitatis. Specialiter autem ex vobis specialem sumimus in hac promotione lætitiam, ubi ea materia exultationis offertur per quam in arctioris amicitiæ statum præcedentis gratiæ merita fœderentur. Illa enim Ecclesia vos suscipit in Pastorem, per quam vos mater Ordinis est habitura Pontificem. Ita ut similis gratiæ parentela in subditam linea descendente progeniem, habituri simus amodo viscera pii Patris, in quo habebamus hactenus simplicis benevolentiam dilectoris. Cæterum et prædictæ matri nostræ, sicut bene confidimus, eo amplius assistetis et sua in omnibus jura servabitis, quo piæ Religionis æmulari propositum ab ipsa infantia ætatis vestræ didicistis. Devotis ergo precibus cœlestis nobis exoranda est potentia, ut operis hujus initia stabili salubritate promoveat, et ut multiplicando pondus oneris, amplificet et dilatet incrementa virtutis. Ut autem hæc ipsa incrementi vestri primordia lætis undique fulciantur auspiciis, rogamus prudentiam vestram quatenus in negotio Longivadi, et nostræ necessitudinis et vestræ memineritis honestatis. Providentes intercedentibus nobis, quod vel negotium ad Domus illius pacem, et commodum dirigatur. Si quas ergo vel nostras vel aliorum literas habuistis, quæ prædictæ Domui exceptionem soluti contractus opponant, eas nobis loco magni muneris redhibete. Facturi rem gratam et acceptabilem cordi nostro, si Domum Longivadi ab hujus litigii discrimine liberetis. »

ANNUS 1177

Scribens idem Traimundus ex parte præfati Henrici, sic iterum Engelberto gratulatur :

Altera ejusdem ad eum epistola.

Idem Tom. Epist. 13.

« Convaluit in Domino spiritus meus vestræ felicis promotionis auspicio, quam utique acceptabilem Deo, salubrem vobis, Ecclesiæ utilem, et utrique nostrum arbitror esse communem. Nam in nobis si ad charitatis respicitur unionem, ego ipse quodammodo intelligor esse promotus, qui vestræ dilectionis glutino mediante, in corde v. et a. v. vestræ sum paternitati conjunctus. Ideoque attributæ vobis cœlitus digni-

ANNUS 1177

tati felices processus et successus uberes imprecamur, optantes ut eam sibi non privatus ambitus, sed publicus debeat vindicare profectus, deturque nobis per illam de justitiæ semine lætitiæ manipulos portare. Quod utique divina præeunte gratia hac vobis ratione continget, si prodesse magis assueveritis quam præesse, et quodam æmulatoriæ imitationis obtentu sollicitum vos prædecessoris vestri præstiteritis successorem ; cui sic exuberaverit pietatis liberalitas in egenos, ut præsto semper esset justitiæ severitas in tyrannos. Confido ego, carissime, hoc ipsum vobis ex divina provisione collatum, ut ei succederitis in opus sollicitudinis, cujus tam vitæ quam actionis exemplum vobis esset speculum sanctitatis. Gerenda est ergo vobis Ecclesiarum tutela, cura pauperum, defensatio pupillorum. Talibus enim hostiis promeretur Deus. Et quoniam quod plus est cordi, magis instat affectui, Altacumbæ nostræ memoriam facimus specialem, pro illa preces, sed pro illa intercessiones utiles effundendo, ut curam ejus, quam ego omnino non possum deponere, vos si placet vestris affectibus imponatis; remota prorsus ambiguitate scientes, quod mihi specialiter erit exhibitum quidquid ei fuerit de gratia, et vestri favore patronatus impensum. »

Electio Abbatis Clareval. ei commendatur.

Cum Henricus Abbas Clarevallensis electus sit tantum anno 1177, hinc colligimus Engelbertum factum fuisse Episcopum circa idem tempus. Mortuo deinde Abbate Cisterciensi, idem Traimundus futuræ electionis curam Engelberto commendat his verbis :

Idem to. 4. Epist. 14.

« Necessitas amicum probat, et intimæ charitatis ardorem splendor exhibitæ subventionis elucidat. Si quando igitur, vel nunc maxime nobis vestræ dilectionis experimenta præbebitis ; cum et nos urget et vestræ imminet Clarevalli, in quo et ei et nobis animi vestri benevolentiam demonstretis. Angit enim nos vehementer ; nec dubium omnino quin angat Cisterciensis electionis instantia, ne dum a multis magnisque personis Matris dignitati concurritur, in jacturam et dispendium filiæ recurratur ; instantibus utique Fratribus Domus ipsius, ut qui Tolosani turbinis fluctus integra rate nos enavi-

gasse putavimus, in portus nostri finibus naufragemur. Rogamus ergo vos, et tanta necessitate conclamante deposcimus, quatinus relictis curis omnibus et intermissis ad tempus, vestrum ad nos acceleretis adventum ; ita ut infra Dominici Natalis octavas vestris in hoc opere et consiliis et auxiliis in Domino perfruamur. Videtur autem nobis, nisi forte vobis aliter videatur, ut Durandum hortari et inducere debeatis, quod ad conservandam pacem nostram pie ac prudenter invigilet, et assensum suum contrariis suggestionibus non inclinet. »

ANNUS 1177

Cum suo Capitulo discordat.

Anno 1179 adfuit Engelbertus Concilio Lateranensi solus ex Provincia Lugdunensi, sed non solus inter Episcopos ex nostro Ordine assumptos, ut eodem anno videbimus. Dedit Capitulo suo Ecclesiam de Arconceyo, necnon Miloni abbati sancti Stephani Divionensis ecclesiam de Pruneriis anno 1181, sexto Calendas Junias. Motam litem Petri decessoris cum Capitulo anno 1182 in Octavis Paschæ composuit, quoad canonicatuum et beneficiorum collationem quam ad jus episcopale pertinere ostendebat Petrus, delectis in hanc rem arbitris Abbatibus Firmitatis et Flavignei. Sed lite postea recrudescente, cum crederet Engelbertus sui jura episcopatus præfata lædi conventione, renuit ad beneficia admittere quos sibi Capitulum præsentabat. Interpellatus super hoc Alexander III Summus Pontifex, commissarium nominavit Episcopum Augustodunensem, qui pendente lite beneficia attribueret a Capitulo nominatis, modo idoneis. At Engelbertus arrepta occasione caræ solitudinis recuperandæ, non ex animi irritatione ut perperam scribit Decanus Sanjulianus in Catalogo Episcoporum Cabilonensium vernacule conscripto, sed solo pacis amore, abjecta Pontificali infula, ad Montem Dei sub obedientia carissimi sui amici Simonis victurus se recepit, consentiente etiam Joanne ad Albas Manus archiepiscopo Lugdunensi suo metropolitano, qui et ipse postea apud Claramvallem in monachum attonsus est, ut constat ex Vita S. Hugonis Lincolniensis. Verum enim vero sua tranquillitate diutius frui non sibi licuit. Translato enim ad

Episcopatum dimittit.

Vit. S. Hugon. Lincoln. lib. 5. c. 15.

ANNUS 1177 superos B. Simone, lacrymis et precibus Fratrum devictus, quantumvis renitens Prioratus administrationem subire cogitur, ut dicemus anno 1184.

JESU CHRISTI

ANNUS 1178.

Alexandri PP. III	Ord. Cartus.	Guigonis II Pr. Cart.
Ann. 19.	Ann. 95.	Ann. 5.

I. CHRISTI annus millesimus centesimus septuagesimus octavus sequitur, Indictione undecima, quo Simon Montis Dei Prior, de quo jam multa præclara superioribus annis narravimus, nomen sibi in dies sua pietate et doctrina atque animi constantia apud omnes tantum acquirebat, ut Petrus cardinalis Sancti Chrysogoni in Galliam anno præterito Legatus ab Alexandro missus, et ab eo requisitus ut viros ad Cardinalatum promovendos ei deligeret, inter cæteros et primos nominaverit Simonem. De qua re grave extat testimonium ex sequenti ejusdem Legati epistola ad Summum Pontificem :

SIMON PRIOR MONTIS DEI A S. R. E. LEGATO COMMENDATUR.

Ex Montis Dei ms.

« Sanctissimo Patri et Domino Alexandro, Dei gratia Summo Pontifici, Petrus sola dignatione divina tituli Sancti Chrysogoni presbyter cardinalis, salutem et obedientiam tam devotam quam debitam. Jam pridem literas Beatitudinis vestræ recepimus, continentes ut inquirere deberemus quæ personæ de regno Francorum aut de partibus illius possent in Romanam Ecclesiam promoveri. Sane cum proposuissemus ad Sanctitatis vestræ pedes redire, nomina illorum quos ad hoc dignos et idoneos credimus, viva voce potius circumspectioni vestræ volebamus exprimere quam literarum commendare figuris.

Summo Pontifici proponitur ut dignus Cardinalatu.

« Cæterum, quod cum sine dolore dicere non possumus, multos Patrum nostrorum Episcoporum et Cardinalium ad

ANNUS 1178

se revocaverit Dominus, et Ecclesia remanserit ipsorum solatio destituta, et nos juxta mandatum vestrum pro pace inter illustres Francorum et Anglorum Reges confirmanda, et hæreticorum extirpatione, in partibus illis aliquantulam moram facere debeamus ut Ecclesia Dei sub sancto Apostolatu vestro et merito et numero possit augeri; Sanctitati vestræ duximus significandum quod N. Clarevallensis Prior et Prior de Monte Dei de Ordine Cartusiensi, et literati sunt, et honestate et religione prædicantur insignes; et nos tantum vita et conversatione cognovimus, quod in puritate conscientiæ et sine scrupulo alicujus dubitationis audemus consulere ut ipsi a vobis debeant promoveri. Magister autem Balduinus abbas de Fordenne, quamvis eum non viderimus, a toto Ordine Cisterciensi de multimoda literatura, honestate, et religione potissimum commendatur. Licet autem venerabilis vir P. Igniacensis abbas non sit adeo literatus, cum tamen Dominus frequenter per eum miranda operari dignetur, de sanctitate ipsius non est quomodolibet dubitandum. Porro beati Remigii Remensis, et S. Crispini Suessionensis Abbates, literati, discreti existunt, et inter alios terræ et Ordinis illius Abbates non dubitantur honestate et religione longius præeminere. Literaturam et honestatem Magistri Petri Manducatoris, decani Trecensis, vos non credimus ignorare. Magister autem Bernardus Pisanus quondam Præpositus ejus, tantæ literaturæ est, et ita honeste et laudabiliter est semper in illis partibus conversatus, quod ei ab omnibus sufficiens testimonium perhibetur, et maximis honoribus dignissimus reputatur. Præterea Magister Girardus Puella discretus et literatus existit, et de omnimoda ejus honestate ab omnibus qui eum noverunt testimonium perhibetur, sicut Apostolica circumspectio videre potuit et audire. Ivo quoque Rothomagensis Ecclesiæ archidiaconus et Magister Herbertus Medicius, non minori inter alios creduntur probitate lucere, cum et eorum suppetat scientia literarum, et ad perfectioris vitæ meritum multarum sibi adesse confidamus ornamenta virtutum. Ad hæc juxta mandatum Beatitu-

dinis vestræ, cippiam * illam bonæ memoriæ W. quondam Portuensis Episcopi recepimus, et candelabra præcepimus nobis afferri. Significavimus etiam venerabili Fratri nostro Pictavensi Episcopo, et Alberto et Canonicis Lemovicensibus et quibusdam aliis, quod si aliqua sunt de bonis ipsius Episcopi apud eos deposita, illa nobis faciant sine dilatione assignari. Et si negotium per nuncium congrue non poterit perfici, nos ipsi ad eos accedemus. Nos autem cum ad pedes Sanctitatis vestræ, Domino volente, venerimus, prædictam cupam et candelebra et si qua alia de bonis ipsius Episcopi poterimus invenire, vobis curabimus Domino auxiliante deferre; aut si vobis placuerit per fidelem nuncium præmittemus. »

* Cupam.

Bernardus abbas Suession. Cartusiensium amantissimus.

Ughel. in Episc. Portuensi et Prænest.

Ex mss.Cart. Montis Dei.

Pet. Cellen. Epist. 103.

Hanc epistolam præsenti anno, vel paulo post datam fuisse conjicimus ex his quæ de Guillelmo Portuensi episcopo anno superiori defuncto habentur. Ex aliis ibidem denominatis, unum ad cardinalatum postea evectum fuisse comperimus, videlicet Berneredum, sive Bernardum, S. Crispini Suessionensis abbatem nostri Ordinis amantissimum. Cum præfato præerat monasterio, clanculum ad Montem Dei se recipiebat pietati tutius vacaturus. Solus aliquando veniebat, aliquando unanimi sibi Petro Cellensi tunc Remigiano abbate comitatus, ut ex quadam ad nostrum Engelbertum Vallis S. Petri Priorem epistola elicitur. « Abbas inquit, S. Crispini nobiscum ad Montem Dei venturus est, et mandat ut nobis ibi occurratis. Si ergo potestis, facite quod amicus rogat. » Factus Cardinalis, post solitudinem et maxime ad Montem Dei aspirabat, ut idem Petrus in suis literis testatur. Cum vero per singulos dies lamentaretur ob impositam sibi novam dignitatem, nonnihil levaminis sentiebat si quandoque daretur solari in viris Religiosis, et maxime sui Ordinis. Unde aliquando profectus ad Montem Cassinum, ubi tum Regula vigebat, ibidem contracto morbo, biennio post adeptum cardinalatum mortuus est ac sepultus; cujus statim sanctitas prodita est miraculis teste eodem Petro ad Petrum de Pavia episcopum Tusculanum, in epistola in qua de ejus desiderio iterum

Montem Dei frequentat.

Epist. 163.

ANNUS 1178

In quo cellam Episcopatui vult præferre.

recipiendi se in cartusiam Montis Dei, sic loquitur : « A quo primordia cognitionis et dilectionis cum Abbate SS. Crispini et Crispiniani piæ memoriæ habuistis, nisi a nobis?... Romam certe ad Concilium non ivisset, nisi illum misissem. Præter spem et præter voluntatem meam, illum retinuistis et fratrem et parem vobis fecistis. Hoc tamen nec illi nec nobis placuit. Mallet cellam Montis Dei incolere, ut frequenter mihi scripsit, quam episcopalem cathedram tenere. Quid igitur? Deus qui omnia conclusit, et meas querimonias prævenit faciendo quod facere pie et misericorditer consuevit, prævenit illum in benedictionibus suis, et quem olim amicum et fratrem in terris habebamus, nunc Dominum et Sanctum in cœlis veneramur. Miracula enim quæ fecit Deus, testimonia credibilia sunt sanctissimæ conversationis ejus. »

Præter Bernaredum et quosdam alios, forsan et nostrum Simonem et cunctos quos Alexandro Petrus cardinalis indicaverat, ipse Papa promovisset nisi morte fuisset præventus.

FRIDERICUS IMPERATOR MULTA CONFERT DURBONENSI CARTUSIÆ.

II. Hoc eodem anno cum Fridericus Imperator Provinciam lustraret, Vapinco cum Imperatrice per aliquod tempus demoratus, quanti Cartusienses faceret insigni facto demonstravit. Domum namque Durbonensem duabus leucis Vapinco dissitam invisens, a quibusdam Nobilibus terras et pascua intra ejusdem cartusiæ terminos posita sibi et Imperatrici tradi petiit, eaque statim Nostris transcripsit, dato paulo post apud Viennam sequenti diplomate :

Ex Archiv. Cart. Durbon.

« Fredericus Dei gratia Rom. Imp. Augustus. Imperatoriæ Majestatis celsitudinem plurimum honoris et gratiæ apud Dominum et homines promereri non dubitamus, si Regi Regum et Dominatori omnium debitum honorem et reverentiam exhibentes, servis quoque illius et maxime contemplativis, pacis commoda et quietis securitatem summa cum devotione procurare studeamus. Hinc est igitur quod in Vapincensi palatio, una cum consorte Imperii nostri Felici Augusta consistenses, Raimundum de Monbrant et Arnaldum fratrem ejus atque Ugonem de Axio ante nostram præsentiam convocari præcepimus, a quibus sedula intercessione

nostra, et eorum benigna ac spontanea concessione, laudante et assensum præbente Guillelmo comite Forcalqueriensi et Arnaldo Flota, obtinuimus ut totum jus et dominium quod in bonis venerabilium in Christo Pauperum de Durbone habebant vel habere videbantur, in Nos et in Felicem Augustam nostram titulo donationis conferrent, sive infra terminos in territorio eorum vel extra terminos in pascuis eorumdem : quæ omnia tamen eis jamdudum concesserant. Item prænominatus Forcalqueriensis comes Guillelmus, a nobis vocatus, pedagium quod prædictis Fratribus in terra sua remiserat et pascua quæ jamdudum eis donaverat, simili donationis titulo in nos voluntarius transtulit. Nos autem hæc omnia prætaxatis Fratribus nostra Imperiali magnificentia contulimus, statuentes et nostræ autoritatis edicto firmiter præcipientes, ne de cætero ulla persona privata vel publica, parva vel magna, ecclesiastica vel secularis, eisdem Fratribus, quos in speciale Imperialis nostræ protectionis patrocinium suscepimus, molestiam aliquam seu gravamen quacumque occasione inferre præsumat. Si quis autem (quod absit) hæc nostræ Majestatis statuta contra præsentis paginæ constitutionem infirmare, ac sæpius nominatos Fratres de Durbone sua temeritate confisus disturbare, aut qualibet occasione gravare præsumpserit, banno nostro innodamus, et a gratia nostra penitus exclusus sexaginta libras auri purissimi in pœna componat, medietas fisco nostro inferatur, residua medietas injuriam passis persolvatur. Ad cujus rei memoriam et perpetuam observationem, præsentem Chartam jussimus conscribi et sigilli nostri impressione communiri, salva Imperiali justitia. Testes aderant Gregorius Vapincensis Episcopus, Vernensis Episcopus et Præpositus suus, Nicolaus Bremensis abbas, Prior Rometæ Bernardus, Cambonus Vapincensis archidiaconus, Stephanus Præpositus, et alii plures. Datum apud Viennam anno Dominicæ Incarnationis 1178, 18 Calendas Septembris, Indictione II, Chatberto Priore Durbonis. »

ANNUS 1178

III. Lugdunum paulo post accedens, ab Angionensis cartu-

ET ANGIONENSI.

ANNUS 1178

siæ Priore rogatus, quicquid juris habere poterat ratione Imperii infra ejusdem Domus terminos libenti animo impertiit, eamque sub Imperiali protectione suscepit, dato sequenti diplomate :

Ex originali apud Major. Cartusiam asservato.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Fredericus divina favente Clementia Romanorum Imperator Augustus. Ad Imperatoriam pertinet Majestatem personis ecclesiasticis et præcipue viris Religiosis plurima bona conferre, et collata scriptis imperialibus roborare, ne donationes factæ pietatis intuitu, vel maligna perversitate mutationem suscipiant vel per longam temporis successionem ab humana memoria delabantur. Notum igitur sit omnibus Imperii nostri fidelibus tam futuris quam præsentibus, qualiter nos divinæ pietatis intuitu religiosis viris Cartusiensis Ordinis qui morantur apud Alionem, donamus et concedimus quicquid ipsi in locis ad Dominium et jus imperiale pertinentibus infra terminos suos concluserunt; et quæcumque ipsi vel jam in præfatis locis acquisierunt vel in futurum juste acquisituri sunt, sub imperialis tuitionis protectione suscipimus. Omnia igitur quæ infra subtus scriptos terminos concluduntur, videlicet rivos, pascua, prata, campos, terras cultas et incultas, arbores domitas et indomitas, et alia omnia, quæ in subscriptorum terminorum ambitu continentur, salva Imperiali justitia, ipsis libere habenda in perpetuum et possidenda concedimus. Hi autem sunt termini : Ab oriente Domus illorum terminus. Ab occidente quidam lacus et Orba fluvius terminus. A meridie pratum de Cor terminus, et Mons Oisel recto tramite usque ad supra dictum lacum. Ab aquilone Calmes rotunda terminus recta linea usque ad supra dictum fluvium. Quæcumque infra terminos istos continentur supra dictis viris Religiosis concedentes, firmiter statuimus ut quicumque donationem istam aliqua præsumptione ausus fuerit infirmare, pro pœna centum libras auri componat, quarum medietas ad fiscum imperialem perveniat, medietatem vero supra dictæ Domus Fratribus et successoribus suis, donationis istius infirmator persolvat. Ad hujus etiam donationis evidentiam majorem,

præsentem paginam conscribi et sigilli nostri autoritate fecimus communiri, salva in omnibus imperiali justitia. Testes fuerunt, Henricus rex, Brochardus præfectus de Magdeborc, Herardus comes Bramæ, Hulricus Braibantio, Magister Daniel, Harmannus camerarius, Ruodulfus frater ejus, Bertrannus miles, Magister Girardus, Magister Radulphus notarius, Magister Cuonradus, et alii quamplures, quos longa est enumerare mora, tam de Nobilibus illius Provinciæ quam de nostris Teutonicis. Signum Domni Frederici Romanorum Imperatoris. ANNUS 1178

« Ego Robertus Dei gratia Viennensis archiepiscopus, et Regni totius Burgundiæ archicancellarius interfui et recognovi. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MCLXXVIII, Indictione XI, regnante Domno Frederico Romanorum Imperatore invictissimo, anno regni ejus XXVII, Imperii autem XXV. Data apud Lugdunum super Rhodanum, XIV Calendas Septembris feliciter. Amen. »

S. ANTELMUS MORITUR.

IV. Hoc pariter anno S. Antelmus olim Cartusiæ et Portarum Prior et inde episcopus Bellicensis, decimo quinto suæ Prælationis anno, ut fidelis servus, solutus onere corporali, introductus est in gaudium Domini sui. Quidam obitum illius ante biennium assignat. At cum superius demonstratum sit eum factum fuisse Episcopum anno sexagesimo tertio, et inferius patebit ex ejus Actis quindecim a sua promotione annis obiisse, evidenter inde consequitur annum præsentem esse consignandum. Rei gestæ seriem ita ejus Acta manuscripta auspicantur post ea quæ diximus anno 1175.

Haræus in Epitom. Vit. SS.

V. supra ad an. 1163.

Erga pauperes largissimus.

« Eo quo de hac vita migravit anno, fuit panis inopia, fames valida, et egestas miserabilis. Tunc quasdam Sanctorum congregationes suis adjuvit beneficiis ; et confluentium undique pauperum multitudinem usque ad tempus messis, quotidiana eleemosyna sustentavit. Mirum cunctis videbatur unde illi tanta. Sed Dominus, qui de quinque panibus quinque hominum millia pavit, poterat servo suo, quæ pro eo erogabat, multiplicare. Determinaverat autem diem, ad quem usque continuare voverat eleemosynam. Igitur Domino, qui

ANNUS 1178

de mundi hujus exilio ad patriam parabat educere, ut votum impleret expectante, ipso quo perseverantiam eleemosynæ voverat die, vocatus a Domino decessit.

Febre corripitur.

« Itaque hujus vitæ occiduæ ei termino imminente, et æternæ pro qua fideliter laboraverat initio appropinquante, febre correptus ea quæ dicitur acuta, cum decubuisset, et ut fit in tali ægritudine, erraret in verbis, de necessariis tamen interrogatus, rationabiliter et discrete respondebat, non fallens in aliquo. Flebant igitur sui, pietate magis quam dolore, quod sciebant de ejus morte non esse dolendum. Flagitabant autem ab eo benedictionem et consilium. Quibus imprecabatur bona : poscentibus benedici benedicens, et consulentibus se consulens. Cumque suggererent ei ut res suas distribueret, ait : Absit a me ut testamentum faciam, qui nihil habeo ; quippe qui de hoc mundo non sum. Hucusque per ministerium sacerdotii, commissorum fruendi ac ministrandi licentiam habui : jam vero, quod frui non licet nec ministrare. Cœperunt autem rogare eum ut Comiti dimitteret, adversus quem habebat querelam. Quod se nunquam facturum asseruit, nisi calumniam quam faciebat ipse dimitteret, et nullam in Episcopi et Ecclesiæ possessionibus unquam se facturum exactionem fidem faceret ; insuper et de sacerdote culpam suam recognoscens pœniteret. Cumque hoc Comiti (erat enim ipso in vico) dicendum fore censerent, non erat qui auderet. Aderant autem in hoc consilio ex Cartusiæ Fratribus duo, genere nobiles, sed humilitatis ac fidei firmitate multo nobiliores ; Aymo videlicet quondam in seculo vir potens ac magnificus, et Giraldus. Hi adeuntes Principem, intimaverunt ei quæ audierant, consulentes ei ut dimittendo calumniam, tanti Patris imploret veniam, quo ipsius, qua se felicem fore credat, mereatur benedictionem. Quod audiens, Deo sibi in hoc consulente, et sancti Patris qui ejus optabat salutem intercedentibus meritis, timore correptus et corde compunctus erupit in lacrymas. Statimque veniens ad eum, propriam confessus culpam, omnem dimisit calumniam, Ecclesiam quoque se defensurum pactus est, jurejurando hoc confirmare para-

Recusat condere testamentum.

Comes Sabaudiæ ab eo veniam petit.

tus; humiliatusque coram eo et implorans veniam, impetravit et gratiam. Et impositis ei manibus vir Dei benedicens ait : Deus omnipotens, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, benedictionis suæ et gratiæ tribuat tibi largitatem; crescere te faciat et multiplicari ac filium tuum (cum non haberet filium sed filiam); cumque suggererent ei ut diceret filiam, putantes eum errare, iterum et tertio repetivit filium. » Quam prophetiam non multo post tempore novimus impletam. Is filius, quem ei nasciturum prædixit S. Antelmus, dictus fuit Thomas, de quo in Domus Allionis descriptione dicemus. Pergunt Acta :

ANNUS 1178

Quem prædicit filium habiturum.

V. « Clericos suos consilium ab eo quærentes, monuit de mutua charitate, de concordia et unitate in vinculo pacis. Sic glorioso cursus sui agone peracto, sanctus Dei Confessor Antelmus episcopus, æternum consecutus est bravium. Expletis igitur circa eum quæ decebant obsequiis, inter letanias et cantica migravit ad Dominum, VI Calendas Julii, anno ætatis suæ plus septuagesimo, episcopatus vero quinto decimo; ipso regnante cujus regnum non terminatur, Jesu Christo Domino nostro, cui est cum Patre et Spiritu Sancto gloria, laus et honor, virtus et potestas, per infinita secula seculorum, Amen.

CLERICOS MONET DE MUTUA CHARITATE.

Christo spiritum reddit.

« Lætare Bellicensis Ecclesia cum tota patria, tanti Patris eximii illustrata et fulta patrocinio. Lætamini cives et affines, quod quem in vita habere meruistis Pastorem, multo magis nunc habetis protectorem et pium apud Deum intercessorem. Lætamini maxime vos Clerici, qui tantum ac talem possidere meruistis thesaurum, quo ditati non egebitis; si tamen cognoveritis per dignam venerationem quantus et qualis sit, quantove colendus honore. Ipse vobis providere non desinet. Per ipsum Deo donante omnem habebitis prosperitatem et pacem sine qua nulla crescet Ecclesia, nisi forte, quod absit, circa eum negligentes fueritis. Oportet igitur vos eum toto annisu diligere ac venerari; si vere Deum diligitis, si Deo placere curatis, cui placet ipse. Ad quod vos invitat ipse omnipotens Retributor, qui miris eum signis, sicut videtis, decorare digna-

Scriptoris Vitæ Epilog.

ANNUS 1178

tur. Quem Deus potenter atque magnifice, vos vero quantum valet humana fragilitas honorare curate cum summa reverentia. Qui vos desiderat habere socios, devotos habeat famulos. Quicquid ei honoris a vobis impensum fuerit, vestrum erit. Ipse vobis, vos ei nihil conferre potestis. Vestra non indiget ope, qui summo et pleno fruitur bono. Sanctis deferre nihil aliud est quam Deum ipsum honorare, qui in eis est, et cujus membra sunt corporis. Igitur quem habetis exemplar virtutum beatum Antelmum, quasi speculum ponite ante oculos cordis, et imitamini moribus sanctis, ut ad quam ipse pervenit beatitudinem, ejus meritis et precibus vos pervenire mereamini. Quæ nostra parvitas suggerere vestræ præsumpsit celsitudini, vos melius acturos confido quam nostræ sit facultatis etiam dicere, præstante Domino.

CLARUIT MIRACULIS IN VITA.

« VI. Cum non inferioris esset meriti, nec minus placeret Domino sanctus Antelmus quibusdam miracula facientibus; hoc tamen in vita sua, quasi quamdam pestem fugere decrevit, ne Sanctus diceretur. Nullam enim in se sed in Domino habebat gloriam; et talia se præsumere indignum, peccatoremque, non justum judicabat. Sed mira virtutum et sanctorum operum magnitudo miracula erant. Quamvis vero se occultaret, multi tamen per ejus merita molestiarum suarum sentiebant levamen. Et quam celeriter fides ejus optata impetravit a Domino, unius, quod referimus, miraculi exemplo potest adverti. Die quadam cum iter faceret, jacebat unde transiturus erat quidam missus homo, qui percussus a serpente, veneno per corpus ejus diffuso, in tumorem versus, nimio cruciabatur dolore, etiam vicinæ mortis timore. Cumque venisset ad locum, rogabant eum qui aderant paululum subsistere, quærentes ab eo consilium quid huic misero medicinæ posset adhiberi. At ille compassus homini, non sine lacrymis signo crucis super eum edito, statim veneno fugato, tumor est omnis et dolor ablatus. Dignum quippe erat ut Christus pro famulo suo, qui crucem suam tollendo eum secutus carnem suam crucifixerat cum vitiis et concupiscentiis, per Crucis mysterium mala fugare, bona largiri dignaretur.

Percussum a serpente sanat crucis signo.

Præcepit vero sociis sub interdicto et comminatione ne cui hoc manifestarent, aliis quoque qui aderant; dicens, Dei beneficia, non suis meritis sed illorum fide impetrata, sibi esse adscribenda ne putarent. Non enim fur magis deprehendi timet in furto, quam vir verecundus iste in Domino laudari metuebat, qui nec aliquid se esse existimabat, nisi peccatorem.

Tres lampades in ejus funere divinitus accensæ.

« At ubi de mundi hujus caligine, perpetuam migravit ad lucem, Dominus qui de tenebris lumen facit splendescere, non est passus sanctum suum qui se occultaverat, diutius in obscuro latere, patentibus miraculorum signis, sanctitatem ejus clarificans, unde et a lumine incepit. Dum autem ejus venerabiles celebrarentur exequiæ, cum sepulchro sacrum conderetur corpus, omnium qui aderant oculis, cum devotis mentibus ad eum intentis, mirabile signum apparuit et gloriosum. Erant ubi positus est tres lampades noctibus accendi consuetæ, non diebus, nisi in præcipuis solemnitatibus. Sed erat celebritas hæc præclara, triumphi videlicet non funeris. Vident, inquam, in una lampadum illarum ignem succrescendo flammescere et immenso lumine coruscare. Dumque stupentes admirantur, ecce et alias duas cernunt similiter accendi, omnesque pariter plus solito micantes nitore. Ne in dubium ista, lector, revoces, scito Gaufredum abbatem, autorem coævum, in Vita S. Petri Tarentasiensis archiepiscopi eadem scriptis testata reliquisse. Enumerans enim præclaros hujusce regionis Episcopos, Antelmi quoque nostri (quem Ancelmum nominat) meminit, idemque miraculum breviter sic recenset : Super cujus, inquit, tumulum dum sepeliretur, divinitus ignis lapsus accendit lampades, super eumdem locum, coram signo Crucis appensas. Hæc Gaufredus, quæ Guillelmus Nangius commentans, una auxit singulari circumstantia, aliis autoribus inexplorata. Florebat, inquit, Antelmus Bellicensis episcopus, ad cujus tumulum post mortem ejus lampades accensæ sunt divinitus, excepta una cui ministrabat pabulum olei quidam usurarius, et illa non potuit accendi. » Hæc ille, apud quem sit fides. Sed nunc Acta prosequamur.

Vit. S. Petri Tarentas. c.3. apud Bolland.

ANNUS 1178

Comes Humbertus interest funeri.

« Fit clamor ecclesiæ exultantis, laudantium Dominum. Conveniunt undique, tam qui aderant advenæ quam cives, ad mirum sanctumque spectaculum. Comes quoque Humbertus, et socer ejus Girardus Viennensis, et qui cum eis erant illustres viri non pauci. Unus itaque de maximis fidelium utriusque sexus, qui sub appellatione virginum quinque prudentium designati, pinguibus oleo lampadibus accensis, ad nuptias merentur intrare cum Sponso, beatus Antelmus Trinitatis cultor, trium signo lampadarum corde, ore et opere, in fide, spe et charitate Dei mandata noscitur implevisse. Cum autem vidisset Comes tanta Dei mirabilia, tremefactus episcopiam egressus est domum quam fuerat ingressus ; et quæ sibi vendicaverat ibi, omnia illi dimisit. »

Ita quidem qui viventi Antelmo tam infestus fuerat ut sancto Præsuli necesse fuerit eum, tanquam refractarium filium, anathematis gladio ferire, post ipsius obitum, rerum mirabilium visione perculsus, ad meliorem frugem conversus est, siquidem idem ipse Humbertus jam melior effectus, et erga Cartusienses bene affectus, in Cartusia Majori ornatissimum sacellum cum domo Hospitum, ubi sæpius solitarie degebat, condidit, Domumque Allionis cœpit fundare, ut fusius alibi exponemus. Sed ad reliqua quæ sunt sancti Antelmi pergamus.

Paradin. Histor. Sab. l. 2. cap. 47.

Guichen. in Hist. Sabaud.

MIRACULA MULTA AD EJUS SEPULCHRUM.

VII. « In Bellicensi Ecclesia meritis beati Antelmi multa facta sunt miracula, quæ per negligentiam non sunt scripta. Sed quomodo scripto colligi, quæ præ multitudine et assiduitate memorari non possunt ? Confluentibus enim undique turbis ad ejus sacrum ac venerabile corpus, innumera credentibus præstantur beneficia : cæcis visus, claudis gressus, diversarum ægritudinum mole gravatis sanitas, et alia multa desiderata et in fide postulata. E quibus quatuor aut quinque exempla in sui et cæterorum memoriam sunt subjecta. In territorio Gratianopolitano erat vir quidam nobilis, Deum timens cum conjuge sua, quos dilexerat totius boni amator Antelmus iste. Hi desiderabant filios, uxore quippe sterili existente. Cum audissent autem famam tantorum miraculo-

Sterilis parit.

ANNUS 1178

rum, ait Domina viro suo: Ibo ad Dominum nostrum sanctum Antelmum; credo quod impetrabit mihi conceptum a Domino. Et profecta, cum venisset, firma fide et spe, cum omni devotione facta oratione, domumque reversa, cognita viro concepit et peperit.

Simile quid vivens patravit.

« Aliud ejusmodi fecit miraculum in vita sua. Cum autem pro negotio quodam venisset Gebennas, Buyamundus quidam amicus ejus meruit ipsum habere hospitem; et cum sedisset, ait: ubi est Domina? Volo eam videre. Qua ingressa exhortabatur utrumque de fide conjugii et legitimo amore, de bonis actibus ac timore Dei. Dixit ei vir: Domine, prospera cuncta habemus; sed quod maxime cupimus, prole caremus. Tum Vir sanctus vocans ad se mulierem, fecit signum Crucis in fronte ejus et quasi ludens dixit: In nomine Domini fac mihi filium unum. In virtute ergo sanctæ Crucis, mandatum fides, fidem effectus est consecutus; nam ut ingressus est ad eam vir suus, statim concepit, et completis diebus gavisi sunt, nato sibi filio.

Cœlitus punitur ridens ejus miracula.

« Adolescens quidam nobilis nondum militiæ insignitus cingulo, oderat sanctum Virum, quod fortasse eum increpaverat aliquando. Hic cum transiret quadam die ante reverendum ejus sepulchrum et videret ibi jacentes infirmos, stultitiæ deputans incredulus fide illorum cachinnans ibat. Cum subito in vi febrium invalida et intolerabili ardore cœpit vexari et defatigari, mori se existimans. Tunc demum cœpit pœnitere correctus, quod correptus; manibusque allatus sociorum, quippe non satis sibi compos, humiliter veniam postulavit, vota vovit et liberatus est. Videmus in secundo miraculo, vindictam in hostem et redditam sospitatem; in utroque misericordiam. Ad hoc enim corporaliter est percussus, ut spiritualiter sanaretur.

Epilepticus curatur.

« Alius itidem nobilis juvenculus diro laborabat hemitritæo, id est quotidiana cum tertiana febribus, simulque epilepsia, id est caduca passione. Hic de vino, unde sacrum Confessoris corpus ablutum, potatus, liberatus est. Cujus vini potu multi a diversis sanati sunt ægritudinibus.

ANNUS 1178

Mercator res suas naufragio perditas recuperat.

« Mercator quidam ab extera rediens regione, ubi expositis mercibus suis, omnia redegerat in pretium argenti vel auri et quam plurimum serici, cum transiret fluvium Rhodanum equus super quem erat omnis ejus substantia, e navi cecidit cum onere. Primo quidem viderunt eum dum traheretur a fluminis impetu, sed magis pondere tractus, ad gurgitis ima non comparuit. Ut autem casso labore cessavit ea quærere, desperans de inventione (est enim ibi quasi quædam abyssus), audito beati Antelmi nomine, et quæ per eum fiebant miraculis, spe ductus et fide venit ubi Sancti quiescebat corpus, et ponens candelam quam in honore ejus fecerat, vigilavit et oravit, munera obtulit, vota vovit. Mane facto, post celebrata divina mysteria, per piissimi Confessoris merita de divina confidens misericordia, venit, a quo tristis abscesserat, ad locum, spe bona, tristitia mitigata, factus hilarior. Et ecce spe majus mirabile dictu, quem longius raptum viderat, ab imis ad summa, ab inferioribus ad superiora, reciprocatum in portu invenit equum, remque suam omnem pendentem de cadavere; et mirum quod sericum non est madefactum vel in aliquo corruptum. Resumptis itaque, non dubium quin meritis beati Antelmi, pro quibus multo labore sudaverat rebus, solius equi jacturam parvipendens, Deo et piissimo Confessori gratias agens, lætus abiit.

PUER AQUIS SUFFOCATUS REVIVISCIT.

VIII. « Si cuncta quæ per famulum suum Dominus mirabiliter operari non desinit scribere tentavero, vita me prius quam copia deseret. Uno tamen omnibus gloriosiori ac mirabiliori adjecto hujus compendiosi opusculi finem faciam. Rure quod Fistiliacum* dicitur, a Bellicensi oppido sex distans milliariis, puerulus quidam annorum circiter trium, matre ipsius alias occupata, domo egressus longiusque progrediens, huc illucque vagari cœpit. Tardiori vero hora recordata mater pignoris sui, undique circumspiciens nec videns, suspecto tremens animo, sollicite circumquaque indagando diu quærebat, eum tandem ad præterfluentis rivi descendens alveum, in gurgite videt lapsum filium suum. Et cernens ipsum a longe ab aqua moveri, adhuc vivere putans,

* *Al.* Fisciliacum.

in hanc erupit vocem dicens : Deus et sancte Antelme, a vobis peto filium meum. Accedensque et levans eum, jamque extinctum inveniens, diruptis crinibus et conscissis vestibus, genas unguibus lanians et pugnis pectora tundens, totam mœstis clamoribus vallem replevit, miseram se clamans et seipsam necare volens. Accurrit pater mœstus. Concurrunt vicini ad tam miserandum spectaculum, miseris condolentes parentibus. Cum autem domum delatus diu foveretur nec calefieret, nihilque in eo sentirent animæ, jamque dies urgeretur ad vesperum (erat quippe mane quando sublatus est mortuus), ad sepeliendum eum efferre parabant. At vero mater prohibuit, et constans ait : Non ita, sed deferam beato Joanni et sancto Antelmo Domino meo. Credo enim quod eorum meritis reddet mihi Dominus filium meum, quem peccatis meis exigentibus, mihi abstulit fraus inimici. Qua vehementius urgente, tollentes corpusculum pater cum ipsa, vicinis et concomitantibus delatum in ecclesia Bellicensi, ante beati Antelmi posuere sepulchrum. Aderat multitudo virorum ac mulierum de ipsa civitate, qui secuti eos fuerant in ecclesia, quos miseræ matris lamentatio et fidelis oratio compellebat in lacrymas ; vere comparanda hæc mulier Cananææ quæ salutem filiæ implorabat a Domino. Nam sicut cum humilitate se catulis comparans ; sic et ista non minori fidei constantia, orationis instantia, peccatricem se clamans sibi pœnam deberi, de se vindictam exigi justam, puerum nihil meruisse vociferabatur : et sicut illa tunc Apostolos, sic et ista nunc sanctos quos invocabat, habuit intercessores ; unde et quod fide tam firma flagitabat, impetrare meruit. Post pusillum namque cœpit puer moveri, matre tremefacta ab ipso se retrahente, et rei eventum expectante. Deinde quosdam lenes vagitus emittere. Parvo autem facto intervallo, nemine ad eum accedente sed stupentibus omnibus surrexit, et assumpto baculo qui juxta se erat, mensuram videlicet corpusculi sui, ambulans vertit se ad sanctum sepulchrum et resedit. Tunc demum, accedente matre et aliis circumstantibus, allocutus cœpit loqui incolumis et nihil mali habens, ac

ANNUS 1178

ANNUS 1178

tanti quasi expers periculi. Fit gaudium et lætitia cum timore et admiratione. Flent parentes præ gaudio, pietate moventur universi. Clerus et Nobilitas cum plebe conveniunt, cum exultatione Deum laudantes ac magnificantes, qui per Sanctos suos magna fecit magnalia, cujus imperium et potestas non desinit in secula. Sunt vero aliqui qui puerum non putant mortuum esse omnino, sed quasi mortuum. Fatentur enim plures de aquæ periculo levatos, diu sine halitu, sine signo quoque vitæ extitisse; deinde paulatim sensui reparatos, sed non sine longa vitæ molestia. De hoc tamen puero, et si extinctus omnino non fuerit, grande fuit miraculum quod sic repente incolumis surgens ambulavit, locutus est et manducavit, malo ab omni liber, non dubium quin sancti Pontificis Antelmi meritis. »

An inter Sanctos solemniter relatus.

Hactenus Acta S. Antelmi, ex quibus accepere Dorlandus, Bostius, Sutor et Surius, quæ de eo ediderunt. Jam vero quæret aliquis, an Summus Pontifex eum in Divorum album retulerit ? Molinus noster id videtur factum asserere ab Alexandro III, eo quod compertum haberet laborem quo Antelmus pro unione et pace sanctæ Ecclesiæ sudaverat ; quomodo divinitus fuisset electus, et ab ipso consecratus in Episcopum quantumvis invitus ; quam irreprehensibilis vixisset, dilectus Deo et hominibus ; quot tandem miracula ante et post ejus mortem operatus esset Deus. Quæ omnia certissima sanctitatis et divinæ vocationis erant testimonia. Fatemur nihilominus a nullo Scriptorum memoriæ proditum fuisse, quod tam cito Sanctorum honores cultumque obtinuerit. Sed quia nomen ejus in Martyrologio Romano sub Sixto quinto correcto et aucto reperiebatur communi fidelium consensu relatum, ejusque festum in Bellicensi Ecclesia celebrabatur ; idcirco Patres, post Sedem Apostolicam interrogatam, in Comitiis generalibus anno 1607 congregati ita sanxerunt : « Celebretur in omnibus Ordinis Domibus festum sancti Antelmi Prioris Majoris Cartusiæ et episcopi Bellicensis, cum duodecim Lectionibus, sub vigesima septima die mensis Junii. » Viginti tribus post annis, facta fuit ejus Reliquiarum trans-

Molin. in Hist. ms. Ord. Cart.

Ex ch. Cap. gen. an. 1607.

Ejus festum per totum Ordinem celebratur.

latio, ut eodem anno fusissime, si Deo placet, dicemus.

ANNUS 1178

IX. Sancto Antelmo in Sede Bellicensi successit alter Cartusiensis, nomine Rainaldus, e Magna Cartusia evocatus; qui ab Ebrardo archiepiscopo Bisontinensi sacratus ei juramentum præstat hac forma: « Ego Rainaldus Bellicensis episcopus, subjectionem, et reverentiam, et obedientiam a sanctis Patribus constitutam secundum præcepta Canonum, sanctæ Vesontiensi Ecclesiæ, et ejusdem Rectoribus in præsentia Domini archiepiscopi Ebrardi, perpetuo me exhibiturum promitto, et super Altare manu propria confirmo. Sequenti anno Lateranensi Concilio interfuit, et Romam reversus cartusiam Portarum invisit, ubi a monachis in specialem Fratrem adscitus Anniversarium post obitum solvendum obtinuit, sicut et Arbertus abbas sancti Theuderii, qui eum forsan Romam euntem comitatus fuerat. Sex tantum annis sedit Rainaldus et mortuus est.

RAYNALDUS MON. CART. FIT EJUS SUCCESSOR.

Molin. in hist. ms. Ord. Cartus.

Ex veteri Codice ms. cart. Portarum.

X. Ligeti cartusia, in provincia et diœcesi Turonensi ab urbe Lochia versus septentrionem duabus circiter leucis sita, in bosco Ogerio, hoc anno fundatur a potentissimo Principe Henrico II rege Angliæ, duce Normanniæ et Aquitaniæ ac comite Andegavensi: de quo quidem nemo discrepat, sed de fundationis anno non ita omnes conveniunt. Quidam enim, quorum antesignanus est Molinus, solum dicunt eam esse referendam ad annum 1153; nec suam sententiam ulteriori muniunt autor itate vel conjectura. Alii, inter quos primas tenet Joannes Chauvet quondam eruditissimus ac religiosissimus nostri Ordinis Scriba, et ante eum Bohicius, præsentem annum signant nec temere, ut mihi videtur, ex verbis ipsius Bohicii qui suam opinionem sic adstruit: « Eodem anno 1178 fundata fuit cartusia Ligeti in bosco Ogerio, prope Lochias, in diœcesi Turonensi, ab Henrico II Anglorum rege, post solemnitatem sancti Joannis Baptistæ, ut testantur vetera monumenta ejusdem Domus, quæ accepimus. Causam vero dictæ fundationis autor anonymus expressit libro ms. qui est in Domo Parci, *de Approbatione Sacri Ordinis Cartusiensis*. Non est, inquit, fere Domus in dicto Ordine, quin miraculose sit

CARTUSIA LIGETI CONSTRUITUR.

Molin. ubi sup.

Ejus fundatio a quibusdam citius refertur.

Joan. Chauvet in Collect. mss.

Ad hunc annum referenda.

Bohic. in Annal. mss. ad hunc an.

ANNUS 1178

fundata. Et post multa addit. Item Domus Ligeti quam Dominus Papa, cum duabus aliis, jussit Henrico regi Angliæ fieri in pœnitentiam peccatorum suorum, eo quod jugulaverat S. Thomam Cantuariensem archiepiscopum. Eadem testantur superius citata monumenta Domus Ligeti. » Hæc Bohicius apud quem sit fides, quoad citata monumenta quæ non vidimus, præter duo sine die et sine anno, Instrumenta videlicet, quibus Henricus fundator et Hervæus abbas Villelupensis locum fundandæ cartusiæ assignant conceduntque. Attamen illius sententiam Molini sententia verisimiliorem esse, quibusdam conabor conjectionibus simul et autoritatibus comprobare.

Prior sententia refellitur.

Catal. ms. Dom. Ordin. Cart. et Joach. Alf. in origin. earumd. Dom.

Matth. Paris. Hist. Angl. et Chron. Norman.

Primo, qui Molini sequuntur opinionem nihil præter nuda ejus assertionis verba afferunt. « Domus Ligeti, inquiunt, fuit fundata anno 1153 ab Henrico Normanniæ duce ac comite Andegavensi, qui postea rex Angliæ proclamatus, Henricus II dictus est, qui S. Thomam archiepiscopum occidit. » Hæc illi, qui fidem aliquam mererentur, si certis testimoniis aut gravibus conjecturis ostenderent hanc cartusiam fuisse erectam ab Henrico duce antequam ad regiam ascenderet dignitatem, ad quam anno tantum quinquagesimo quarto hujus seculi evectus est. At contrarium colligi potest ex rerum anglicarum Scriptoribus, præsertim ex Matthæo Paris, apud quem legimus Henricum præfatis duobus annis in Anglia bello fuisse occupatum contra Stephanum regem. Cum quo pace inita, in Normanniam remeavit exhaustum bellorum sumptibus ærarium reparaturus, revocatione proprii dominii quod pater suus ingenti compulsus necessitate Primoribus dispertierat. Dumque huic et aliis incumbit negotiis, in Aquitaniam derepente accurrere cogitur, ad reprimendam quorumdam rebellionem. Paulo post in Normanniam redux subditos inter se dissidentes armis compescuit ; statimque audita regis Stephani morte, in Angliam rursus transfretans, ibidem per biennium moratus est. Neque propriam patriam repetiit, nisi cum exercitu ad coercendum fratrem suum Gaufridum Andegavensem comitatum armis sibi vindicantem. Ex his et aliis

legenti Historias occurrentibus, satis fit probabile Henricum juvenem Principem, annum ætatis suæ vigesimum nondum excedentem, ambitiosum, regnandi agitatum libidine, armis propterea continuo implicatum, ab ære plerumque imparatum, non intendisse animum ad construendum monasterium eo tempore, et ea in regione quæ armis undique cingebatur. ANNUS 1178

Præterea in literis donationis loci ab abbate Villelupensi Herveo factæ, inter testes legitur Mauritius abbas Belliloci, quem ex Sammarthanis colligimus præfuisse tantum post annum 1173; nondum igitur Ligetana fundatio initium eodem anno habuerat. Scio quosdam reponere præfatæ donationis Chartam longe post concessum locum confectam forsan fuisse. Id fieri potuisse non denegamus; sed cum nullo documento firmetur, constetque Ligetum ab abbate Herveo traditum fuisse, hinc sole clarius innotescit Cartusienses illuc non fuisse introductos, nisi diu post annum 1156 quo Aimericus Hervei antecessor adhuc præerat, cujus et regimen adhuc ulterius produci potuit. Sammarth. in Abb. Bellil.

Denique Bohicii sententia roboratur Henrici Calkaris autoritate, trecentis ante illum annis scribentis : « Post occisionem sancti Thomæ Cantuariensis, Regi Angliæ pro tunc a Papa injunctum fuisse præter alia, tres Domos Ordinis Cartusiensis facere pro pœnitentia. » Tres illas Domos Calkar nomine non indicat. Sed quis non videat illum adstipulari codici Parcensi, quo Bohicius usus est, Ligetanam cartusiam inter eas annumeranti ? His igitur, plusquam par est, explosa priori opinione, sancti Thomæ necem fundandæ huic Domui occasionem dedisse annumque præsentem esse signandum, conjecturis non levibus ex Historia deductis cum Bohicio censemus, et iterum sic probamus. Calkar. in tract. ms. de orig. et progress. Ordinis Cart.

Necato divo Thoma, Henricus rex coram Papæ Legatis purgatus, inter cæteras satisfactionis conditiones promisit sub juramento, quod ab instanti Domini Nativitate usque ad triennium Crucem acciperet, proxima tunc æstate (anni videlicet 1172 vel sequentis) in Terram Sanctam ipsemet cum exercitu profecturus. At rebellante tunc Henrico filio,

ANNUS 1178

H. Knyght. de Eventib. Angl. lib. 2.

Math. Par. Hist. Angl. ad an. 1176.

Vita S. Hug. Lincoln. ms.

impetravit profectionis dilationem in triennium ; « quo elapso, inquit Knyghtonius, misit Romam ad protelandum frustratorie fallax propositum, sub eo tamen colore ut tria monasteria construeret in Anglia, sive in terris suæ dominationis. » Cum igitur illud triennium fuerit exactum anno septuagesimo sexto, verisimile est Regem a Summo Pontifice voti sui mutationem obtinuisse tantum anno sequenti, quo Alexander III ad eum in Angliam Legatum misit ; ac propterea trium illorum cœnobiorum constructionem vix citius præsenti anno imperare potuit. Cum vero certum sit cartusiam Withamiensem ejus jussu hoc anno inchoatam fuisse, probabile fit Ligetanam eodem etiam tempore initium habuisse. Tertiam vero non ædificavit impeditus forsan difficultate inveniendi Monachos, qui in Angliam vellent transmigrare ; nam et qui ad Withamiensem Domum incolendam missi fuerant, gentis alienigenæ, ut legitur in S. Hugonis Lincolniensis Vita, ritibus insueti, vix per annos aliquot prohiberi potuere quominus in Gallias redirent.

QUÆ MONASTERIA AB HENRICO REGE FUNDATA IN SATISFACTIONEM NECIS S. THOMÆ.

H. Knyght. ubi supra.

Harpsfeld. seculum 12. Histor. Angl. cap. 28. circa finem.

Henr. Hagulst. de gestis Steph.

XI. Variant autores de monasteriis ab ipso Rege in satisfactionem constructis. Knyghtonius unius tantum cartusiæ meminit, conditionemque immutatæ pœnitentiæ sic ab eo adimpletam fuisse narrat : « Canonicos, inquit, seculares de Waltham sanctæ Crucis, ad conventualem redegit vitam ; Moniales de Ambrusbury extirpavit, alias de transmarinis partibus introducendo ; Domum Cartusiensis Ordinis apud Wytham juxta Sarisburiam exiliter instauravit. » Hæc ille. Matthæus vero Parisius et plures alii Scriptores, Walthamensium reformationem referunt ad annum 1177. Ex quo iterum conjicere licet Ligetanæ et Withamiensis cartusiarum fundationes non fuisse ante illud tempus factas. Harpsfeldius duorum aliorum cœnobiorum, præter nostram Domum de Witham, constructionem Henrico adscribit ; unum appellat Cirencestrense, aliud Dunstapliense, quæ tamen rex Henricus I fundaverat, ut videre est apud *Anglicanum Monasticon* et Henricum Hagulstadensem. Hæc Autorum dissentio videtur orta ex cœtuum religiosorum multitudine, quorum

ipse Rex vel fundator fuit vel instaurator. Nam præter ea et certe non pauca, de quibus lector consulere potest Anglicanum Monasticon, erexit quoque a fundamentis in Normannia Prioratum S. Juliani prope Rothomagum, quem modo incolunt Cartusienses. Nomen etiam illi tribuitur fundatoris abbatiæ Valaciæ Cisterciensis Ordinis in Rothomagensi diœcesi. Extant et plura illius pietatis monumenta erga alia Normanniæ monasteria. Nec mirum si præfati Autores Ligetanæ Domus non meminerint: hi enim cum essent natione Angli, in Anglia tantum hujusmodi cœnobiorum fundationem et situm quærebant. Sed de his satis. Nunc intermissa Bohicii verba resumamus.

ANNUS 1178

F. Farin. part. 3. Hist. Rothomagens. urbis.

Art. du Monst. in Neustria Pia.

XII. « Henricus igitur rex Angliæ disponens fundare unam domum Ordinis Cartusiensis in supradicto loco de Ligeto, qui pertinebat ad Abbatem et Conventum monasterii Villelupensis, egit cum eisdem Abbate et Conventu ut locus ipse certis conditionibus sibi donaretur. Cui benigne iidem Abbas et Conventus assentientes, dictum locum, accepto a Rege pretio, concesserunt »; confectis super ea donatione literis quæ sequuntur :

ABBAS VILLELUPENSIS LOCUM LIGETI PRO CARTUSIA CONCEDIT.

« Firma rerum gestarum memoria scripto conservatur, atque contentionis occasio e medio removetur. Hanc itaque duplicem considerantes utilitatem, literis notificare curavimus tam posteris quam præsentibus, quod Dominus Herveus abbas Sancti Salvatoris Villelupensis concessit cum assensu totius Capituli sui Fratribus Cartusiæ, locum illum qui vulgo appellatur Ligetum, cum pertinentiis suis, intuitu charitatis et precibus Domini Henrici regis Angliæ, ducis Normanniæ, comitis Andegavensis, et prece Stephani senechalli, jure perpetuo possidendum. Ita tamen quod Dominus Rex gravedinem Villelupensis Domus considerans, dedit Villelupensibus Fratribus centum libras, et quitare fecit duos halicetos quos ipsi de chepdone debebant. Hoc autem factum est in manu Guillelmi Prioris et Fratrum qui cum eo his temporibus manebant, Fratris Herberti, et Fratris Guillelmi, et Fratris Martini; et in præsentia plurimarum personarum,

Extant editæ ad calcem operum Petri Blesen.

ANNUS 1178

Mauricii Belliloci abbatis, et Domini Geofredi abbatis S. Juliani Turonensis; præsentibus etiam Legatis ipsius Regis, Stephano senechallo, Guillelmo Clovet, Archambaudo de Vindocino, Herveo Præposito de Lochis, Goffrido Besoger, atque ingenti multitudine monachorum, Dionysio scilicet, Alimpho *, Rodulpho, Emerico; aliique Clericorum et Laicorum quam plurimi aderant, scilicet Reginaudus de Sinapariis, Joannes Normanno, Thomas Raier, Gaudicus, Odolricus, et plures alii. »

* *Al.* Arnulpho.

Hanc Chartam ex abbatiæ Villelupensis Cartulario desumptam, non ita pridem ad calcem Operum Petri Blesensis edidit venerabilis sacerdos Petrus de Goussanville. Rex itaque Henricus prædictum de Ligeto locum sic comparatum, dedit confirmavitque Ordini Cartusiensi, scripto sequenti diplomate :

Henricus rex confirmat donationem.

« Henricus Dei gratia Angliæ rex, et dux Normanniæ et Aquitaniæ et comes Andegavensis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, Vicecomitibus, Justitiariis, Seneschallibus, Præpositis et omnibus Baillivis, et Fidelibus suis salutem. Sciatis me concessisse, et in præsenti Charta mea confirmasse Deo, et ecclesiæ sanctæ Mariæ et S. Joannis Baptistæ de Ligeto, et Monachis et Fratribus Ordinis Cartusiensis ibidem Deo servientibus, locum ipsum de Ligeto, in liberam et perpetuam eleemosynam pro salute animæ meæ et antecessorum et successorum meorum, cum terminis suis sicut circuitus fossarum suarum se habet, etc. Quare volo et firmiter præcipio quod præfata ecclesia S. Mariæ et S. Joannis Baptistæ de Ligeto, et Monachi et Fratres memorati Ordinis Cartusiensis ibi Deo servientes, locum illum cum terminis suis et omnes tenuras et res et possessiones suas habeant, et teneant ita bene et in pace, et libere et quiete, et integre et plenarie et honorifice, cum omni libertate et quietantia telonii et peagii et vinagii, et omnium consuetudinum ad me pertinentium, sicut aliqua eleemosyna potest liberius et quietius concedi et teneri. Et prohibeo ne quis super hoc molestiam, vel violentiam, aut gra-

Extant ubi supra.

vamen aliquod inferre præsumat. Et si quis super hoc vexationem, aut violentiam, aut gravamen aliquod inferre præsumpserit, inde eis salvo Ordine suo et pace eis servata, quibuscumque rationalibus modis poteritis, sine dilatione plenariam justitiam fieri faciatis. T. G. * filio et Cancellario meo, Willelmo decano Moreten, Stephano de Turonensi seneschallo And. Willelmo de Ostillis St. de Turneban apud Cenomanos. »

ANNUS 1178

* *Testibus Gaufrido.*

Fossæ, quibus locus in præfato diplomate cinctus dicitur, altissimæ quondam fuisse cernentibus apparent, longumque ac latum terrarum spatium circumcludunt; ita ut plures annos in eis effodiendis perducendisque necessario consumptos fuisse autument, qui volunt locum a Nostris jam ab anno 1153 habitatum fuisse. Sed nihil inde adversus aliorum opinionem confici potest, cum hujusmodi fossæ diu ante Cartusiensium adventum ab antiquis possessoribus effodi potuerint.

Richardus præfati Henrici filius et successor, anno primo sui regni, die Februarii secunda, existens apud Chinon, hanc patris sui donationem confirmavit; quemadmodum et alter ejusdem Henrici filius dictique Richardi frater et hæres Joannes, apud Senones* existens anno primo regni sui, quinta die Decembris, eamdem se gratiam habere regio diplomate testatus est. Accessit his regia S. Ludovici Francorum regis autoritas, qui ea omnia grata se habere aperta testatur epistola, quæ talis est :

Idem faciunt ejus successores tam Angliæ quam Franciæ Reges.

* *Forte legendum est* Chinones, *vel Cenomanos.*

Bohic. ad hunc an.

« Ludovicus Dei gratia Francorum rex, notum facimus quod nos literas Henrici quondam regis Angliæ, illustris proavi nostri, vidimus in hæc verba : Henricus Dei gratia rex Anglorum, etc. (ut supra). Nos autem prædictis Fratribus donationem præmissam, sicut superius continetur et eam usque ad hæc tempora tenuerunt, concedimus et præsenti pagina confirmamus. Actum apud Bellummontem, anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo quarto, mense Januarii. »

Ex ms. ejusdem cartusiæ.

Hæc sanctus Ludovicus, qui dicitur multum dilatasse lo-

Benefactores Ligeti.

ANNUS 1178

Ex lib. Benef.

cum ipsum de Ligeto ; et revera « augmentavit, ut habet Liber Benefactorum, deditque viginti libras ad ædificationem » sive potius instaurationem ecclesiæ inferioris, quam diu ante dedicaverat Odo episcopus Parisiensis, qui etiam inter benefactores recensetur.

Carolus V et ipse Francorum rex, dedit tria millia librarum, et perpetuum usagium in sua sylva, anno 1370. Joannes dux Bituricensis ejusdem regis germanus, dedit septingentas libras pro fundatione et dotatione unius cellæ et unius Monachi.

Philippus dux Burgundiæ, utriusque frater, simile contulit beneficium.

Hæc Domus Provinciæ Aquitaniæ olim subjecta.

Ex Chartis capitular. an. 1301, 1346, et 1394.

Primo quarti decimi seculi anno, quo primum sunt Provinciæ Ordinis institutæ, hæc Domus Francicæ adscripta fuit, deinde Aquitaniæ post 45 annos ; tandemque sub ejusdem seculi finem ab hac avulsa, Provinciæ Franciæ restituitur, sub cujus ditione etiamnum perseverat.

CARTUSIA WITHAMIÆ FUNDATUR.

XIII. Inchoata cartusia Ligetana, Henricus rex illius fundator petiit etiam alias personas Ordinis in Angliam sibi mitti, statimque mense Julio anni præsentis Londonias reversus est. Et paulo post Prior Cartusiæ de Regis voluntate certior factus, quosdam ad eum monachos absque mora direxit, Narberto Matris Cartusiæ alumno Priore instituto, cum duobus Conversis : Gerardo viro religiosissimo, ac fratre Aynardo probatissimæ virtutis sene, qui licet jam centenarius, annos tamen viridi vigore superans, viarum factus prodromus, Patres nostros in Angliam deduxit, astititque Regi circa finem anni. Præfatus Narbertus e majori Cartusia cum parva Monachorum et Conversorum turba egressus, per Portarum Cartusiam iter fecerat, quosdam alios ut verisimile est, socios assumpturus ; cui propterea Portensis conventus Anniversarium post illius mortem solvendum et in suo (ut vocant) martyrologio scribendum promiserunt, ut ad calcem veteris codicis Consuetudines Guigonis et alia Statuta S. Antelmi et Basilii temporibus edita continentis etiamnum legimus. Quod vero annum spectat quo isti in Angliam mis-

Annus discutitur.

ANNUS 1178

si sunt, quidam scriptores dicunt Cartusienses primum in Angliam venisse tantum anno præsentis seculi octogesimo, quidam annum sequentem signant (sed idem forsan est si attendatur diversa Autorum annos computandi ratio). Verum hi videntur potius S. Hugonis quam primorum Patrum adventum designare; præsertim cum Clemens Reynerus cum Harspfeldio et aliis, dicat S. Hugonem (qui tertius tantum huic novæ Domui præfectus est) ejusdem Domus Protopriorem extitisse.

Clem. Reyner. de Antiquit. Benedictin. in Angl.
Jo. Pitseus de Scriptorib. Angliæ. De Scriptor. Cart.
Joan. Bromton in Chron. Angl.
Nic. Harsp. Hist. Angl. 12. sec. c. 29.

Porro Rex novos incolas benigne excipiens, locum eis, cujus situm et commoditatem ipsi prius exploraverant, gratiose contulit, villam scilicet de Witham in Bathoniensi territorio sitam, cum terris et sylvis, cum pascuis et vivariis, necnon et aliis fundandæ Cartusiensi Domui necessariis. Dotalium literarum exemplar vetustissimum, quodque videtur eodem fundationis tempore exaratum, in Cartusia Majore eodem prorsus tenore ac in *Monastico Anglicano* reperimus. Ex quo id quod ad fundationis notitiam magis facit, hic subjicimus :

Henr. Rex locum dat.

« Henricus Dei gratia rex Angliæ, dux Nortmanniæ et Aquitaniæ et Comes Andegaviæ, Archiepiscopis, Episcopis, etc. salutem. Sciatis me pro anima mea et antecessorum et successorum meorum, construxisse Domum in honorem B. Mariæ et beati Joannis Baptistæ et omnium Sanctorum in dominio meo de Witheam, de Ordine Cartusiæ, et* sit mea et hæredum meorum Dominica Domus et eleemosyna; et concessisse eidem Domui et Fratribus ibidem Deo servientibus, et dedisse in liberam et perpetuam eleemosynam ad sustentationem eorum, totam terram infra subscriptos limites, quietam et ab omni servitio liberam. In primis a parte septentrionali.... (et cætera quærat lector curiosus in Anglicano Monastico. Deinde sequitur:) Quare volo et firmiter præcipio quod supra dicta Domus mea de Witheam et Fratres Ordinis Cartusiæ in ea Deo servientes, omnia prædicta habeant et teneant in libera et perpetua eleemosyna, ita bene et in pace, libere et quiete, integre et plenarie et honorifice, cum

* ut.

ANNUS 1178

omnibus libertatibus sicut ea unquam liberius tenui, et cum liberis consuetudinibus suis, tam de Priore eligendo quam de aliis consuetudinibus quas habet Domus Cartusiæ, in bosco, in pratis et pascuis in aquis et molendinis, in vivariis et stagnis, et piscariis et maricis, in viis et semitis, et in omnibus aliis locis et aliis rebus ad ea pertinentibus; libera et quieta de geldis, et danegeldis, et hidagiis et scutagiis, et operationibus castellorum et pontium et parcorum et fossarum et domorum. De theoloneo vero et passagio et paagio, et pontagio et lestagio, et de omni servitio et consuetudine et omni quæstu pecuniario ad me pertinente, sint liberi et quieti per totam terram meam, tam citra mare quam ultra mare. Prohibeo etiam ne Forestarii vel eorum ministri aliquam eis molestiam faciant infra limites suos, nec ingredientibus vel egrediendibus per eos. Si quis autem contra hanc piam donationem meam venire, vel eam in aliquo perturbare seu diminuere præsumpserit, iram omnipotentis Dei et meam maledictionem incurrat, nisi ad condignam satisfactionem venerit. Omnibus vero misericorditer eam amplectentibus et in pace foventibus, sit pax et remuneratio ab æterno Patre in secula seculorum, Amen. Testibus Hugone Dunhelmensi, Gaufrido Eliensi, Joanne Norwicensi, Reginaldo Bathoniensi Episcopis, Joanne filio meo, et multis aliis. »

Moniales ibidem habitaverant.

Spedus, in Comit. Sommers.

Joannes Spedus in *Theatro Imperii magnæ Britanniæ* scribit Moniales antiquitus locum Withamiæ habitasse. Sic autem habet : « Ahelstanus rex, monasterium in insula Muchelney, id est Magna Insula, inter Jueli et Pederedi fluviorum confluentes extruxit, ubi etiamnum parietinæ ruderaque ipsius conspiciuntur. Velatis cœnobiolum Withamæ erexit, quæ prima postmodum fuit Cartusianorum in Anglia monachorum ædes; quemadmodum Hintona non longe illinc erat secunda. » Idem scriptor in *Catalogo Ædium sacrarum*, et Anglicani Monastici Autor, Domum hanc dicunt fuisse in agro Somersetensi sitam; Rogerius de Hoveden ponit eam in Bathoniensi diœcesi, et Henricus de Knygthon prope Sarisburiam ; sed hæc urbs est agri Wiltoniensis. Qui primi ad illam inco-

Primi Cartusienses locum volunt deserere.

lendam missi sunt, indigenarum moribus non assueti, locum deserere paulo post meditabantur. Quamobrem Narbertus eorum Prior in Gallias rediens consilium a superioribus accepturus, ab eis alteri domui præfectus est, alio in ejus locum ad Withamiam misso, qui post breve regimen ibi mortuus est. Hinc monachi novæ cartusiæ incolæ majori affecti tœdio patriam repetiissent, nisi Rex promptam cautionem et circumspectionem adhibuisset, obtento in defuncti successorem beato Hugone Majoris Cartusiæ professo et Procuratore, de cujus electione plura post biennium dicemus. ANNUS 1178

XIV. Ex benefactoribus hujus Domus sequentes ex nostris Chartis in quibus eorum obitus occurrunt, eruimus : videlicet Joannem Godeley decanum Ecclesiæ Cathedralis Wellensis. Hanc dignitatem tenuerat ab anno 1303 juxta Godwinum. BENEFACTORES WITHAMIÆ. Ex chart. 1333.

Thomas de Bekinton episcopus Bathoniensis (in cujus diœcesi sitæ sunt hæc Domus et Hentonia), vir omni laude dignus, pauperum imprimis et Clericorum amator, cujus claras virtutes Joannes Chendelerus, quem citant Harspfeldius et Pitseus, integro libro egregie descripsit, a Godwino licet heterodoxo multum laudatur. Quod vero ad nos pertinet, fuit Thomas insignis nostrorum Withamiensium benefactor, ac totius Ordinis fautor singularis, cui propterea Anniversarium per omnes Orbis Cartusiensis Domos perpetuo celebrandum concessum fuit, ut ex Charta capitulari apparet, ubi ejus obitus sub his verbis legitur : « Obiit R. P. D. Thomas episcopus Bathoniensis et Wellensis, habens Anniversarium perpetuum per totum Ordinem solvendum, sub die obitus sui qui fuit 19 Kalendas Februarii. » Idem dies habetur apud Godwinum, sed annus sequens ponitur juxta stylum anglicanum. Dicitur vero Episcopus Bathoniensis et Wellensis, licet unica sit Sedes, quæ primo in civitate Vellensi posita, Bathoniam postea translata fuit. Ex chart. 1465.

Magister Joannes Gunthorpt decanus Ecclesiæ Wellensis. Alter Joannes Gunthorpt, ignotus Godwino qui utrumque confudit, in nostris Chartis laudabiliter commemoratur ; et Ex chart. 1483.

ANNUS 1178

Ex chart. 1486.

Ex chart. 1496.

Ex chart. 1499.

primum in Charta anni octogesimi sexti post millesimum quadringentesimum his verbis commendatur : « Pro ven. Dom. Magistro Joanne Gunthorpt (alias Dixt) decano Ecclesiæ Wellensis magno benefactore Domus de Witham, qui anno præterito misit eleemosynam ad Capitulum generale, fiat unum Tricenarium *de Spiritu Sancto* per totum Ordinem. » Et rursum decennio post, idem habuit beneficium. Ejus tandem obitus denunciatus fuit anno ejusdem seculi penultimo sic : « Honorandus Dominus Magister Joannes Gunthorpt, decanus Ecclesiæ Wellensis, magnus benefactor de Witham, habens plenum cum psalteriis Monachatum per totum Ordinem cum Anniversario sub die 26 Junii. » Unde patet eum obiisse anno præcedenti.

Ex chart. 1475.

Ex chart. 1502.

Magister Andreas Holes archidiaconus Ecclesiæ Cathedralis Wellensis. Honorandus Dominus Joannes Cottel (al. Capell.) capellanus, benefactor dicitur in eisdem Chartis; pro cujus prosperitate Missa *de Beata Maria* conventualiter celebranda aliquando per totum Ordinem decernitur. Ejus obitus non reperitur, eo quod forsan obierit tempore schismatis.

Ex chart. 1506.

Honorabilis Stephanus Malizdele et Alisia magni etiam benefactores dicuntur. Sunt et alii quidam benefactores, de quibus dicemus in Domus de Henton descriptione.

DOMUS ALLIONIS FUNDATIO.

Tempus discutitur.

Guichen. in Hist. general. Sabaudiæ.

V. sup. ad an. 1146.

XV. Hoc pariter anno fundata est Domus S. Mariæ de Allione in Sabaudia et diœcesi Genevensi, Camberiacum inter et Mommelianum duabus circiter ab utraque urbe leucis dissita. Illius fundator omnium consensu merito habetur Humbertus hujus nominis III, Maurianensis comes ; qui tamen natus tantum anno hujus seculi trigesimo sexto, illud cœnobium octo post annis vivente patre fundare non potuit, ut volunt quidam recentiores decepti ex quibusdam Statutorum Antiquorum codicibus mss., in quibus inter Priores, qui primo nostri Ordinis Capitulo generali adfuerunt, legentes « Hu, vel Hy Priorem Domus Alionis », per unicam L, quo nomine cartusiam Algionis sive Angionis vocatam fuisse alibi diximus, hanc sibi ignotam (quippe quæ ab Hæ-

reticis destructa a multis annis non stat) cum illa de qua modo agimus, et quæ nomen habet Allionis per duplicem L, facile confuderunt. Quem certe errorem evitassent si ad editionem Antiquorum Statutorum attendissent, in quibus ad tollendam ambiguitatem impressum fuit « Augionis », non « Alionis », ut in veteribus codicibus mss.

ANNUS 1178

Stat. Ant. p. 2. cap. 2.

Illam vero præsenti anno jam extitisse probamus ex ejus Cartulario, ubi vidimus instrumentum eodem anno datum, quo monachi Gigniaci concedunt Domno Guigoni Priori de Aillon quidquid juris videbantur habere in quadam parochia. Nec citius propterea fundatio referenda est, cum vero simile non sit Humbertum comitem hoc opus eo tempore aggressum fuisse, quo excommunicationis in se latæ nodo nondum solutus erat; et præterea constet Guigonem in Protopriorem assumptum fuisse e regimine Domus Majorevensis, cui adhuc præerat anno superiori.

Cartul. Allion. fol. 2.

In hujus Guigonis postea Augustensis episcopi gratiam Allionensem cartusiam condidisse videtur Humbertus, cum in fundationis literis sic profitetur : « Notum sit, inquit, omnibus quod ego Humbertus, comes Maurianensis et marchio Italiæ, totius Domus Allionis in Ordine Cartusiensi fundator extiti, territorium et quidquid in illo loco de jure possidebam prædicto Ordini per manum Domini Guigonis venerabilis Augustensis episcopi, tunc temporis Prioris Majorevi cui præcordialiter adhærebam, quidquid ibi habebam, et quidquid acquirere, emere infra terminos eorum potui, libere donavi et concessi. » Etsi dies in præfatis literis non designetur, eas tamen datas fuisse colligimus circa annum hujus seculi octogesimum quintum quo Guigo in eis nominatus, cum jam a biennio Majorevensem clavum recepisset, ad Sedem evectus est Augustensem. Cum Guigone ad statum spiritualem missi sunt, tum e Matre Cartusia tum e Majorevensi Domo, quidam hujus patriæ olim Nobiles, tunc vero nostri Ordinis humiles Monachi et Conversi, ducente præsertim eos Hugone de Paganis Majoris Cartusiæ Converso, quem superius vidimus suam navasse operam ad comitem

Extant inter Probat. hist. Sab. Guichen. pag. 43 et seq.

V. infra ad an. 1200.

ANNUS 1178

Humbertum cum S. Præsule Antelmo reconciliandum. His paulo post se adjunxerunt nomenque nostro Instituto dederunt, Ugo de Chignis ex ejusdem S. Antelmi familia, Chabertus de Aspremont et Falco de Corvenna, qui omnes eidem Domui præfuerunt; Bernardus de Cropibus, Aymo de Mostenis, Joannes et Ebrardus de Castellario, Andreas de la Maigni, Stephanus de Composta, et alii plures qui non solum se in statu Monachi, sed et suas facultates simul concesserunt. Statum quoque Conversorum alii Nobiles amplexi sunt, inter quos eminent Rostagnus de Montarchier, Chatbertus et Aymo.

Sed ad amplissimum fundatorem redeamus, qui præter locum et alia in citato diplomate expressa, plures reditus largitus est, « Pro cera et oleo ad ecclesias (superioris nempe et inferioris Domus) illuminandas, et multas somatas vini meri pro sacrificiis Missarum celebrandis ibidem, cæterisque Monachorum usibus. » Denique ædificia imperfecta dotemque nondum integre confectam generosus Princeps suis sumptibus absolvisset, sed morte occupatus non potuit, ut testatur Thomas comes ejus filius, in sequenti fundationis confirmatione : « Noverint qui præsentes sunt et futuri, quod nos Thomas Maurianensis comes et in Italia marchio, attendentes quod genitor noster Dominus Humbertus, Maurianensis comes, bonæ memoriæ, zelo charitatis succensus, Eremum Allionis fundavit, gerens in voluntate et proposito eamdem ad perfectionem usque, si licuisset perducere ; cum præventus morte, quod proposuerat, non potuerit consummare. Ejus vestigia, etsi non in omnibus, saltem in aliquo imitantes, Eremi memoratæ habitatoribus concessimus », etc. Sine die. Humberti fundatoris obitus signatur in Calendario Domus ad IV Nonas Martii.

Extant ubi sup., Guichen. pag. 49.

BENEFACTORES HUJUS DOMUS.

XVI. Præfatus Thomas comes, filius ejus et hæres, adeo monachos Allionenses amavit, ut eos sæpe inviseret. Non solum paternas donationes confirmavit, sed novis auxit beneficiis. Jura eorum tuebatur, vexatores minis cohibendo. Cum enim aliquando apud Allionem divertisset, « Ante præ-

sentiam nostram, inquit ad quemdam Nobilem, Fratres et Conventus Sanctæ Domus Allionis conquesti sunt, quod injuriaris eis de donatione quam comes Umbertus quondam pater meus, eidem Domui donavit, et pater tuus similiter concessit. Qua propter tibi præcipiendo mandamus, ut ab inquietatione et injuria te debeas abstinere; quod ni feceris, scias certissime nos talem injuriam nullatenus sustinere. Item tibi mandamus et districte præcipimus, ut hoc quod cepisti de eorum rebus, restituere debeas integre et perfecte; quia tantum diligimus res dictæ Domus quantum nostras. » Hunc igitur Principem velut alterum benefactorem Allionenses Monachi agnoscentes, Anniversarium perpetuum concesserunt, et Calendario suo inseruerunt ad III Nonas Martii.

ANNUS 1178

Ex Cartul. fol. 37.

Amedeus filius ejus, vivens et moriens hanc Domum sua fovit liberalitate, legatis suo testamento mille solidis; cujus beneficii causa ejus obitus adscriptus fuit Calendario ad 3 Idus Junii. Bonifacius a Sabaudia archiepiscopus Cantuariensis suum Anniversarium fundavit, et in eodem Calendario signatur ad 13 Calendas Augusti. Idem præstiterunt Petrus comes Sabaudiæ, et Sybilla de Balgiaco Amedei uxor.

Præter Principes fundatores occurrunt in hujus Domus Calendario : Joannes episcopus Gratianopolitanus. Anselmus, Nicolaus et Amblardus episcopi Maurianenses. Albertus Abbas habet Missam privatam annuatim. Magister Albertus Maurianensis custos comitis Thomæ dum esset annis minor, deinde ejus capellanus, et postea decanus Anassiacensis. Hugo de Corvanna decanus Anassiaci. Guillelmus de Montemeliano marescallus domini Comitis. Aymo de Saysello canonicus Viennensis, et plures alii ejusdem familiæ. Guigona de Miolano relicta domini Gonterii de Saysello militis, quæ reliquit nobis XII cupas argenteas et XI cochlearia argentea, pro sex calicibus cudendis. Janus comes Genevensis, qui restituit nobis montem Charbanati. Guigo de Chignino ex familia S. Antelmi, et plures alii ejusdem generis. Nostris vero temporibus inter benefactores annumerantur : nobilis Carolus Veillet frater Domni Prosperi Prioris hujus Domus, et cla-

ANNUS 1178 rissimus Dominus Joannes Baptista de Valence dominus de Gruffy, senator Camberiacensis, cujus obitus signatur in Charta 1643.

JESU CHRISTI

ANNUS 1179.

Alexandri PP. III	Ord. Cartus.	Guigonis II Pr. Cart.
Ann. 20.	Ann. 96.	Ann. 6.

I. ANNUS sequitur millesimus centesimus septuagesimus nonus, Indictione duodecima, quo Basilius quondam Prior Majoris Cartusiæ migravit ad Dominum quinto decimo Calendas Decembris, prout signatur in hujus temporis Calendario. Canisius qui certum ignorabat illius obitus diem, nomen ejus in suo Martyrologio Germanico adscripsit ad 18 Calendas Julii, quo die Ecclesia S. Basilii magni festum celebrat. Noster quoque Basilius ab autore coævo Vitæ sancti Hugonis Lincolniensis Sanctus vocatur. De eo veteris Chronici Continuator sic loquitur : BASILIUS QUONDAM CARTUSIÆ PRIOR MORITUR.

« Sancto Antelmo successit sanctæ et recolendæ memoriæ Domnus Basilius, monachus dictæ Domus Cartusiæ, qui multa scientia præclarus, virtutibus eximius, Domum Cartusiæ non modicum in spiritualibus temporalibusque ampliavit, ac Constitutiones ac Statuta multa ad Ordinem spectantia compilavit. Hic viginti tribus annis vel circiter Prioratum Cartusiæ et totum Ordinem, qui multum tempore suo fuit in Domibus ampliatus, mirabiliter regens et gubernans, monimenta sui regiminis præclari posteris dimisit in exemplum, deficiensque mortuus est in senectute bona, sepultus in dicta Domo miraculis coruscando. » Constitutionum et Statutorum quæ a præfato Autore Basilius dicitur compilasse, autographum, aut certe apographum eodem tempore conscriptum, habemus *Scripsit Constitutiones.*

ANNUS 1179

ad calcem magni Guigonis Consuetudinum, continetque capitula quinquaginta et unum quæ postea Jancelinus correxit et auxit, ac tandem Rifferius Antiquis inseruit Statutis. Earumdem Consuetudinum meminit Sutor qui multus est in eo commendando, sicut et Bostius in libro *de Viris illustribus Ordinis Cartusiensis;* dicuntque eum lingua et calamo multos ad mundi contemptum incitasse. Inter ejus opera recenset Dorlandus epithoma *de Laude Solitariæ Vitæ* facundissimæ sapientiæ, ubi brevi sermone mirum in modum eam vitam dicit commendari; sed hoc opus hactenus latet. De eo idem Dorlandus id scribit singulare : « Unus horum Patrum, qui sanctum fuisse Basilium autumant, cum Missam celebraret ea quæ soli Deo cognita erat puritate, in ipsa sacræ Hostiæ elevatione, vidit suus servitor innumeros circum Hostiam cuneos Angelorum qui alis suis Christum attingere videbantur. Ille veritus ne Sacramento aliquam facerent injuriam, extra se positus clamitabat : Modeste, inquit, modeste, O Angeli, vos gerite; nesciens quid diceret. O felicem errorem, qui de puritatis contemplatione descendit. » Hæc Dorlandus, paulo forsan simplicius. Quid tamen non facit extaticus in Deum affectus? simile quid sanctus Chrysostomus narrat de quodam sene viro admirabili, qui per Missæ sacrificium « derepente Angelorum multitudinem conspexit, candidis vestibus indutorum et altare ipsum circumdantium. »

Sutor lib. 2. tract. 3. cap. 5.

Bost. cap. 5.

Dorlandus lib. 4. c. 14.

Angeli apparent dum sacrum facit.

Dorlandus ubi sup. c. 26.

Joan. Chrysost. de sacerdot. lib. 6. c. 4.

POST OBITUM APPARET S. HUGONI.

II. Paucis post obitum suum diebus, beatitudinis suæ luculentum Basilius manifestavit testimonium suo quondam in Christo filio Hugoni, Majoris Cartusiæ tunc Procuratori, quem gravi carnis tentatione pulsatum ei apparens plane divinitus liberavit. Rem gestam ex ipsius Actis accipe.

Vitæ ms. lib. 2. c. 2.

« Mirabilis vero Deus in Sanctis suis, futurorum præscius quin potius autor et conscius, jam prævenerat sanctum suum dispensatione sua mirabili. Visitaturus namque eum diluculo, subito probavit illum ; in probatione subita infirmitatem ejus ostendens illi, in visitatione diluculi suam conferens salutem ei. Ut enim Apostolorum Principem Dominus sub Passionis articulo negare se permissum prius ostendit sibi, in brevi post-

modum sui loco aliis præficiendum ; ita egit erga fidelem et pervigilem servum supra familiam suam mox constituendum. Ostendit illum sibi ipsi multiplicans vulnera ejus, ut ait S. Job, etiam sine causa ; et sic eum præfecit aliis, prius sanans supra humanæ modum infirmitatis contritionem ejus speciali gratia. Quid enim potuit esse causæ in homine circiter quadragenario, jam corpus portanti contritione multiplici pervalide castigatum, jam cor habenti meditatione defæcata necnon et oratione continua puraque mundissimum ? Quid, inquam, habuit, aut quid potuit esse causæ, ut repente traderetur Angelo Sathanæ stimulis carnis suæ colaphizandus, usque ad desperationem pene vitæ suæ ? Stimulus quidem carnis paulo minus ei usque ad mortem accessit carnis ; vitæ autem animæ et si timere potuit, sed desperare nullatenus valuit, quæ jam in tuto fuit collocata, nimirum quasi in fasciculo viventium penes Dominum. Ut autem quid athletæ fortissimo contigerit, quonam modo impugnatus fortiter, fortius repugnando vicerit, et vincendo triumphaverit, succincte referemus et plane.

ANNUS 1179

« Tanta ei tentatio carnis subito est exorta, tam continue tamque importune in eum debacchata est, ut mallet gehenalibus interim tradi pœnis quam tantis urgeri flammis : tam ingens pugna, tam forte certamen fuit, ut solius divinæ non dubitetur virtutis fuisse, quod humanitus non cessit, sed viriliter resistendo triumphum reportavit. Quia vero ad plenum hujus congressus modum nemo referre posset, quibus lacrymis, quantis gemitibus, quam crebra confessione, quam aperta flagellatione vel divinum expetierit adjutorium, vel cor contriverit, vel corpus proprium cruciaverit, cum nec hic libellus omnia caperet, breviter absolvamus. Diei cujusdam diluculo visitavit eum hoc ordine oriens ex alto Sol justitiæ, mittens Angelum suum et eripiens eum de potestate tenebrarum harum. Egerat noctem illam sicut in tenebris, sic ipse insomnem pene totam. Luctabatur namque Angelus ille tenebrarum adversus eum, ut eum traderet in teterrimam vesperam contentionis iniquæ. Ille vero non solum reluctabatur ei,

Carnis tentationem patienti.

ANNUS 1179

imo et cum alio luctabatur Angelo usque mane triumphalis palmæ, illud Apostolicum expetens et expectans in se impleri: Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Sic cum duobus congreditur unus, hunc invitans, illum devitans; repellens illum, attrahens istum. Nimirum ab isto extorquere nititur benedictionem, per quam consequatur de illo ereptionem. Palæstra virilis adeo pugnæ area fuit cellæ ipsius, in qua demum athletæ fortissimo, prostrato quidem non superato, non victo sed fatigato, tenuis obrepsit sopor. Erant quippe oculi ejus gravati præ vigiliarum prolixitate, cui dicere competebat Domino : Prævenerunt oculi mei ad te diluculo ne prævaricarer eloquia tua, jam vero dormitavit anima mea præ tædio. Nec vero hujusmodi telis leviter vulnerabat eos cum quibus congrediebatur : et quidem sagittabat unum ut compateretur et auxiliaretur, alium ut confunderetur et fugaretur. Summis tandem viribus jaculum hoc tibi, o Deus, emittens, uno impetu vicit utrumque colluctantem, sic exclamans: Per Passionem et Crucem et Mortem tuam vivificam libera nos Domine. Hoc dicto, solo prosternitur : Adhæsit, inquiens, pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum, Domine qui mortuus es pro me.

A QUA EUM LIBERAT.

III. « Continuo velut in excessu positus, vidit virum Dei qui eum susceperat ad Ordinem, illum quondam Priorem Cartusiæ sanctum Basilium, vultu et amictu angelico radiantem astitisse sibi, sicque se voce blanda compellantem. Quid tibi, inquit est, fili charissime? Cur ita jaces in terra? surge et velle tuum fiducialiter enarra. Ille vero ad eum ait : O Pater bone, enutritor meus piissime, affligit me usque ad mortem lex peccati et mortis quæ est in membris meis; et nisi more solito auxilieris mihi, subito en morietur puer tuus. Vix dictum compleverat, et sanctus Basilius paucis sic : Bene, inquit, auxiliabor tibi. Moxque patefactis novacula, quam in manu tenere videbatur, visceribus ejus, quasi strumam igneam inde visus est exsecuisse et longius extra cellam projecisse, dataque benedictione medicus discessit; æger vero sanatus et sibi redditus somno fugiente resedit. Lætus autem supra modum de ostensa

sibi claritate nutritii sui, qui ante aliquot dies migraverat ad Dominum, omnimode et in corde et in carne se reperit immutatum. Horum summam cum ab ipsius ore Hugonis secretius mecum loquentis pluries acceperim, in extrema demum ægritudine sua planius et diligentius totius eventus ordinem, sicut eum modo digessi, mihi enarravit. Quærenti vero utrum aliquem postea hujusmodi in carne sua motum senserit : Revera, inquit, quod aliquem senserim, non nego; sed simplicissimum, et non minus contemnere quam comprimere facillimum. Hoc idcirco dixerim, quia aliter de his alium quemdam scripsisse accepi; asserentem videlicet, quod per Beatam Mariam Virginem, Dominam nostram Dei genitricem, sibi apparentem visitatus, et curatus ita fuerit quod nullam deinceps carnis tentationem omnino senserit vel expertus sit. Verum quæ ab ore illius de curatione illius et curatore audivi verissime expressi. » Hactenus Acta.

ANNUS 1179

Idem quibusdam Sanctis evenisse legimus, sicut B. Equitio apud S. Gregorium, et Sereno abbati apud Cassianum. Hoc vero miraculum S. Hugoni accidisse hoc anno colligimus, quod dicatur ibidem quadragenarius circiter tunc fuisse, imminente jam vocatione sua ad prælationis sive Prioratus gradum, de quo anno sequenti.

Gregor. lib. 1. Dialog. c. 4.

Cass. coll. 7.

QUINQUE PRÆSULES CARTUSIENSES INTERSUNT LATERANENSI CONCILIO.

IV. Hoc anno Lateranense Concilium œcumenicum ab Alexandro tertio celebratur, cui interfuerunt trecenti Episcopi quos inter Aymo Tarentasiensis archiepiscopus, Joannes Gratianopolitanus, Engelbertus Cabilonensis, Raynaldus Bellicensis, et Lambertus Maurianensis Episcopi, omnes a nobis olim assumpti, recensiti sunt.

CISTERCIENSES CALESIENSEM ABBATIAM RELINQUERE COGUNTUR.

V. Cisterciences, ut ante biennium diximus, a Calesiensibus advocati in monasterii possessionem, a Joanne Gratianopolitano episcopo tanquam proprio Antistite, ea tantum conditione admissi fuerant : nempe si « Fratres Cartusienses super hoc consentirent. » At consensu Cartusiensium vel a Cisterciensibus non requisito, vel iis a Cartusiensibus denegato, cum inter utriusque monasterii pastores ob vicina pascua discordiæ subortæ fuissent, apud Alexandrum Papam de

ANNUS 1179

Cisterciensibus Cartusienses conquesti sunt ; et interveniente Guidone Boscaudunensi abbate, qui Capitis sui Instituti defectionem dolebat, petierunt ut Calesiense monasterium pristino Ordini restitueretur. Quod statim factum fuisse licet colligere ex Summi Pontificis bulla, quæ partium discordiam sic dirimit :

Ex tabular major. Cartusiæ.

« Alexander, Tarentasiensi Archiepiscopo, Valentinensi Episcopo, et dilecto filio Abbati de Abundantia, Salutem et Apostol. Benedictionem. Cum quidam monachus Bonevallen. et quidam frater Cartusiensis pro facto Calesiensis monasterii venissent ad præsentiam nostram, non solum literas Fratrum ejusdem monasterii nobis repræsentarunt, sed etiam scripta aliarum plurium personarum, ex quarum tenore nobis innotuit, quod licet iidem Fratres Calesienses Cisterciensem Ordinem recepissent, tamen venerabilis frater noster Gratianopol. Episcopus, in cujus episcopatu monasterium ipsum consistit (ut dicitur) a sanctæ recordationis Hu. prædecessore ejus constructum, absolute non suum præstitit in hac parte consensum, sed cum ea conditione si Fratres Cartusienses super hoc consentirent. Non enim licuit prædictis Abbati et Fratribus Bonevall., sine autoritate et assensu memorati Episcopi, monasterium præscriptum recipere, præsertim quia de facto ipso, sicut nosse vos credimus inter fratres Bonevall. et Fratres Cartusienses grave scandalum est subortum; cum pascua prædicti monasterii pascuis Cartusiensium Fratrum, sicut ex literis ven. fratris nostri Viennensis Archiepiscopi Apostolicæ Sedis Legati nobis innotuit, non solum sunt proxima sed contigua, et inter pastores utriusque loci timeantur, ex vicinitate, jurgia et contentiones emergere..... Propterea vobis per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus prædictum Abbatem et Fratres Bonevallis, ex parte nostra et vestra, sollicite monere curetis et diligenter inducere, ut in hac parte, tam suæ quam eorumdem Cartusiensium paci provideant et quieti ; et Fratres suos quos in præfato monasterio posuerunt, inde quantocyus non expectato judicio revocent, et

monasterium ipsum in eo statu relinquant in quo fuit cum id recepisse noscuntur. Si vero monitis nostris ad hoc induci forte non poterunt, ipsos autoritate nostra districte cogatis ut super hoc prædicto Gratianop. Episcopo, quia idem Cartusienses nolunt cum ipsis contendere, coram vobis respondeant. Et vos rationibus hinc inde plenius auditis et cognitis, si vobis constiterit quod prædictus Episcopus nunquam suum absolute, sed cum conditione quam diximus, præstiterit in hac parte consensum..... Abbatem et Fratres Bonevall. monasterium ipsum relinquere, et Fratres ejusdem monasterii ad Ordinem priorem redire cogatis, attentius provisuri ne præceptum nostrum ultra duos menses post harum susceptionem exequi differatis, etc. Datum Anagniæ II Kal. Aprilis. »

ANNUS 1179

Reversis ad sua Cisterciensibus, Guigo relicto Boscaudunensi gubernaculo, Calesiensem administrationem et brevi tempore remissam disciplinam satis prospere restauravit; ita ut paucis post annis leges cæteris ejusdem Ordinis Domibus juxta S. Benedicti Regulam præscribere valuerit.

JESU CHRISTI

ANNUS 1180.

Alexandri PP. III Ann. 21.	Ord. Cartus. Ann. 97.	Jancelini Pr. Cart. Ann. 1.

S. HUGO IN PRIOREM A REGE PETITUR.

I. MILLESIMUS centesimus octogesimus Christi annus sequitur, Indictione decima tertia, quo S. Hugo Majoris Cartusiæ Procurator novæ Domui in Anglia conditæ præficitur. Ab annis tantum duobus hoc in Regnum missi fuerant nostri Instituti professores, qui gentis alienæ moribus non assuefacti, redire in Gallias meditabantur. Ac revera jam recesserat qui Protoprior fuerat nominatus, ejusque successore fatis paulo post functo, cæteri Fratres locum deseruissent, ni rex Henricus fundator eorum voluntatem alio flexisset, misso ad Majorem Cartusiam Reginaldo Lambacho Bathoniensi episcopo, qui tum Regis tum orbatorum monachorum nominibus, Hugonem Procuratorem in novæ Domus Pastorem a Guigone generali Ministro peterent. Sed ista ex sancti Viri Actis fusius et clarius accipe :

Vita S. Hugon. ms. lib. 2. c. 1.

« Ea igitur tempestate, qua bono Christi odore inter cæteros Domus Cartusiæ spirituales viros, Hugonis nomen celebre multorum circumquaque corda mulcendo etiam ora repleverat, contigit ad regis Angliæ Henrici secundi notitiam virtutum illius famam tali occasione pervenisse. Quadam die Rege in transmarinis agente, venit ad eum vir quidam Nobilis de Moriennæ partibus; Rex vero de Ordine Cartusiensi inter alia mutuæ sermocinationis verba pleraque inquirere cœpit. Nam dudum sancta illius fama præventus asciverat de Domo

ANNUS 1180

præfata quosdam Fratres, quibus et locum quem ipsi elegerant in Anglia contulerat, villam scilicet de Wittam appellatam in Bathoniensi territorio sitam, cum terris et sylvis, cum pascuis et vivariis, nec non et aliis fundandæ illius Ordinis Domui necessariis.

PRIMUS PRIOR WITHAMIÆ RECEDIT.

II. « Qui vero prædictis Fratribus Prior fuerat designatus, ad breve vix tempus in Anglia degere acquievit ; vacationi namque et quieti solitudinis assuefactus, negotium sollicitudinis tantæ constructioni debitum mente delicata non ferebat. Tædebat eum, imo et socios ejus pene cunctos, ritus gentis alienigenæ, dietæque insolitæ, et cæterorum quæ moribus advenarum et votis in solo peregrino de facili pariunt offensionem. Nam et Provincialium nonnullis eorum formidolosus videbatur esse in suos fines accessus, scilicet frustra istis metuentibus sibi, ne illi minus contenti propriis limitibus, eorum jugeribus occupandis inhiarent; quem indigenarum adversum se viri innocentes motum pullulare sentientes, et in futurum præcavere quieti suæ satagentes, Priorem suum ad Domum suam redire permiserunt, quatenus communicato cum viris sanctis consilio, vel animæquior ipse rediret sive alium loco suo ad hoc magis sufficientem destinari obtineret. Rediit ergo et loco ejus alius mittitur, qui tædio simili affectus, morte beata finem laborum et vitæ initium citius accepit. Reliqui, inter ista, Fratres variis perturbationum procellis immaniter fluctuabant. Rex vero angebatur medullitus ad hæc. Cœpit namque imaginari jam et pertimere futuri notam ruboris, qua inurendum se noverat apud Magnates multarum in circuitu nationum, si cœpta adeo salubria, adeo cunctis exteris gentibus honorabilia, nequivisset consummare.

Item secundus Prior.

S. HUGO APUD REGEM COMMENDATUR.

III. « Viro igitur memorato super tale accepit consilium : Ab his, inquit, Domine mi Rex, fluctibus unico vos et efficacissimo liberare potestis consilio. Est in Domo Cartusiæ quidam monachus, natalibus quidem clarus sed strenuitate morum longe præclarior, nomine Hugo de Avalon; hic omni virtutum gratia decoratus, ita est omnibus qui eum noverunt acceptus et gratiosus, ut solo aspectu omnium in se rapiat

ANNUS 1180

affectus. Qui etiam verbum ab ejus ore audire merentur, tanquam divinum se vel Angelicum gaudent oraculum percepisse. Hunc si novella adhuc in partibus vestris sanctissimi Ordinis hujus plantatio, cultorem habere meruerit atque rectorem, videbitis eam lætissime ad omnem subito gratiam fructificando proficere. Tota insuper, ut certus sum, Ecclesia Anglicana illius purissimæ religionis et religiosissimæ puritatis nitore venustius decorabitur. Cæterum quia hunc sui non facile emittent de Domo, ipse quoque nonnisi coactus et invitus alterius habitationis adibit sedem, favorabili et strenua opus est legatione, operosa etiam precum ambitione nitendum, quatenus hoc solum quantocyus impetrato, et vester de cætero animus a sollicitudinis hujus molestiis relevetur, et hæc sublimis Religio ad gloriam excellentiæ vestræ insignius propagetur. Invenietis in uno homine isto cum cunctarum virtutum universitate, quidquid longanimitatis et dulcedinis, quidquid et mansuetudinis in aliquo mortalium poterit inveniri. Nulli ingrata hujus vicinitas esse aut cohabitatio valet, nullus hunc vitabit ut alienigenam, nullus nisi ut civem, ut domesticum, ut fratrem aut amicum intimum illum respiciet; nam et ipse omne humanum genus non aliter quam propria attendit viscera, universos amplectitur et fovet ulnis unicæ charitatis.

LEGATI AD CARTUSIAM MISSI.

IV. « Hæc et in hunc modum plurima ille dixerat, dicenti quoque Rex multum applaudens et gratias agens, dirigit celeriter cum literis Regiis ad Domum sanctam Legatos venerabiles, Dominum videlicet Reginaldum Bathoniensem episcopum cognomento Lumbachum, et cum eo viros quosdam strenuos et industrios. » Deinde capite secundo postquam autor egit de tentatione, qua eum vehementer vexatum fuisse anno præterito narravimus, describit in capitulo tertio nunciorum ad Cartusiam adventum, assumpto secum Episcopo Gratianopolitano. Sic igitur rem prosequitur :

Ubi supra cap. 3.

« Venientes Regis Legati Cartusiam, assumpto secum venerabili Gratianopolitano Episcopo ipsius loci Diœcesano, literas Domini sui Priori et Fratribus præsentantes, persuasoriis verbis suppliciter et strenue prosequuntur. Omnibus vero

ANNUS 1180

ad primum contristatis auditum, Prior quam maxime conturbatur procrastinaturque eorum responsiò ; conscientiæ et vota discutiuntur interim singulorum. Prior primus penitus petitioni contradicit, Fratrum in diversa variatur sententia ; quidam talem virum et universitati Ordinis adeo profuturum ad tam remota loca dirigi nullatenus oportere dicebant ; alii vero, quorum unus Bovo quem postea Priorem Withamiæ hoc sæpius referentem audivimus, a Deo exiisse verbum Regis asserebant, nec tutum esse contradicere pluribus rationibus edocebant. Vos, inquit Bovo, nescitis quicquam, nec cogitatis quia superna dispositio facit hæc omnia, ut Ordinis hujus sanctitas per unum sanctum usque in extremos mundi limites splendidius elucescat ; sed neque putetis illum diu sub nostrarum latebrarum modio posse cohiberi ; credite meæ parvitati, inter præcipua Ecclesiæ luminaria ipsum in brevi audietis super candelabrum ecclesiastici regiminis sublimari. Dudum mihi virtutibus Hugo episcopus potius visus est quam monachus extitisse.

Ad eorum petitionem turbatur Conventus.

Bovo prophetisat Hugonem fore Episcopum.

IPSE S. HUGO SUAM PROFERT SENTENTIAM.

V. « Postulatus demum Hugo super hoc suam proferre sententiam ac suam aperire voluntatem, ita citius ait : Voluntati meæ super statu meo nihil penitus reservare jam pridem edoctus sum. Quid autem de his vere sentiam libere exponam. In medio vestræ sanctitatis tamdiu conversatus, monitis et exemplis vestris in tantum adjutus, nunquam vel per unum diem animam meam custodire scivi. Unde miror quomodo in cujusquam sapientis animum ascenderit, vel ita visum sit alicui, quod ad aliorum regendas animas longius mitti debeam. Qualiter vero instituere novam Domum sufficerem, qui Antiquorum instituta servare nequivi ? Puerilia sunt ista quæ audio, nec deliberationis tantæ spatio, salvo Reverentiæ vestræ beneplacito, aliquatenus digna. Omissis ergo talibus, cum et negotium arduum sit nec patiens dilationis, vestraque intersit solerter providere ne Regis illius cœpta ad periculum animarum et Ordinis sancti dedecus protelentur diutius imperfecta : e nobis, aut ex cæteris Domibus nostris, virum quempiam ad opus idoneum eligite et cum istis mittite ; viris

ANNUS 1180

autem istis tanquam sapientibus et vos sapienter respondete, velle eorum melius quam ipsi postulent adimplete, assignantes eis, non quem utpote decepti, sed qualem ut religiosi et discreti quærunt. Non expedit deceptos in persona postulati inconsultius exaudiri, qui decepti ipsi in qualitate personæ nec esse volunt; sic denique ut ipsi in sua petitione gaudeant se utilius quam petierunt exauditos.

Ubi supra cap. 4.

« Sed nec Prioris patrocinium hunc retinere cupientis, ei contra dispositarum a Deo rerum ordinem poterat suffragari. Utriusque contradictio, et Prioris videlicet et Hugonis dum nescienter nititur refragari, compellitur necessario famulari imperanti invisibiliter Majestati. Nam quo pertinacius Prior resistebat et quo instantius Hugo se ad hoc insufficientem asserebat, vehementius Episcopi præsentes cum suis consiliatoribus, junctis sibi tandem quibusdam Fratrum de Conventu natu majoribus, ut fieret quod tantus Rex petierat perurgebant.

CONSENTIT CONVENTUS.

VI. « Quid plura? Fratrum tandem universitas, tum precibus tum rationibus eorum qui advenerant victa, petentibus cedit; Hugo assentire a cunctis flagitatur. At ille in Priorem, cum in alium non posset, transfudit sententiam. Sciebat id sibi ab illo, qui eum ut animam suam diligeret et a se nullatenus elongari optaret, vix unquam aut nunquam injungi posse. Quem monitis sui Episcopi, cunctorum etiam gemebundis precibus qui aderant interpellatum, sic dicunt qui intererant respondisse : Vivit Dominus, nunquam sermo iste egredietur de ore meo, quo jubeam Hugonem senectutem meam deserere, suaque dulcissima et pernecessaria præsentia Cartusiam viduare. Qui nimia importunitate universorum tandem obrutus, et quid faceret potius non inveniens, conversus ad Dominum Gratianopolitanum, ait : Jam quidem ratum est quod de me dixi, Hugonem vox mea aut mens mea a me nunquam removebit. Tu jam videris; tu Episcopus noster es, tu et Pater, et frater; si hoc ei injungas, si præcipias, non ego contradico, non resisto. Nec plura est locutus, nam vocem interrumpentibus lacrymis indulgebat

Prior Cartusiæ contradicit.

affectibus suis, quibus mentis anxiæ leniret dolorem. Videres jam per ora cunctorum rivos effluere lacrymarum. Episcopus et ipse, ut erat piissimus, et monachus valde honestus et mansuetus, compellentibus omnibus, ut permissa sibi a Priore in Hugonem uteretur potestate, ita primum universos alloquitur :

ANNUS 1180

VII. « Quia vobis, Fratres carissimi, quos non minus conversatione quam professione christianæ perfectionis apicem conscendisse manifestum est, nos desides et a culmine vestræ sanctitatis longe inferiores, non necesse est ostendere quid in his quæ Dei sunt agere debeatis ; nec etiam monere ut vobis melius cognita strenue compleatis, qui in omni vita vestra non quæ vestra sunt, sed quæ Jesu Christi vos quærere comprobatis. Hoc unum ad memoriam vobis, Domne Prior, et vestræ, Fratres, universitati revocandum putavi, quomodo in casu simillimo se habuerunt prædecessores nostri. Cum enim ad instantiam sancti Cenomanensis tunc episcopi Bercitranni*, in occiduas Galliarum partes sanctissimus Benedictus dilectum et sanctum discipulum suum Maurum, fundandæ gratia Religionis monasticæ, destinaret, similem ibi luctum, ex luctus causa non dissimili, legistis exortum; quem suum pariter et Fratrum dolorem ea Sanctus Dei ratione compescuit, ut ostenderet non oportere servos Dei ullatenus contristari super his quæ velle noverunt Dominum suum, ubi et verbum memoria dignissimum intulit : Ne forte, ait, hac ipsa nostra tristitia, quod absit, inveniamur ordinationi divinæ contraire. Sed et te, Hugo frater charissime, in hoc quoque te imitari convenit, quem sequi semper dulce habuisti, unigenitum Filium Summi Patris, qui de altissimo secreto suæ Deitatis pro multorum salute ad publicum dignatus est exire humanæ conversationis. Et tu ergo peregrinari ad modicum a tuis charissimis, postposito interim quietis adeo dilectæ silentio, pro eo ne cuncteris in præsentis vitæ exilio, ut perenniter ei postmodum socieris in Beatitudinis suæ regno. Hæc ego licet indignus, vice ipsius in remissionem peccatorum tuorum, et ob compensationem etiam æternorum præmiorum

EPISCOPUS GRATIANOPOL. CONVENTUM ALLOQUITUR.

* *Al.* Berticramni.

Suadet Hugonem dimittant.

Hugoni præcipit ut acquiescat.

ANNUS 1180

tibi injungo, et in vi obedientiæ firmiter præcipio. Perge itaque sospes et felix cum venerabilibus viris istis qui te vocare venerunt, curamque suscipe Domus Withamiæ in Anglia favente Domino construendæ. Præsis constanter et prosis instanter loco et Fratribus ibi congregatis in nomine Domini, et congregandis. Hugo diffinitionem hanc aliquandiu se pedibus Pontificis advolvendo irritare nitens, nec quidquam proficiens, cessit postremo ; seque orationibus omnium præsentium commendans et Fratribus in osculo pacis valefaciens, cum Legatis profectus est, ad Regem venit, tandemque cum favore maximo ab ipso dimissus et ad Withamiam cum honore deductus, tanquam Angelus Domini a paucis Fratribus qui tunc ibi erant, in Priorem suscipitur cum gaudio ineffabili. » Hactenus Acta.

Cedit Hugo et in Angliam pergit.

GUIGO PRIOR CART. ABDICAT.

VIII. Paulo post beati Viri in Angliam discessum, Guigo Matris Cartusiæ pater, senectutem suam, ut superius dictum est, quasi desertam sentiens, fractusque annis non regimine, quod annis tantum sex sancti sui Procuratoris auxilio et consilio fretus tenuerat, abdicatum munus in Jancelinum, juniorem quidem sed magnæ spei monachum, transtulit. Transactis vero in solitudine aliquot annis, tandem plenus dierum et bonorum operum obdormivit in Domino. Porro qualis fuerit ejus successor Jancelinus, egregia illius facta per annos quinquaginta quatuor quibus præfuit, luculenter exhibebunt.

Jancelinus succedit.

HUMBERTUS PRIOR SELLIONIS QUONDAM ARCHIEPISCOP. LUGDUN MORITUR.

IX. Hoc anno, inter nos florens obiit Humbertus de Balgiaco cartusiæ Sellionis Prior, olim ex Lugdunensi archiepiscopo factus monachus Cartusiensis in Domo Vallis Sanctæ Mariæ. Hic antiqua prosapia Ulrico domino Balgiaci et Bressiæ ex Comitis Sabaudiæ filia natus, Stephani Matisconensis Præsulis, et Raynaldi Balgiaci, et Bressiæ Dynastæ frater, primo Canonicus et Archidiaconus Æduensis a Stephano patruo ejusdem Sedis episcopo nominatus, moribus ita exornatus videbatur, ut post ejus mortem (qui abdicato episcopatu vitam religiosam apud Cluniacum amplexus fuerat) ipse quoque mundo valedicere cogitaverit, ad id maxime invitatus

ANNUS 1180

Olim a Petro Cluniacensi ad vitam monasticam invitatus.

a Petro abbate Cluniacensi ut colligitur ex ejus epistola ad ipsum scripta, in qua inter cætera sic eum alloquitur: « Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, quia inspiratus ab Eo qui spirat ubi vult, jam cum quibusdam aliis cantare incipis : In domum Domini ibimus. Repletum est gaudio os meum et lingua mea exultatione, quoniam cum mundanis commodis undique circumfluxus florere videaris, jam quasi aridum mundum cum flore contemnere incipis. Ago inde gratias Deo, age et tu, sine quo nec istud nec aliquid boni agere prævales, quia omne datum optimum et omne donum perfectum est, descendens a Patre luminum. . . . Festina igitur, charissime, veni ad invitantem te Salvatorem tuum.... Non est tuta dilatio tibi, ne forte si nimium procrastineris, invidus Sathanas sancto ad Deum itineri tuo impedimenti alicujus obicem ponat, et gressus tuos, ne implere possis bonum quod inchoasti, retardet. . . . . . Addat tibi stimulos veniendi, venerabilis ille et cum honore nominandus dominus Stephanus Æduensis episcopus, avunculus, ut audio, tuus, qui spretis parentibus, nobilitate, fastu, divitiis, ipsis etiam episcopalibus infulis abjectis, pauperem Christum pauper secutus est, et in sancta devotione toto mentis affectu perdurans, atque inter manus meas extremum Deo spiritum reddens, cum veneratione tanto sacerdoti congrua, tam a me quam a Fratribus Cluniaci conditus est. Sequere igitur ejus vestigia, qui, cum ut nosti, prædicabilis homo sapientiæ esset. . . . . Veni et imple locum defuncti, quia paratus sum non minore te affectu quam ipsum suscipere, non minus tibi et saluti tuæ in omnibus providere, nec solum te, sed insuper quotquot tecum spiritu Dei tractos adducere volueris, suscipere, diligere, amplecti, fovere; decet te ad hoc summo cognomine niti, ut non solus si potueris, sed cum aliorum lucro ad Deum venias, etc. » Hæc ille.

FIT EPISCOPUS ÆDUENSIS.

X. Dum se Humbertus ad tam suavibus vividisque tanti viri suasionibus obtemperandum compararet, ad altiora a Deo vocatus, paulo post obeunte Roberto Æduensi episcopo Stephani de Balgiaco illius patrui successore, in ejusdem Sedis

ANNUS 1180

Histor. ms. Alb. Vezel.

fastigium collocatur ; deinde ad primariam Lugdunensem evectus, novum Cartusiæ Portarum templum suis sumptibus absolutum solemni ritu consecravit. Abdicatis tandem infulis, pauperem monachum in Vallis S. Mariæ cartusia professus, Priorem agere apud Sellionem non est dedignatus. Porro adhuc hoc anno præfuisse probatur ex donatione per Dominos de Balgiaco Sancto Vincentio Matisconensi facta, cujus Instrumentum Severtius integrum retulit, « actum (ut ibidem legitur) in præsentia Domini Humberti quondam Lugdunensis archiepiscopi, tunc Cartusiensis monachi et Prioris de Sellions. » Reversus tamen ad S. Mariæ Vallem, ibidem solitarius decessit, ut colligimus ex libro obituali Ecclesiæ Lugdunensis : « Humbertus Vallis S. Mariæ monachus et quondam Lugdunensis archiepiscopus, dedit S. Stephano unam casulam, duas tunicas, et duo candelabra quinque marcarum. »

Severt. in Episcop. Matiscon.

JOAN. SARISBERENS. EPISC. CARNOTEN. MORITUR.

Mabillon. in præfat.ad opera Petri Cellensis.

XI. Hoc pariter anno, non vero tardius, obiit Joannes Sarisberiensis episcopus Carnotensis, Divi Thomæ martyris olim a secretis, et ejusdem individuus exilii comes ac perpetuus illius virtutum imitator, quem etiam multoties ad verum contemptum hujus mundi et gloriæ ejus animabat tum voce tum scriptis, ut ex ejus literis videre est. Extant etiam ejus literæ ad Engelbertum cartusiæ Vallis S. Petri Priorem binæ, et aliæ ad eumdem et ad Simonem Montis Dei Priorem pro D. Thomæ causa, ut annis superioribus vidimus. Quanti vero faceret totum Ordinem Cartusiensem omni occasione ostendit, et maxime suis in scriptis, ubi summis eos semper laudibus evehit. In suo *Polycratico* vocat eos « accuratum absolutæ Religionis exemplar ». Et in Tractatu *de Curialium nugis* agens de hypocritis qui vestibus Cartusiensium, Cisterciensium, Cluniacensium vel etiam Canonicorum induti, ambitionis labem nituntur occultare, hos omnes Religiosorum Ordines laudat, probatque nullatenus a fraude hujusmodi hypocritarum religionis veræ diminui gloriam. « Nam, inquit, indubitanter omnibus constat, quia nomina quæ profitentur sive Cartusiensium, sive Cisterciensium vel aliorum, et quo-

Erga Cartusienses bene affectus.

Eos variis extollit laudibus.

rum pollicentur Officia, honestissima et fidelissima sunt. Nam Religio in his adeo vera, adeo probata consistit, ut nullus reprehensionis aculeos reformidet. Siquidem Cartusienses, quasi avaritiæ triumphatores, præcipui ubique clarescunt. » Deinde aliorum Ordinum, quos superius enumeraverat, laudes prosequitur. Et alibi iterum Cartusienses cum Grandimontensibus ad cœlum usque novis extollit elogiis, quod hi cum moderationis habenis avaritiam cohibent, et illi dum omnia mundana contemnentes et de crastino non cogitantes repellunt omnia, avaritia sic exclusa, ab hypocritarum nota et nomine longius absint. Incipiensque a Nostris, de his tale tradit præconium : « Hypocritarum autem nomen et notam cautissime et fidelissime declinant Cartusienses, et Magnimontis nova professio, in antiquæ virtutis culmine, Salvatore prævio, solidata. Siquidem Cartusienses cupiditati suæ imo necessitati limites præfixerunt, et moderationis habenis omnem avaritiam cohibent, et interdum ipsi necessitati aliquid subtrahunt, ne sub obtentu illius quippiam avaritia moliatur. Magni procul dubio viri et inter præcipuos numerandi, cum non modo professiones, sed jam senescente mundo, in tanta multitudine labentium seculorum, pauci processerunt homines qui satietatis sibi aliquos præscripserint terminos. Necesse est semper deesse aliquid curtæ rei, et ipse hiatus desiderii aliquid ulterius jugiter affectantis, imperfectionis signum est. Signum dico, defectum potius dixerim conscientiæ manifestum. Quodam igitur modo eoque glorioso perfectus est, qui prævidet unde valeat satiari. Quod etsi neminem vel admodum paucos Gentilium assecutos credam, huic tamen nonnullos institisse proposito certum habeo, cum et Ethicus dicat : Certum voto pete finem, sine quo in infinitum animi humani conatus protenditur, et id quod omnino nequeat apprehendi. » Et inferius : « Isti itaque propriæ voluntatis immemores, quærentes jugiter quomodo placeant Ei cui se probaverunt, laudem quæ ab hominibus est contemnentes, nec habentes nec volentes habere divitias, quam dicendi sunt habere cum hypocritis portionem ? Quod tamen miraberis

ANNUS 1180

Ibid.cap.23.

ANNUS 1180

jam ad Cartusienses divertisse dictus est aliquis, ut a sanctorum consortio evocatus ascenderet, et postea conversus retrorsum, quid quæsierit operum testimonio declarasse. At ille judicem suum habet; nec tamen unquam committere potuit ut sanctissimæ professionis gloriam denigraret. De Magnomonte neminem adhuc assumptum audivi ; sed utinam ut nunquam assumatur, aut talis qui nullo decoloret actu hominum singularis eminentiæ venustatem. Alii Basilium, alii Benedictum, hi Augustinum ; at isti singularem magistrum habent Dominum Jesum Christum. Licet autem istas duas professiones, minus tamen quam meruerint, commendaverim ; nihil, Deo teste, in sugillatione aliorum in professionibus suis recte incedentium protuli. Sancti sunt utique Cistercienses, Cluniacenses sancti, sancti Monachi et Canonici Regulares, et in his sicut stella a stella differt in claritate, sunt aliis aliis sanctiores ; et quamvis professionem professio antecedat, in quavis eorum sorte reperientur qui possint Sanctis superioribus adæquari. »

Hactenus Joannes Sarisberiensis, cujus obitus dies fuit 25 Octobris.

GUILLELMUS PRIOR EREMI S. BRUNONIS ABDICAT.

XII. Guillelmus de Messana, Magister sive Prior Eremi S. Brunonis in Calabria, adhuc ibidem præerat hoc anno, ut probat noster Constantius ex cujusdam instrumenti fragmento quod sic habet : « Cum ego Radulfus de Bussiane Panormi præsens existerem, Magister Guilielmus ecclesiæ sancti Stephani de Nemore una cum Fratribus suis, regiæ Curiæ querelam deposuerunt dicentes, etc. Datum anno Dominicæ Incarnationis MCLXXX, mense Martio, Indictione XIII. » Haud diu post abdicavit idem Guillelmus, nam mense Martio anni sequentis alter, Guido nominatus, præerat, ut dicemus.

JESU CHRISTI

ANNUS 1181.

Alexandri PP. III Ann. 22.	Ord. Cartus. Ann. 98.	Jancelini Pr. Cart. Ann. 2.

ALEXANDER III MORITUR. LUCIUS III SUCCEDIT.

I. SEQUITUR annus Redemptoris millesimus centesimus octogesimus primus, Indictione decima quarta, quo Alexander Papa post sui Pontificatus dignissimam functionem ex hac vita migravit, sexto Calendas Septembris: cui quarto Calendas ejusdem mensis successit Humbaldus cardinalis Ostiensis dictus Lucius III.

PETRUS PRIOR LUVIGNIAC. FLORET.

Stephanus Le Grand, in Hist. sac. Urbis Castell. ad Sequanam.

II. Hoc anno Petrus Luvigniacensis cartusiæ Prior, de mandato et nomine Manassis Lingoniensis episcopi, interfuit translationi sive elevationi corporis sancti Vorlii, factæ die 24 Maii in ecclesia B. Mariæ Castellionis ad Sequanam; præsentibus, et nostrum Priorem (qui vicem et personam Episcopi in hac cæremonia gerebat) comitantibus, Antelmo ejusdem Castellionis, Armerio Ungiaci, et Hugone Pultariensi abbatibus.

S. HUGO PROMOVET FUNDATIONEM WITHAMIÆ APUD REGEM.

Vit. S. Hug. ms. lib. 2. cap. 5.

III. Nunc liceat in Angliam transfretare, et S. Hugonem invisere novæ plantationis Withamiensis constructionem et dotem apud Regem urgentem et promoventem. « Quos autem, ait illius Vitæ autor, invenit Fratres, habebant cellulas ex asseribus contextas, vallo perexiguo et palis circumseptas. In his utcumque usque ad tempus correctionis se recipientes, omnibus, ut breviter dicatur, aut pene omnibus necessariis ac debitis Ordini suo adminiculis erant carentes. Neque diffinitum erat usque adhuc, ubi major, ubi minor ecclesia; illa Monachorum cum cellis et claustris, ista cum Fratrum do-

ANNUS 1181

munculis et hospitum diversoriis aptius construi debuisset. Villam supra dictam, eorum jam ditioni collatam, per censuram habitatores pristini incolebant; necdum eis provisum fuerat ut sedes avitas sine murmure, sine sui læsione, novis vellent vel possent successoribus cedere. His et aliis de situ, de qualitate loci, nec non et cæteris quæ necessitas Ordinis flagitabat loco convenire, vel utilitati ibi conversantium inservire, diligenti solertia perspectis ac sigillatim prænotatis, Hugo (nam inter eos ita condictum fuerat) ad Regem citius repedavit. Cumque de singulis quæ sibi viderentur exposuisset, Rex in omnibus prudentiam illius et modestiam ad miratus, quæcumque ille disposuit et ipse approbavit, quæ postulavit clementer indulsit. Ac primo quidem universos convocari fecit prædiorum vel rerum quarumlibet possessores, quos loco cedere oportebat, ne quolibet strepitu aut frequentiæ cujuslibet accessu, solitudinis suæ alta silentia interrumpi aut saltem interpolari vel modice potuissent. Quibus ex parte Regis optio data est in commune, ut ex duobus quod maluissent unusquisque eligeret : agros scilicet et habitandi loca, pari conditione ut apud Withamiam fuerant sortiti, in regiis ubi elegissent maneriis reciperent, aut pristinæ servitutis jugo absoluti quas vellent regiones libere incolendas adirent. Tunc, aliis terram, aliis petentibus libertatem, Hugo juris benigni æmulator tenacissimus Regi ait : Jam, Domine, hoc etiam provideri necesse est, ut pro domibus, vel quibuscumque in culturas et varias structuras sumptibus aut sudoribus istorum, compensatio pecuniaria tribuatur, quatenus in nullo per nos detrimentum sustinentibus, lætis et benevolis succedamus grati. Ad hæc imprimis cum velut difficilem se exhiberet Rex; ille in bonitate præcipuus, interventu strenuus adjecit dicens : Revera, inquit, Domine mi, nisi usque ad obolum novissimum super omnibus his fuerit prius satisfactum hominibus istis, locus idem non poterit conferri nobis. Ita vero mercem, sibi ut putabat in nullo profuturam, Rex emere compulsus, tuguria scilicet vetustissima, ligna cariosa et parietina semiruta, multum effudit æs pro brevi commodo.

ANNUS 1181

PRISTINI WITAMIÆ COLONI EMITTUNTUR.

IV. « Venditores, accepto pretio, novo negotiationis genere exhilarati quidem benedicebant institorem qui de longe portavit panem suum; panem utique confortantem, primo cor proprium ne Regi quod esset dignum reticeret, et ut quod esset congruum mediocribus exhiberet. Deinde etiam ipse Rex et illi mediocres eodem pane roborati et confortati sunt, utrique ad ædificationem animæ: sed illi qui egebant, etiam ad solatium hujus vitæ. Verum negotiator iste bonus tantillo non contentus lucro, nisi justitiam servasse potius quam fecisse misericordiam sibi videretur, ita Regi ore faceto rursus infit: Eia, Domine mi Rex, ecce in terra tua propria divitem te domibus nervosis advena ipse et egenus feci. Ad hæc subridens ille, sic inquit : Ditescere ego non sic cupiebam, divitiæ istæ pene me egenum fecerunt; sed nec scio cui sint usui opes istæ ? Tunc Hugo eliciens per ejus responsum occasionem quod intendebat proferendi : Bene, inquit, et ut bene video, parvi penditis commercium istud. Fiat igitur quod vestrum deceat magnitudinem, mihi non habenti ubi caput reclinem, dentur ædes istæ. Stupens ad hanc postulationem Rex, et postulantem cum admiratione intuitus : O, inquit, Dominum mirabilem ! non putas quod novas domos vobis valeamus extruere ? Dicito tamen quid tu inde faceres ? At ille: Non decet, inquit, regiam amplitudinem de quibusque minimis interrogare. Hæc prima est petitio mea ad te; et cum sit modica, cur moram patior in exaudiendo ? Tunc Rex alludens libenter, ingenium viri longa concertatione verborum explorabat. O, inquit, hominem in solo peregrino jam violentum ! Iste si viribus uteretur, quid ageret, qui verbis ita extorquet ? Ne vero duriora nobis inferantur ab eo, fiat quod exigit. Tunc ille concessas sibi ædes omnium, pristinis dedit eas possessoribus, quarum illi jam pretium possidentes, iterato ut aut ipsas pretio distrahant aut transferant alias iterum inhabitandas. Sic ille, non jam in sanguinibus ædificaturus Hierusalem, Neemiæ solertia præditus et devotione, favore Salomonis, sollicitudine David, locum extruere festinabat.

ANNUS
1181

REGE SUMPTUS AD ÆDIFICIA NON SUPPEDITANTE.

Ubi supra cap. 6.

Cessatur ab opere.

V. «Accidit interea, majoris constructionis jam parte convenienter explicita, Regem variis regni curis detentum minus intendere quibusdam fabricis perficiendis, quarum usus pernecessarius videretur. Inde sumptibus in stipendia deficientibus, artifices queruli Priorem et Fratres importunis crebro verbis lacessebant. Hinc Prior quosdam ex Fratribus ad Curiam destinavit, qui Regi super hujusmodi defectu suggererent, huncque suppleri obtinerent. Ille provisurum se citius negotio, et necessaria pollicetur esse missurum. Redeunt qui missi fuerant nihil præter verba reportantes. Dissimulante iterum Principe quod promiserat adimplere, cessatum est funditus ab opere. Prior sub silentio sustinendum credidit, ut Rex motu proprio, quod expedire noverat, exequi studeret. Verum ipso diutius negligente, iterata legatione interpellatur ; iterumque sicut prius verbum, non datum reportatur. Inter hæc multa dilatione protracta, tædium subrepsit Fratribus. Quidam ex his bile commoti, verbis in Priorem asperioribus invehuntur. Desidiæ eum simul et negligentiæ incusant, qui per seipsum Regem, licet in remotis agentem, pro tanto negotio jam olim non adiisset. Fratrum autem quidam Girardus nomine, vir austeri quidem ingenii sed bene religiosus, et sermone inter Magnates et Principes efficacissimus, talibus Priorem affatur : Quousque, inquit, Domine Prior, palpandum judicatis hominem durissimum, nec potius et palam denunciatis ut consummet citius ædificia, quibus carere non debet forma Ordinis nostri ; aut si ulterius differre maluerit, valefacientes ei, ad patriam et Domum propriam una redire cum omnibus nobis maturius festinetis ? An minus advertitis, quia in Ordinis nostri redundat injuriam tanta circa nos incuria, et nos ipsi pateamus cunctorum in circuitu derisioni, qui tot jam temporibus hic commanentes exiguis nequeamus mansiunculis istis culmen imponere ? Quod si verecundia vos innata cohibet ne homini huic quæ decent proferatis, adeamus ipsum pariter, et quæ ei dicturus sum ego, ipsi audietis. Convocatis autem cunctis Fratribus, et negotio in commune prolato, placuit omnibus

Girardum cum Priore proficisci ad Regem. Et consilium vestrum, inquit Prior, et ego gratanter accepto. Verumtamen vobis, Frater Girarde, erit, ut quemadmodum libere, ita et modeste vos habeatis in vestro sermone; cum sicut vere comperi, Princeps iste sagacis admodum ingenii et inscrutabilis fere animi, forsan ut tentet nos, dissimulat exaudire nos. Scit procul dubio perfectionis quam professi sumus quam maxime interesse illud Dominicum implere documentum, quo dicitur nobis: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Necnon et illud beatissimi Pauli: In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros, in multa patientia. Multa vero patientia in eo probatur, si multa contraria sive adversa in multa lenitate supportet longanimitas multa. Patientia enim sine longanimitate, non multa sed curta erit; absque lenitate vero prorsus nulla erit.

ANNUS 1181

VI. « Assumptis itaque secum Prior prædicto Girardo, et alio Fratre Ainardo, viro grandævo et probatissimæ virtutis in sancta Religione, ad Regem profectus est. Quos ille omnes ac si cœlestes Angelos venerabiliter excipiens, ad insinuationem instantis negotii blanda locutus, bona pollicitus, dilationis metas excusans, celerius omnia perficienda promittens, sumptus impræsentiarum non contulit, nec quando esset collaturus certius intimavit. Tunc vero infrendens Frater Girardus, suæque potius deliberationis pristinæ quam admonitionis sibi factæ memor, Regem aggreditur durius arguere. Demum quidquid, ait, de cætero vobis visum fuerit, Domine Rex, de faciendo et omittendo opere, mea ulterius non intererit. Totum vobis regnum vestrum quietum cedo ; ad nostram potius Cartusiæ Eremum, vobis valefaciens mox redibo. Putatis vos nobis gratiam exhibere si vestro nos vel pane sustentetis, cum eo penitus non indigemus? vere satius nobis est ad saxa nostrarum confugere Alpium, quam ad talem hominem conflictum habere, qui totum quod pro sua salute geritur tanquam perditum arbitratur. Habeat sibi, citius amissurus et cui nescit ingrato relicturus, opes quas tantum amat, nec Christus his dignatur, nec quisquam bonus partici-

S. HUGO CUM F. GIRARDO REGEM CONVENIT.

Generosa Fratris Gerardi ad Regem responsio.

ANNUS 1181

pari. Hæc ita et his similia, imo et his satis duriora, Girardi blandimenta ad tantum Dominatorem fuisse referuntur. Quid vero pio inter ista et modesto Priori suo animi fuit ? Referebat sæpius jam Episcopus talia eum et tanta prosecutum, ut horum post tantum temporis ipse reminiscens totus inhorresceret. Tunc vero cum proferebat heros ille, cui ex Spiritu Dei tanta libertas fuit, hic tanto vice Regis suffundebatur rubore, ut vix confusionem cordis sui ipse toleraret. Monebat autem Prior Fratrem modestius effari, talibus parcere aut penitus silere. Verum is, ut erat conscientiæ purioris, reverendæ canitiei, sanguinis etiam generosi, nihil ducebat quæcumque dixisset. Sed cum jam dictis alia et alia, quibus corrigeret aut erudiret, adhuc dicta subnecteret, putares eum cum Eliu amico B. Job musto zeli inebriatum loqui : En venter meus absque spiraculo, quasi mustum quod laguncculas novas disrumpit. Itemque : Conceptum sermonem quis poterit prohibere ? Verum interea videres Regem philosophantem. Non vultus immutavit, non verbum edidit, imo tacitus et tranquillus dicentem sustinuit, quousque universa quæ mente concepisset ore parturiret. Tandem iste satiatus præcordialique parturitione exoneratus, finem fecit objurgationibus, et silentio labia flagellantia concedens, spiritum continuit, vocem pressit.

SUMPTUS REX SUBMINISTRAT.

VII. « Habito post hæc ab universis aliquandiu alto silentio, Priore vultum præ confusione deprimente, Rege autem sub aspiciente æstus mentis illius et ex gestibus illius perpendente, sic tandem ipse Rex orsus est loqui : Quidnam tu meditabundus deliberas tecum, Vir bone ? Num et tu abire disponis et cedere nobis regnum nostrum ? Ad quem ille submisse et leniter : Non adeo de vobis, inquit, Domine despero. Potius compatior impedimentis vestris et occupationibus, quibus impediuntur salutaria studia animæ vestræ. Occupati enim estis, et cum Dominus adjuverit, bene prosequemini cœpta salubria. Tunc Rex complexus eum, cum juramento ait : Per salutem animæ meæ, dum vitales spirabo auras, tu a regno meo non discedes. Tecum enim pariter salutaria con-

silia, tecum et studia animæ meæ necessaria. Misit extemplo sumptus, opusque summa cum instantia jussit compleri. »

ANNUS 1181

JANCELINI STUDIUM CIRCA ELECTIONEM PRIORUM.

VIII. Circa hæc tempora, vel saltem sub initium sui regiminis, Jancelinus totum observantiæ robur in sapienti Priorum gubernatione positum esse sciens, curam omnem atque industriam huc contulit ut strenui Priores cunctis Domibus præficerentur. Quod ut melius procederet, electionum formam in Guigonis Consuetudinibus non satis singulatim digestam, paulo fusius a Capitulo generali explicari voluit hoc decreto : « Ad electiones Priorum nullatenus qui de Ordine nostro non sunt advocantur ; et si præsentes sint, nullo modo de ipsis eos consulere debemus. » Hæc jam sancita fuerant Basilii tempore, et quidem sapienter, cum hujusmodi homines, ut quidam optime observavit, « non habent notitiam singulorum ad quos pro electione oportet habere respectum. » Sed prosequamur decreti verba. « Electiones infra quadraginta dies fiant. Domus autem quæ in hoc fuerit inobediens, illius potestatem electionis amittat. Porro priusquam electio fiat, Conventus electionem facturus petat licentiam a Domo Cartusiæ, quos voluerint indeterminate, duos convocandi Priores. Quæ semel data, si forte qualibet ex causa electio nequiverit effectum sortiri, sufficiat eis ad convocandas quotiens voluerint eosdem aliosve Priores, donec fine potiantur optato. Priores vero Capituli autoritate præcipiant, quatinus secundum Deum talem eligant, qui et dignus et idoneus existimetur ad officium Prioratus ; cujus vita, mores et conversatio, Fratribus et iis qui extra sunt, esse debeat in sanctæ conversationis exemplum. » Hæc quidem ita præscripta fuerunt pro Domibus a Cartusia non nimis remotis ; quamobrem sub initium sequentis seculi ipse Jancelinus eadem autoritate declaravit : « Ab hac observatione, nempe duos convocandi Priores et electionem infra quadraginta dies faciendi, Domus remotas, quorum Priores ad Capitulum venire singulis annis non tenentur, exceptas esse ; de quibus est statutum ut si in aliqua Domorum Sclavoniæ Prior sit eligendus, petant quam citius potuerint a Domo Cartusiæ licentiam eligendi ; quæ

Ex constitut mss. Basilii.

Ex glossis mss. ad Ant. Stat.

Constitut. mss. Jancelini

Ubi supra.

ANNUS 1181

permittet ut vicino sibi Priore vocato et præsente contenti, eligant, etc. » Quod etiam Domibus Angliæ, Scalæ Dei, et sancti Bartholomæi de Trisulto postea concessum est. Denique « potest de Domo qualibet omnis monachus eligi, etiam Procurator » ; non tamen Prior, nisi esset professus Domus eligentis. « Sede vero Prioris vacante, cellam ejus custodiat Procurator, et integre res contentas. » Hactenus de Jancelini constitutione. Quæ omnia Rifferius suis interseruit Statutis, mutatis tamen et interjectis quæ necessario mutanda et interjicienda erant : nam, verbi gratia (quia Concilium Lateranense sub Innocentio tertio celebratum tres menses pro termino electionis constituerat), verba Jancelini, quibus electores qui infra 40 dies non eligerent potestate eligendi privabantur, merito mutavit, declarando solum inobedientes a Capitulo generali « pœnam sustenturos condignam. » Quædam alia ibidem mutavit et addidit Rifferius eidem Lateranensi Synodo consonantia. Et ne quis deinceps contra illius decreta peccaret, 23 et 24 capitula dicti Concilii integra suis in Statutis interponi sapienter curavit, ut ibidem videre est.

Ant. Stat. p. 2. c. 5. n. 3.

Ant. Stat. ubi sup. num. 13 et 14.

Circa Novitiorum receptionem.

Deinde circa Novitiorum receptionem, et maxime, ne cui locus antequam vacaret imprudenter promitteretur, per Diffinitores hanc fieri declarationem Jancelinus procuravit : « Displicet nobis quod loca non vacantia aliquibus in Ordine nostro aliquando permittantur. Volumus tamen et præcipimus, ut cum loca ipsa vacaverint, eis quibus promissa sunt sine dilatione reddantur. Interim autem recepti ipsi non mutent habitum secularem nec barbam nutriant; et si mortui fuerint, ad ecclesiam parochialem sepeliendi portentur. » Hæc ordinatio forsitan facta fuit occasione cujusdam in Monachum recepti in alterius locum qui mortuus credebatur, de quo Robertus de Chorceon, theologus Parisiensis et postea Cardinalis, eodem vivens tempore hæc narrat : « In Cartusiensi ecclesia non possunt esse nisi tredecim Monachi, sicut institutum est in illo Ordine : sed de facto ibi accidit, quod quidam illorum credebatur esse mortuus, et supervenit alius qui substitutus est in locum illius.

Robert. de Chorceon, de Simon. c. 17. Ex cod. ms. S. Victor. Paris.

Tandem ille qui credebatur esse mortuus, rediit petens locum cellulæ suæ. Constat quod ille qui supervenit, vere est monachus quia fecit plenam professionem.» Nec dubium quin locus priori monacho restitutus fuerit, loco pariter posteriori relicto. Nam in eo casu vel similibus, juxta ejusdem Jancelini constitutiones, poterant esse in eadem Domo 14 Monachi; quorum excedente numero ex aliqua inopinata causa, quintus decimus « communi consilio ad aliam Domum mittebatur, donec locus in sua vacaret. »

ANNUS 1181

IX. Hoc pariter anno Guido Calabriæ Magister, quem noster Constantius, nulla tamen prolata autoritate, dicit fuisse Rogerii Calabriæ comitis filium, præclaram pro infirmis constitutionem edidit, quam licet vetustate depravatam, idem Constantius satis feliciter enucleavit, ut sequitur:

GUIDO CALABRIÆ PRIOR CONSTITUTIONES EDIT PRO INFIRMIS.

Acta ms. S. Brunonis et successorum in Calabria.

« In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen. Quoniam dignum et Juri consentaneum fore nequaquam ambigitur, et Religioni præsertim non modicum consulitur, ut infirmantibus Fratribus sufficienter pro cœnobii possibilitate stipendia ministrentur, ut qui relictis bonis et propria voluntate postposita elegerunt contemplationi vacare, valetudinis tempore, cum sibi ipsi superesse non possunt nec regulariter cum Fratribus cibaria delibare, si sint imbecilles et infirmitatis aculeis lacerati, non aliquatenus negligantur. Ideo nos omnes Fratres S. Stephani de Nemore, communi consensu et voluntate omnium tam Clericorum quam Laicorum, statuimus et omnino firmamus, ut Obedientia sive Grangia de Capisto (id est Arenæ) cum omnibus suis pertinentiis, de cætero in quibusque necessariis infirmorum utilitatibus perpetim deserviant. Et quod superfuerit de vino et tritico, peracto infirmorum stipendio et abstracta præfatæ Obedientiæ sufficientia, reliquum vini et tritici universitati proficiat. Item decimas omnium gallinarum, quæ debentur annuatim ab Obedientiis ecclesiæ S. Stephani, Infirmariæ dari concessimus. Et quia languentium Fratrum custos nullus a Magistro vel alio tantum eligatur, nisi ab universitate Capituli. Et Prior Claustri et custos infirmorum, omnia quæcumque poterant

ANNUS 1181

habere de prædicta Obedientia Capisti, ad utilitatem infirmorum conservent. Item decimam omnis casei et butyri propriæ mandræ S. Stephani, et decimas vineæ Spatulæ hospitali dari decrevimus. Panis vero ad usum pauperum a Cellario accipiatur juxta mensuram indigentium.

Non licet Priori Fratrem expellere.

« Sancitum præterea est, quia prospeximus fore necessarium, ne cuiquam Magistrorum seu Priorum Domus liceat aliquem Fratrum excedentem, autoritate tantummodo propria expellere, nisi prius bis et ter correptus fuerit, ex illius Capituli B. Benedicti institutione quod sic intitulatur : De his qui sæpius correpti emendari noluerint. Quicumque vero hujusmodi Statutum obscura calliditate infringere tentaverit, aut colorata fraude hoc decretum violare temere præsumpserit, anathematis vinculo quousque resipuerit mancipamus. Ideo igitur scripti violatorem hujus, tam districta ultione, extinctis cereis execrari volumus ; quia infirmi Fratres humana negligentia contemnebantur, et languentes valida compulsi necessitate, mori magis desiderabant quam taliter vivere. Fratres vero aliquoties absque rationabili expulsionis culpa, etiam inconsulto Capitulo, tam improvide expellebantur quod videbatur satis reprehensibile et animarum saluti admodum contrarium. Hoc sancitum est et omnium Fratrum voluntate firmatum ut deinceps divino securius insistant obsequio. Hæc autem institutio facta est tempore Fratris Guidonis filii Rogerii, qui tunc Domui præerat, mense Martio, Indictionis XIV, anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXI. »

Quidam qui hujus Statuti fragmentum tantum viderat, autorem ejus credidit et scripsit fuisse Magistrum Lambertum, quem sciebat multas utiles Constitutiones edidisse, ut alibi vidimus.

JESU CHRISTI

ANNUS 1182.

Lucii PP. III	Ord. Cartus.	Jancelini Pr. Cart.
Ann. 1.	Ann. 99.	Ann. 3.

HENRICUS ANGLIÆ REX MULTAS PECUNIAS ORDINI LARGITUR.

Gervas. in Chron. ad an. 1181 et 1182.

I. ANNUS sequitur Redemptoris millesimus centesimus octogesimus secundus, Indictione decima quinta, quo Henricus Angliæ rex cum in Gallias transire decrevisset, Comitem Flandriæ cum Rege Galliæ reconciliandi gratia, suum prius condidit testamentum « ac si in crastino, inquit Gervasius, vel in proximo esset moriturus. » In eo Cartusiensium non oblitus multam toti Ordini pecuniam legavit, ut discimus ex ipsis testamenti tabulis, ubi inter cætera hæc de Nostris habentur: « Domui et toti Ordini de Chartosa II mille Marcas argenti. » Paulo post transfretavit Rex, et pacem inter dissidentes Principes fecit.

S. HUGO STATUM SPIRITUALEM APUD WITHAMIAM FIRMAT.

Vit. S. Hugon. ms. lib. 2. c. 9.

II. Interea absolutis ejus liberalitate novæ cartusiæ Withamiensis ædificiis, nihil S. Hugoni ibidem Priori tam cordi fuit, quam ut alta spiritualis ædificii jaceret fundamenta ; sed hæc ex ejus Actis audiamus. « Ipse jam completa ædificatione utriusque mansionis, Monachorum scilicet et Fratrum, solitis sanctæ conversationis exercitiis, quo liberius eo et impensius vacabat. Tempus omne quod somni sola necessitas sibi minime vendicasset, orationi aut lectioni, meditationi vel spirituali indulgebat collationi sive exhortationi. Quamquam et dormienti corpore, mentis nunquam dormitionem subrepere credidisses, si familiarius ei adhæreres, si dormientem sollicitius observares, si referentem quæ cordi vigili inter

62a

ANNUS 1182

soporis nexus spiritu liber percepisset studiosius attendisses; audires hunc centies, cum vehementi spiritus impulsione, cum forti labiorum impressione, sive in die sive in nocte quiescentem, mysticum illud, toties ore Dominico iteratum, *Amen*, quasi in conclusionem præmissæ orationis proferre. Nil vero aliud ab ore dormientis, sicut plerisque moris est aut voces aut verba somniando emittere, procedebat; sed leniter, silenter et quietissime pausando, et nunc per intervalla rarius, nunc vero frequentius protracta aliquantulum prima syllaba, et ultima in acutum veluti jaculando emissa, *Amen* innumeris vicibus repetebat. Quoties hoc a dormiente prolatum audivimus, toties illud Sponsæ de Canticis illi congruere sentiebamus, ut loqueretur cœlesti Sponso suo anima ipsius dicens : « Ego dormio et cor meum vigilat, » imo et orat. Quoties vero nobis ea quæ per soporem percepisset, sensisset aut audisset referebat, hymnidicum illud competere ei perpendebamus quod ille vigilando etiam attentius ipse canebat : « Exuta sensu lubrico, te cordis alta somnient. » Nec mirum si dormienti non deerat interna serenitas, intima claritas, mira suavitas, quem vigilantem nec externa vanitas, nec cæca curiositas, nec impura voluptas, suis irretire illecebris ullatenus valebant.

Etiam dormiens orat.

« Cum vero corporalia sumebat alimenta, cum faucibus tereret cibi nutrimenta terreni, tunc potissimum aures ejus esuriebant et hauriebant verbum Dei. Si cum Fratribus, pro more juxta consuetum diei festi refectorium ingressus, una cum illis pranderet (prout ipse cæteros et monebat et docebat), oculos in mensa, manus in scutella, aures ad librum, cor ad Deum semper habebat. Si solus edebat in cellula, partiebantur sibi liber et mensula oculorum officia. Tunc enim et luminis officia sibi distrahebant vicissim, hinc liber apertus, hinc panis appositus; nam pulmenta rarius adjiciebantur. Aqua sola sæpius poculum et jusculum fuit. Condimentum his epulis pretiosissimum nunquam defuit, sermo Dei. Codicem celeri perstringens obtutu, velut raptim animo potius transmisit quod ruminaret, quam desiderio quod illud satia-

In mensa verbum Dei vel audit vel legit.

ret, aut studio quod illi satisfaceret. In omni namque tempore et in omni loco, quod loci, quod temporis flagitaret ratio, hoc et ipse faciebat, hoc et aliis agendum monebat; quam adeo velut in habitum fidei verterat ordinatissimam et saluberrimam institutionem, ut cum semper totus et integer esse videretur in eo ad quod eum intendere præscribebat loci præsentis aut horæ dispositio, hoc ipsum etiam tempore quiescendi observaret in lectulo. Nunquam eum lectulus, dummodo esset incolumis, vel ad momentum tenuit vigilantem. Mox ut ejus membra statum excepisset, et ipse pariter sopor excipiebat. Si quando intempestive quolibet casu excitaretur a somno, confestim vel ad orationem surgebat, vel sub momento solvebatur rursus in soporem. »

ANNUS 1182

III. His religiosis exercitationibus totus intentus Hugo, non se solum sed suos, præsertim suo exemplo, oratione, lectione, meditatione, aliisque pietatis studiis imbuere, eisque die ac nocte incumbere tanto ardore satagebat, ut brevi laboris sui fructus perceperit non mediocres. « Confluebant enim ad eum plurimi diversæ conditionis seu professionis viri religiosi, aspectu illius et affatu ædificari et instrui, et munere optatæ consolationis refoveri citius præsumentes. Nec vero sua quemquam spes fallebat, nullus in hac parte pio fraudabatur cordis desiderio. Cunctis apud Wittamiam exempla dabantur perfectæ Religionis, omnes reportabant inde documenta sanæ instructionis : quisque ibidem affectu replebatur piæ devotionis. Hinc subito per omnes Britanniæ vel Angliæ fines, sanctæ hujus opinionis fragrantia suavius diffusa, præcordia multorum tantæ dulcedinis afficiebat gratia, ut viri literatissimi variisque reditibus ditati, relictis hujus seculi pompis, sanctæ et sinceræ illius conversationis humilitatem tota devotione expeterent totaque alacritate subirent. Gaudebant illustrissimi disciplinarum secularium Magistri, sub tanti magisterii Doctore illud implere Apostolicum : « Si quis inter vos videtur esse sapiens, stultus efficiatur ut sit sapiens. Abdicata itaque vana mundi sapientia, sub disciplina præceptoris a Deo docti efficiuntur et ipsi docibiles Dei, tramitem christianæ

QUANTÆ VIS FUIT ILLIUS EXEMPLUM.

Ubi supra cap. 10.

Quod viri docti et divites sequuntur.

ANNUS 1182

Item monachi et clerici.

Philosophiæ indeclinabili vitæ carpentes rectitudine. Nonnulli quoque ex monachorum et clericorum Ordinibus Regularium, sub virga solertis se transferre cupiebant Pastoris, sagaci nimirum animo perpendentes, corporeæ quidem pascuæ ariditatem quæ penes eum reperiebatur, pinguedine spiritualis alimoniæ uberius compensari. Experientia docente, sentiebant manifeste longius a Pastore isto relegari maledictionem illam qua mulctabatur, in libro beati Job, qui pavit sterilem quæ non parit, et viduæ bene non fecit. Hujus quippe sub dispensatione Pastoris, hæc versa vice sterilis, de qua et per seipsam Veritas : Caro non prodest quicquam, macerabatur abstinentia, squallebat cilicio, vigiliis pro deliciis, frigore et inedia exercebatur. Vidua vero, cujus vir abierat via longissima nec ante plenilunium reversurus, sed tunc sub integro meritorum fulgore, ad cœlestis eam thalami delitias introducturus ; hæc, inquam, vidua apud fidelem hunc amicum Sponsi epulabatur quotidie splendide, calceabatur hyacintho, induebatur purpura et bysso. Nihil tamen cum illo divite huic erat commune, qui post hujus nominis cultum et epulum, sepultus est in inferno. Hujusmodi namque byssus viduæ, secundum Apocalypsim, justificationes fuerunt carnis et spiritus ; purpura, carnis Dominicæ stigmata ; hyacinthus vero, cœlestia desideria quibus internorum affectuum muniebantur vestigia. Talibus siquidem insignibus adornata nutriebatur in croceis, et juxta sententiam Viri sapientis : Epulæ ejus diligenter fiebant. His ipsa quotidie saginanda epulabatur quotidie, splendoribus repleta cœlestis Theoriæ. Hoc videntes et cognoscentes plurimi, nitebantur suscipi in sancta triclinia fœminarum. Earum vero Præpositus, ut erat vir prudens per omnia et circumspectus, nec cito nec facile aperiebat pulsantibus. Probabat namque spiritus, ut monet Apostolus, si ex Deo sunt ; et quidem non sine cauta dulcedine et leni quadam asperitate, aperuit aurem quibusdam post longiora probamenta perseverantibus in pulsando. Verum, ut ex fine patuit, non in omnibus illis beneplacitum fuit Domino. Abierunt retrorsum, et si forte non omnimode

post Sathanam, ex illis vero quidam declinabant cum Loth a monte arduæ contemplationis, salvandi forsitan in Segor actionis piæ ; non valentes cum Moyse ad caliginem conscendere in qua erat Deus, sed redierunt ad tabernaculum suum ubi habitaverant prius. »

ANNUS 1182

ADAM ABBAS ORD. PRÆMONS. FACTUS CARTUSIENSIS.

IV. Inter cæteros, quos S. Hugo ad habitum Religionis recepit, eminet Magister Adam de Brabantia, vir summæ ac in rebus divinis mirandæ eruditionis, qui dimissa quadam Ordinis Præmonstratensis Abbatia, humilis monachus Cartusiensis effectus est in Domo Withamiensi ; quem S. Hugo jam Episcopus sæpius invisebat, piis ejus colloquiis mire delectatus, ut ejus Vitæ autor his verbis testatur. « Erat apud Wittamiam vir summæ ac in rebus divinis pene dixerim incomparandæ eruditionis et doctrinæ, qui dimissa Abbatia Ordinis Præmonstratensis quam regebat, ad hujus se conversationis studium mirabiliter sublimando deposuerat. Dicebatur Magister Adam de Brabantia, qui amore præventus vitæ contemplativæ cujus a primævo juventutis flore felici desiderio æstuaverat, cujus et primitias diu jam felicius prælibaverat, datis sibi cœlitus pennis columbæ ad hanc solitudinem convolaverat, ubi per quina circiter annorum lustra sub felicissimo supernæ contemplationis monte quiescebat. Cum isto itaque frequentissimum erat S. Pontifici colloquium. Hi quoque geminæ tubæ argenteæ ductiles, cœlestis eloquii nitore splendentes, regularis quoque disciplinæ exercitiis subtilius elimatæ, mutuis se sublimium exhortationum clangoribus ad fortia militiæ spiritualis incitare non desistebant. Ingerebat Eremita Pontifici de Scripturarum eloquiis exempla perfectorum et dicta, Prælatorum modernorum incusans inertiam, Pastorum quoque adeo mores et studia, quod ab eximiorum vestigiis exorbitarent suorum Prædecessorum, adeo degenerarent a virtutibus eorum. Interea et ad ipsum cui loquebatur repræsentans sermonem : Te, inquiebat, homines plurimi tanquam bonum ac magnum Dei Ecclesiæ Rectorem mirantur. Sed quæso te, ubi saltem umbra digni Pastoris in gestis tuis relucet ? Nec de mediocritate vitæ ac conversationis tuæ

Ubi supra Lib.IV cap.11.

Vir doctissimus.

Sæpe a S. Hugone visitur.

ANNUS 1182

nunc mihi sermo est. Sit modo, cum imminentis jam illius adversarii faciem generalis virtutum præcedat egestas ; sit, inquam, modo cum ad januam jam assistit Filius hominis, nec inveniet fidem super terram ; sit modo præconio dignus qui pessimus non fuerit. Vocetur beneficus, qui mala quæcumque potuerit proximo suo non intulerit. Et hæc quidem perfectio potentibus magna videtur, si vix aliquem juvent et non universos premant. Tales nunc sancti habentur et laude digni. Quid vero de commissorum tibi negotiatione talentorum sentiemus ? Quæ lucra, quas usuras reportaturum te confidis inter egregios illos Institores, qui terræ marisque pericula experti vel perpessi, non modo plantaverunt, sed et ornaverunt et munierunt Ecclesiam sanguine suo ? Hi ut fame pereuntes refocillarent, de longe portantes panem suum, in his ultimis oceani finibus delitescentes, vagos qui perierant requisierunt, quos ab ipsis portis mortis ad Civitatem Domini virtutum reduxerunt. Illi quidem laboraverunt ; et vos in labores eorum ad laborandum, pene dixerim ad lasciviendum, ut autem temperantius loquar, ad ludendum et feriandum introistis. Unde vinea Domini Sabaoth inculta jacet, sentibus operta squallet. Conculcant eam omnes qui prætergrediuntur viam. Maceria enim lapidum ejus diruta est, et nemo est qui resarciat sepem ejus. Hujusmodi satis innumera is prosequens, ut erat fons exuberantissimus cœlestis doctrinæ, reciprocam ab Episcopo petebat et recipiebat sermonis vicem. »

An Hugo abbas Radingensis et postea Cluniacensis fuerit Cartusiensis.

Quidam etiam inter viros insignes a S. Hugone ad Ordinem assumptos, annumerant quemdam Hugonem quem dicunt postea ex Cartusiensi Withamiensi factum fuisse abbatem Radingensem in Anglia. Idque depromunt vel conjiciunt ex capitulo undecimo libri secundi ejusdem Vitæ sancti Hugonis, ubi autor agens de desertione Alexandri Cartusiensis (de quo plura anno sequenti) qui postea factus Cluniacensis, Mœcenatem habuit præfatum Hugonem Radingensem, narrat quantum dolorem Alexander conceperit ex discessu et dissociatione ejusdem Abbatis, quando ad regimen Domus

Cluniacensis, quæ est totius Ordinis caput, translatus fuit. Sed quam secus verba Autoris interpretentur hi, cuilibet lectori patebit ea in eodem capitulo legenti, quod integrum anno sequenti exscribemus.

ANNUS 1182

OTTOCHARUS DUX STYRIÆ FUNDATIONEM DOMUS IN SEITZ AUGET.

V. Hoc quoque anno cartusia Seizensis, cujus monachi post fundatoris mortem, multam hactenus penuriam perpessi fuerant, ampliorem ab ejus filio dotem acceperunt. Hic enim Alexandri Papæ monitionibus stimulatus, nihil tam cordi habuit quam novæ plantationis profectum, cui propterea tanta bona concessit ut patris visus sit munificentiam superare, quemadmodum ex ipso donationis diplomate, quod tale est, certius apparebit :

Quam Ottocharus pater ejus inceperat de consilio Papæ.

Ex archiv. ejusd. dom.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ego Ottocharus Dei gratia dux Styriæ, omnibus Christi Fidelibus, tam futuris quam præsentibus, per præsentia scripta notum fieri volo, quod pater meus, felicis memoriæ, Ottocharus marchio Styriensis, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, et ejus Genitricis perpetuæ Virginis Mariæ, sanctique Joannis Baptistæ omniumque Sanctorum, consilio et auxilio Reverendissimi Papæ Alexandri, Fratres de Ordine Cartusiensi adduxit in Marchiam nostræ ditionis, eosque in loco qui nunc Vallis S. Joannis dicitur collocavit. Nos vero nominis et hæreditatis ipsius successores, votum desiderio animi sui prælibatum, sed morte (quæ nulli parcit) præveniente minus perfectum, plenius consummavimus. Fratres autem qui primo venerant, morem gentis nescientes, terra utrum fœcunda an infœcunda esset minus caute attendentes, multo minus quam eis sufficere poterat acceperunt, cum pater meus multo plura eis dare voluisset. Unde ad tantam penuriam post mortem patris mei devenerunt, quod locus pene destructus fuerat. Nos vero hoc cognoscentes, ad restitutionem eorum citius manum porreximus. Pater meus dedit eis. . . . Nos vero addidimus ad hæc cutes et pelles omnes, quarum carnes consumimus de tribus Præposituris. . . . . Dedimus etiam illis villam quæ sibi contigua est, nomine Seitz, et omnes servos et ancillas... Concessimus eis pascua per terram nostram. . . . Concessi-

ANNUS 1182

mus etiam si quis Ministerialium nostrorum prædia sua vel alia quælibet, quæ absque consensu et licentia nostra dare non possunt, eis conferre voluerit, id libere et absque ullius infestatione perpetuo jure possideant. Ortolphus quoque de Gonawiz, et Ottacher et Leopoldus fratres ejus, pro remedio animarum suarum atque omnium antecessorum suorum, Fratribus in præfato loco Deo servientibus, libere et absolute concesserunt piscationem. . . . . Hæc et alia, quæ sive pater noster sive nos eis contulimus, libere et absque omnium secularium inquietudine tradidimus, etc. Adhuc autem ad supradicta addidimus et firmamus ac ratum esse decernimus, si quando Deus eis in prædiis eorum argentum vel aliquid tale invenire donaverit, libere et absque alicujus infestatione possideant. Hujus rei testes sunt Otto de Chronespech, Henricus de Trus, Letwin de Sornenbech, Henricus de Berten, Leopoldus frater Ducis, Dietmarus et Ulricus frater ejus de Bertenow, et alii quam multi. Acta hæc sunt anno M. C. LXXXII. »

Idem Ottocharus filius, fuit primus Dux Styriæ.

Sunt et aliæ literæ ab eodem Duce triennio post suprascriptas datæ, in quibus patrem suum semper Marchionem appellat. Et in literis quibus Rodulphus I Imperator, centum post annis, privilegia hujus Domus confirmavit, inter cætera « Privilegium ab illustribus Ottocharo (sunt verba literarum) quondam duce Styriæ, et Ottocharo patre ejusdem, quondam marchione terræ ejusdem gratiose concessum. » Ex his probamus contra quosdam, Ottocharum juniorem fuisse primum Styriæ ducem. Ab uxore Cunegunde, sive Agnete ut a quibusdam vocatur, Leopoldi ducis Austriæ filia, nullos suscepit liberos ; quamobrem moriens socerum suum scripsit hæredem : sicque Styriæ ducatus ab hoc tempore in hunc usque diem, sub potentissimo Austriacæ familiæ imperio feliciter acquiescit.

HÆREDES EJUS FUNDATIONEM CONFIRMANT ET AUGENT.

VI. Leopoldus generi sui donationes confirmavit, additis plurium villarum decimis, quarum literas expedire non potuit, morte præventus anno 1194. Sed ejus filius Leopoldus eas statim post patris obitum approbavit, et utriusque Otto-

chari privilegia et donationes renovavit, terminos descripsit et dilatavit, pluraque addidit, ita ut merito alter fundator dictus fuerit, sicut et cartusiæ Gyriensis, cujus restaurator fuit. Extant ejus literæ super his, anno subsequentis seculi septimo scriptæ : « Romanæ Sedis Pontifice Innocentio III, Romanorum Rege Philippo, Aquileiensis diœcesis Patriarcha Wolfkero, existente in hac cartusia Vallis S. Joannis Priore Nicolao. Testibus comite Heinrico, Ottone et Wulfingo, et aliis Ministerialibus Ottochari nepotis Ducis et multis aliis. » Theodora ejusdem Leopoldi vidua, anno 1233 multa dedit. Utriusque conjugis filius et hæres Fridericus, duobus annis post matris donationem, suam erga Cartusienses benevolentiam exhibuit concesso privilegio, quinto Calendas Maii, cujus testes nominantur : Ulricus de Becca, Bernhardus Schowenberg, Rainbertus de Murcke, Hermannus de Chrinichperch, Bertoldus de Emerberck, Hadmarus de Sunneberch, Wichardus de Amstein, Heinricus de Hakenberch, Chunradus de Hinberch, et alii quamplures. In eo stirps Austriaca ex Bambergensibus excidit. Alii ejusdem Domus Benefactores fuerunt : Stephanus rex primogenitus Regis Hungariæ et dux Styriæ, quamdam domum concessit anno 1259. Ottocharus rex Bohemiæ, dux Austriæ, Styriæ, Carinthiæ, etc. fundationem et privilegia Domus confirmavit, certamque ferri quantitatem singulis annis percipiendam, dedit circa annum 1274. Rudolphus Imperator hujus nominis primus ac conditor familiæ Habsburgi-Austriacæ ; Albertus filius ejus, dux Austriæ, Styriæ, ac tandem Imperator, et post eum fere omnes in ducatu Styriæ successores, eamdem fundationem, donationes et privilegia diversis temporibus approbaverunt. De quibus hic dicere supersedemus, cum de plerisque multa dicenda occurrent in diversis Domibus quarum extiterunt fundatores, benefactores, imo totius Ordinis nostri fautores ac protectores acerrimi ; ita ut merito Cartusiana Religio Austriacorum Principum potentiæ et pietati debeat, quod adhuc inconcussa stet in multis christiani orbis partibus.

ANNUS 1182

Leopoldus Dux Austriæ alter fundator.

Quantum debeant Cartusienses Familiæ Austriacæ

ALII BENEFACTORES.

VII. Inter benefactores et amicos hujus Domus præcipuos

ANNUS 1182

Patriarchæ Aquileienses.

pariter recensentur Udalricus, sive Ulricus, patriarcha Aquileiensis qui ante novem annos concesserat vineas, et campos totamque proprietatem quam plebs apud Seitz habere dignoscebatur. Hujus cessionis « testes fuerunt : fratres Bernhardus Tergestensis et Fridericus Pettinensis episcopi, Engelbertus abbas de Obernburg, Joannes Prior in Seitz ; et ex laicis, Gebhardus de Satuneck, Luipoldus de Hoheneck, Eberhardus de Charenstein, et Romulus Aquileiensis Ecclesiæ Magister scholarum, qui mandato Domini Patriarchæ scripsit et dedit has literas, anno MCLXXXIII. » Bertholdus ejusdem Ecclesiæ Patriarcha, quorumdam donationes confirmavit et probavit suis literis, quarum altera data est anno 1227 ; altera decennio post, apud Utinum, quarto Calendas Junii, Indictione decima, præsentibus « fratre Domino Concordiensi Episcopo, Jacobo Mosacensi electo, Joanne Præposito S. Stephani, Bertholdo Villacensi archidiacono, magistro Philberto et Gerardo canonicis Aquileiensibus, » et multis aliis. Idem præterea, decennio post, quasdam decimas largitus est « pro Domus subsidio, ut loquitur in diplomate dato Indictione quinta, in die SS. Hermagoræ et Fortunati Martyrum an. MCCXXXVII ; testibus Ottone venerabili Pettinensi episcopo, Heinrico in Obernburck, Conrado archidiacono Sauniæ, etc. » Ex Bertholdi successoribus, Ottobonus singularis fuit hujus Domus protector, ut patet ex literis datis Utini anno 1305 in crastino Conversionis S. Pauli, et aliis datis ibidem septennio post. Nicolaus similes literas dedit anno 1357 in castro suo dicto Sacli ; sicut et Philippus de Alenconio anno 1383. Multi quoque Episcopi multa largiti sunt : Dietricus Gurcensis præsul, quoddam prædium a Wolingo Pfaffenberg datum, liberat jure feodali quo erga Gurcensem Ecclesiam obstrictum erat ; quod quidem fecisse fatetur rogatu Domini Papæ Lucii et Domini Alberti Salisburgensis archiepiscopi. Sunt ejus literæ datæ anno 1185, testibus Hertwido præposito Gurcensi, Arnoldo custode, Chunrado canonico, Petro Syticensi abbate, Willelmo Priore de Gyriova, etc. Has literas postea confirmavit Ulricus ejusdem Ecclesiæ episcopus,

Gurcenses Episcopi.

anno 1238 vel 1235. Testibus Ulrico Gurcensis Ecclesiæ decano, Meingot, Bertoldo, Sifrido, Friderico ejusdem Ecclesiæ canonicis, et aliis Nobilibus. Idem Ulricus concessit ut si quis Ministerialium aliorumque hominum Ecclesiæ Gurcensis, possessiones suas huic Domui dare voluerit, eas Nostri possint libere accipere, anno 1243. Hanc concessionem Hertwidus confirmavit anno 1298 in festo S. Benedicti. Eorum etiam successores beneficos sese exhibuerunt; inter quos reperiuntur Henricus anno 1311, Ernestus anno 1424, et Joannes qui cuncta suorum decessorum privilegia rata habuit anno 1452. ANNUS 1182

Ulricus Secoviensis episcopus, Rodulphum Austriæ ducem anno 1305 ad beneficia præstanda animavit. Eberhardus Tesselicensis episcopus, Ludovici Aquileiensis Patriarchæ Vicarius generalis, altare S. Annæ benedixit, anno 1421, die 23 Januarii. Joannes Hieronymi de Queviada Demetrecensis præsul, plures Indulgentias impertiit an. 1485. Idem præstitit Michael Tergestinus episcopus, anno 1515. *Alii præsules.*

VIII. Ex vicinis Nobilibus plures quoque certatim sua beneficia contulerunt, sed maxime Domini de Gonawiz. Ottocharus namque hujus familiæ vir nobilissimus, duos mansos dedit per manus Luipoldi filii alterius Luipoldi ducis Austriæ et Styriæ, in præsentia Nicolai Prioris hujus Domus. « Testibus Ruberto de Retschach, Ottone de Radisdorf, Ortolfo de Plankenstein et Marquardo de Boseth. Actum in claustro hujus Cartusiæ anno MCCVI. » Leopoldus ejus Ottochari filius vel frater, piis Petri Prioris hujus Domus adhortationibus ad meliorem frugem conversus, habitum Conversi in hac Domo induit, consentiente uxore sua, quæ etiam præsente præfato Priore votum emisit continentiæ, ut fusius alibi dicemus. Plures alii ex eadem familia multa bona dederunt, inter quos eminet alter Leopoldus dynasta de Gonawiz, qui clarebat anno 1307, et post triginta annos multa plura legavit, tandemque in hac Domo sepultus est. Ejus donatio confirmata fuit ab ejus filiis Ortolfo, Heinrico et Leopoldo anno 1357, qui capellam præterea ædificarant in qua

NOBILES DOMINI DE GONAWIZ.

V. infra ad an. 1234.

ANNUS 1182 habuerunt sepulturam. Ultimus hujus familiæ hæres vocabatur quoque Leopoldus, qui multa bona etiam concessit; unde post obitum habuit Tricenarium per totum Ordinem.

Ex charta Cap. 1398.

Thuno de Elniz et Henricus nepos ejus quoddam prædium concesserunt, consentiente et approbante Leopoldo duce Austriæ et Styriæ, qui super hoc literas jussit scribi anno 1213, in præsentia sua et Ministerialium suorum Ottochari et Leopoldi de Gonawiz, Udalrici de Stubenberch et aliorum.

Sophia de Leunbach anno 1235, Willelmus et Leopoldus de Hohencke fratres anno 1241, Gebhardus, Ulricus et Luipoldus fratres de Lengenburk anno 1262, Ulricus dux Carinthiæ anno 1267, Fridericus de Petovia judex Styriæ anno 1177, Otto de Liechtenstein Styriæ camerarius anno 1302, Joannes comes de Schauenberg anno 1443 ; e cujus genere videtur fuisse generosus dominus Udalricus comes de Scaunberg et Joannes ejus filius, qui benefactores dicuntur in

Ex ch. 1485. Charta capitulari. Denique nostris temporibus Georgius Sibenitz et ejus uxor multas pecunias dederunt ; uterque in hac Domo sepultus est.

ALPHONSUS REX ARAGON. BENEFACTOR MAJ. CART.

IX. Hoc etiam anno, Alphonsus Castus Aragoniæ rex et marchio Provinciæ, cartusiæ Scalæ Dei fundator, singulare privilegium Matri Cartusiæ impertiit sub hoc tenore :

Ex archiv. Maj. Cart.

« Ildephonsus Dei gratia rex Aragonum, comes Barchinonensis et marchio Provinciæ, omnibus hominibus ad quos literæ istæ pervenerint, salutem. Ad omnium notitiam volumus pervenire, nos securitatem de nobis et de nostris præstitisse Monasterio Cartusiensi quod est in episcopatu Gratianopolitano; prædictum quoque Monasterium et omnes res ejus sub speciali protectione et defensione nostra in perpetuum duratura recipimus, dantes eidem Monasterio et concedentes bona voluntate hujusmodi libertatem sive immunitatem perpetuam, videlicet quod in aliquo loco vel portu terræ nostræ, de personis vel aliquibus rebus jam dicti Monasterii, et specialiter de sale quod fecit asportari sive extrahi de terra nostra Provinciæ per aquam vel per terram, non accipiatur aliquid vel exigatur nomine alicujus usatici, peda-

gii, leydæ vel cujuslibet alterius exactionis. Præterea mandamus, et mandantes præcipimus, ut nullus homo de nostris qui de nostro amore confidat, gravamen aliquod inferat personis vel rebus aliquibus jam dicti Monasterii, nec concessam sibi a nobis immunitatem sive libertatem infringere præsumat. Quod qui faceret, non solum in indignationem et iram Dei et nostram committeret. Datum apud Aurasicam, mense Octobris, anno Domini MCLXXXII. » ANNUS 1182

X. Bertrandus de Balcio, dominus Arausionis et fratres ejus, præfati Regis munificentiam imitati, pinguem eleemosynam eidem Cartusiæ contulerunt, quam præterea, et Domum Monialium S. Andreæ de Rameriis cunctaque nostri Ordinis monasteria, ab omni vectigali liberant, dato sequenti Instrumento : ITEM BERTRANDUS DOMINUS ARAUSIONIS

« Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod ego Bertrandus de Balcio, et ego Willermus de Balcio, et ego Hugo de Balcio, cum consilio et voluntate nostræ matris Aurasicæ, donamus Monasterio Cartusiensi in perpetuum viginti summatas salis in villa Berra nomine, quales illorum bestiæ deferre poterunt ; et hoc intuitu pietatis et amore Dei, pro ablutione peccatorum nostrorum, et pro animarum nostrarum consequenda salute. Adhuc etiam præfato tribuimus Monasterio, et omnibus ejusdem Monasterii Prioratibus et cunctorum Prioratuum confratribus, ut ipsi et eorum jumenta, cum omnibus quæ secum tulerint, liberam habeant facultatem eundi et redeundi per terram nostram, ut nec in pedagio nec in alio aliquo usatico molestiam patiantur ; sed sint totius exactionis immunes, nec etiam in portu pro navibus pretia solvant. Hanc autem donationem facimus Cartusiensi Monasterio, et omnibus ejusdem Monasterii confratribus in monasterio S. Andreæ ex ipsius Ordine pendenti, in præsentia nostræ matris R. Aurasicæ, et Arnulphi Aurasicensis episcopi, et Draconeti et Petri de Colonis et Rostagni Humberti Avenionensium, et multorum aliorum, et omnium Confratrum supradicti monasterii. Et hanc donationem firmam et integram stare mandamus, et nulla ratione vel Ex archiv. Maj. Cart.

ANNUS 1182

autoritate, a nobis vel ab aliquo nobis succedente violari præcipimus. Hanc vero donationem receperunt pro Cartusiensi Monasterio Giuraldus de Podiobusone et Prior Vallis Sanctæ Mariæ, in monasterio S. Andreæ, coram supradictis testibus et aliis quam pluribus, anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXII. »

GUIGO ABBAS CALESII DISCIPLINAM RESTITUIT

XI. Hoc anno Guigo Calesiensis abbas, splendore disciplinæ pristino in suum monasterium reducto, a Lucio Summo Pontifice obtinuit ut cæteræ ejusdem Ordinis Domus illud velut caput venerarentur, ac velut membra corpori coalescentes subderentur. Data est bulla ut sequitur :

Ex eod. archiv.

« Lucius, dilectis filiis Guigoni Calesii abbati ejusque Fratribus, tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Effectum justa postulantibus indulgere, et vigor æquitatis et ordo exigit rationis, præsertim quando petentium voluntatem et pietas adjuvat et veritas non relinquit. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus annuentes, præfatum monasterium Calesii in quo divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus.... Præterea Boscaudoni, Almævallis, Luræ, Albævallis et Pratimollis ecclesias in Ordine Calesiensi, sicut ab ipsa fundatione sui eumdem Ordinem receperunt, ad obedientiam et subjectionem monasterii vestri, donec in ipso monasterio Religionis ordo servatus fuerit, decernimus perpetuo permanere; ita quod nullo unquam tempore Ordinem ipsum deserere aut ejus transgredi Statuta præsumant, etc. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium perturbare..... Si quis ergo, etc, a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, etc. Datum Velletri per manum Alberti S. R. E. presb. cardinalis et Cancellarii, IIII Idus Maii, Indictione XV, Incarnationis Dominicæ anno MCLXXXII, Pontificatus vero Domini Lucii Papæ III. anno I. »

CAP. GENERAL. INSTITUIT.

XII. Verum ut Monachi eorumdem cœnobiorum majori tum voluntatum tum Statutorum conjunctione copularentur,

Capitulum generale apud Calesium, Cartusiensium adinstar, singulis annis celebrandum Guigo instituit : ut ex quodam Instrumento colligimus, quo Gaufredus de Chasta canonicus Romanensis quamdam terram Fratribus Calesii dat, ut ex frugibus ejus generale Abbatum Capitulum per singulos annos in omnibus procuretur. Ipsi vero Abbates, cæterique Fratres Calesienses, considerantes bonam ipsius voluntatem erga Deum et Ordinem, communi consilio dederunt in generali Capitulo ipsius Ordinis societatem, et receperunt eum ut fratrem et monachum et amicum præcordialem, sub tali videlicet conditione, ut particeps deinceps fieret in cunctis spiritualibus bonis totius Ordinis, et tantumdem pro eo ageretur in singulis Domibus quando obitus ejus eveniret et sibi missis Brevibus nunciaretur, quantum pro monacho propriæ Domus, id est Tricenarius et quæ ad Tricenarium pertinent; et insuper Anniversarius ejus dies in universarum Domorum Martyrologiis scriptus solemniter in Conventu recoleretur. Hoc donum fecit ei Guigo Calesii abbas, Willelmus abbas Boscaudoni, Guigo abbas Almævallis, Umbertus Luræ abbas, Petrus Prior Albævallis, Petrus Prior Pratimollis, Surianus Prior Sancti Mauritii. Fecerunt ei quoque hoc donum et cæteri Fratres Calesienses universi qui præsto esse potuerunt. Et decreverunt duas in Cartulas fieri dividique per tres Alphabeti apices, quarum una prædicto Gaufredo conservanda traderetur, altera a se nonnunquam in testimonium apud Calesium deinceps custodiretur. »

ANNUS 1182

Utramque Cartulam habemus, quæ simul juncta, per medium habet tres apices, videlicet A. B. C; et a tergo trium istarum literarum sequens versus eodem charactere legebatur : « Si conjungatur pars parti, vera probatur. » Adhuc præerat Guigo anno 1187 quo quamdam eleemosynam accepit a Berlione Canuti, « qui Fratres Cartusiæ et Fratres Sylvæ humiliter obsecravit ut præfatam donationem bona fide et pia intentione custodirent et consiliarentur, qui ejus precibus benigne assentientes, se quatinus illam fideliter custodirent ac rationabiliter in omnibus defenderent et consu-

ANNUS 1182

Eo mortuo perit observantia.

Abbatum series.

lerent. Hæc omnia facta sunt anno ab Incarnatione Domini MCLXXXVII, Joanne Gratianopolitanæ civitatis strenue gubernante episcopatum. » Mortuo Guigone, non diu eodem in statu perseveravit observantia. Quidam enim ex illius successoribus Joannes nomine, factus Delphini capellanus, neglecta propria ac suorum salute, cœpit Aulam frequentare, et ut malum fieret insanabile ab Andrea Delphino literas obtinuit, quibus successores sui Abbates eadem capellani dignitate potirentur cum præcipuo jure considendi mensæ Principis; sicque commisti inter gentes, omnis disciplinæ regularis obliti sunt. Post Joannem abbates fuerunt Guigo hujus nominis secundus, Andreas et Richardus. Sub hujus regimine, seculo decimo tertio medio, cum uterque Domus status penitus prostratus est, Calesienses abbatiæ S. Theofredi Ordinis Benedictini se suaque dedentes, Abbates etiam ejusdem Ordinis susceperunt. Ex his quatuor reperiuntur per annos circiter triginta sedisse, quorum hæc sunt nomina: Isnardus, Richardus II, Rostannus et Guillelmus qui sedit ad annum 1281. Sub idem tempus cunctis fere extinctis Monachis, Calesiensis Abbatia, cujus parietinæ tantum restabant, ad monasterium S. Petri Viennensis devoluta, ab eo Abbates habuerunt Guigonem cognomine Falastei et Martinum de Viriaco. Hic ultimus cum multa bona distraxisset, locum tradidit Episcopo diœcesano, cujus autoritate Cartusiensibus adscriptus est (pene dicerem restitutus), ut fusius suo loco dicemus.

BONFILIUS CONVERSUS MORITUR.

Ex mss. ejusdem Cart.

XIII. Circa hunc annum moritur Bonfilius Conversus Majoris Cartusiæ professus, sed qui per multos annos in Domo Majorevi demoratus, totius bonitatis exemplar et obedientiæ regularis strenuus observator extitit. Tandemque post multos labores pro Dei honore et Ordinis incremento per sexaginta annos et amplius exantlatos, meritis dives et dierum plenus, placido mortis somno requievit.

PETRUS AMELII FIT DONATUS APUD MONTEM RIVUM.

XIV. Hoc anno quidam Nobilis uxore orbatus statum Donati in domo Montis Rivi, consentiente unico filio, amplexus est. Vestem tamen monasticam non induit, sed factus est

unus ex illis Donatis, qui vestem secularem nostrorum tamen mercenariorum indumentis similem servabant ; de quibus ante novem annos diximus. Hujus donationis contractus talis est : « In nomine Sanctæ Trinitatis. Montis Rivi Heremitæ dant Petro Amelii de Melna victum et vestimentum laicum, ex telis et cibis quibus utuntur et ipsi in domo Montis Rivi, sub obedientia Prioris ac Procuratoris ; nec cimiterium neque aliud promittentes, nisi communes orationes. Ipse vero Petrus Amelii et filius ejus Raimundus Guillelmi, pro amore ipsius S. Trinitatis, dant terram quæ est ad gurgitem..... in manu Bertrandi Prioris..... Testes, Torquatus gener Petri Amelii, Hugo de la Roca. Monachi Honoratus, Willelmus Bez » et omnes alii Monachi qui cum Conversis nomine designantur. « Facta sunt hæc in claustro Monachorum, in die festo Innocentium feria III, luna IIII, anno Incarnation. MCLXXXII. » Cum cœmiterium, idest sepultura, huic Donato non promittatur, hinc discimus hujusmodi homines post mortem ad vicinas ecclesias his temporibus transportatos fuisse sepeliendos. Qui mos perseveravit usque ad Gregorii Noni tempora, quo concedente ut Donati et Redditi privilegiis Ordinis fruerentur, nostris quoque in cœmiteriis humari cœperunt.

ANNUS
1182

V. ad an. 1173 n. 14 et 15.

Ex Cartul. ejusd. dom.

Hujusmodi Donati non sepeliebantur apud nos.

JESU CHRISTI

ANNUS 1183.

Lucii PP. III Ann. 2.	Ord. Cartus. Ann. 100.	Jancelini Pr. Cart. Ann. 4.

SANCIUS COMES PROVINCIÆ MATRIS CARTUSIÆ BENEFACTOR.

I. ANNUS Redemptoris millesimus centesimus octogesimus tertius sequitur, Indictione prima, qui est centesimus ab Ordinis Fundatione, et quo Sancius Provinciæ comes exemplo motus Ildefonsi Aragonum regis, quem vidimus liberum ingressum et egressum per terras suas Majori Cartusiæ concessisse, simile privilegium largitus est dato sequenti diplomate :

Ex archiv. Maj. Cart.

« Notum sit omnibus hominibus præsentibus et futuris, quod ego S., Dei gratia comes et marchio Provinciæ, respectu pietatis et misericordiæ nec non remissionis peccatorum meorum, dono, laudo et concedo in perpetuum Domino Deo et monasterio Cartusiæ et Fratribus ibidem Deo servientibus præsentibus et futuris, quod per universam terram meam et per mare salvi et securi sub mea protectione et tutela et defensione permaneant, cum omnibus rebus suis tam mobilibus quam immobilibus, ita quod nullum usaticum sive pesaticum donent. Nec aliquis meorum Bajulorum ausus sit ab eis aliquid exigere, sed ubique eos et eorum res velut personam meam defendant et custodiant. Si quis autem eos vel eorum res in aliquo offenderit, iram meam super se devenisse non dubitet. Facta fuit hæc Charta et hæc donatio in castro Tarrasconis anno 1183, in præsentia Bernardi de Anduza, Dalmacii filii Bertrandi Nazeel, et Gancelini domini Comitis Notarii qui scripsit, et multi alii interfuerunt. Si-

ANNUS 1183

gnum S. Dei gratia comitis et marchionis Provinciæ. »

S. HUGO PRIOR WITHAM. A FALSIS FRATRIBUS VEXATUR.

II. Eodem tempore dum S. Hugo in Anglia novos, quos ad ipsum undique confluere anno superiori diximus, tirones sanctis instruit disciplinis et ad omnia Ordinis Cartusiensis exercitia excolit, non deerant in hoc terrestri Paradiso serpentes viperino morsus matris suæ viscera corrodentes. Quidam enim, oneris Christi quantumvis levis impatientes vitamque fastidientes Cartusiensem, abierunt retrorsum in viam Ægypti, nec solum sacrum Ordinem exuto habitu spretisque votis deseruerunt, sed et sanctissimum variis affectum convitiis durius ubique exacerbabant, irritantes eum in vanitatibus suis. « Concussa sunt interea (inquit Vitæ illius autor) maternæ pietatis in Hugone viscera. Collidebantur inter se duo quos nitebatur parturire Deo, rei veritate parvuli quidem, sed sua imo et publica æstimatione magni. Andreas unus, alter Alexander vocabatur. Posterior secularis, ut vulgus loquitur, extiterat Canonicus, canoniam habens de Lens*. Prænominatus Magister major habitus in Quadrivio, sed minor repertus in Evangelio. Prior ille, qui et Andreas, monachus habebatur et sacrista monasterii quod Muchelenia nuncupatur. De horum utroque illud Rebeccæ matris quæ eos parturiebat licuit proferre : Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere ? Uterque istorum, sibilo instigatus serpentis antiqui, sæpius in Hugonem, semper vero in sanctum quem indigni subierant Ordinem, dente vipereo sæviebant. Corde siquidem reversi in Ægyptum, manna cœlicum nauseantes, ad pepones et allia suspirabant. Nec in longum fraudati sunt miserabili desiderio suo ; sed usque ad nauseam ingurgitati, sero intellexerunt quid distet inter siliquas regionis longinquæ et panes domus paternæ. Nec vero in sugillationem sacri Ordinis ad quem alter eorum rediit, alter vero accessit, hoc dicimus ; sed quid eis acciderit, qui bonum non bene deseruerunt sed nec bene ad bonum accesserunt, veraciter intimamus. Versi namque in seditionem, ut illi quondam famosi murmuratores in Moysem, ita Hugonem isti durius exarcebabant, irritantes eum in vanita-

Vita ms. S. Hugon Lib. 2. cap. 11.

Ab Andrea qui ex alio Ord. ad nos transierat, et ab Alexandro quondam Canonico.

* *Lews.*

ANNUS 1183

tibus suis. Andreas utcumque modestius furebat; Alexander vero sine moderaminis respectu multa suo Paulo mala ostendebat. Seduxisti, inquit, pessime nos, et induxisti in locum horroris et vastæ solitudinis, privatos et exutos habitationibus amœnis rebusque opimis, et quasi religiosa quietis habitacula in seculo non sint; ita hic inter feras et frutices nobis ferino more delitescendum præscribis. Abundat omnis terra Religiosorum cœtibus virorum, ubi et cohabitantium multitudo ad solatium, et perfectio satis superque nobis sufficeret ad exemplum. Et ecce soli sine solatio, præ acedia languidi et torpentes, neminem totis diebus videmus quem imitemur; parietes solos quibus includimur intuemur. Sed nec cedent nobis nimium licet argutæ rationes tuæ. Manifestis enim et rectissimis sententiis nostris semper adversatur sermo tuus; ita ut rarissimæ adhuc in terris jugum novellæ hujus legis portandum ingeratur nobis, ac si perierit ubique, præterquam apud Cartusienses, Christianitas tota, et vix nisi paucissimis homuncionibus via sit comperta salutis. Verum quos potiora non latent, hæc inutilia et vana diutius tenere non valent, nec debent. His ergo longe salubriora quæsituri, ulterius recusamus addici talibus. Sacrum Ordinem illum exagitabat blasphemiis talibus, his virum Dei afficiebat convitiis hominis pervicacia vesani. Dolebat interea Hugo pro periculis eorum qui jam firmaverant sibi sermonem nequam apostasiæ, et timebat quoque scandala infirmorum ac recenter conversorum, quos præter inevitabiles undecumque prodeuntes tentationum æstus, hujus vehementius exagitabat formido tempestuosæ procellæ. Erat enim spiritus eorum, male scilicet robustorum, velut turbo impellens parietem sanctæ illius societatis, discindens pro viribus compagem. Quantum denique mœstitudinis, quantumque tædii sacrum illud pectus, in fraterna compassione et vera pietate tenerrimum, occupaverit pro illorum amara obstinatione, nec ipse qui hoc pertulit, nullis potuit, ut sæpius fatebatur, verbis declarare. »

Andreas ad priorem ordinem revertitur

Ex his duobus monachis Andreas prior abiit retrorsum, et

« nominis sui honore mutilatus (ut habet idem autor) rediit ad nota infantiæ suæ cunabula; » nempe ad primum monasterium unde ad nos se transtulerat.

ALEXANDER SUÆ DEFECTIONIS CAUSAM QUÆRIT.

III. Alexander vero aliquandiu visus est tergiversari, suam quærens defectionem aliqua tegere plausibili causa. Hancque justam adinvenisse arbitratus est, quod in Ordine Cartusiensi Missam quotidie facere non posset. Florebat tunc in Anglia et in Gallia Petrus Blesensis, vir singularis eruditionis et prudentiæ, præfati Alexandri in Legibus quondam condiscipulus. Hic audita amici improba tentatione, eum ad meliorem frugem revocare conatus est scripta epistola, objurgatoria quidem sed sani plena consilii, qua instar evangelici Samaritani, in vulnera hominis a latronibus sauciati infundit oleum et vinum. Hanc pro sua excellentia et dignitate, et quia multa notatu digna nobis exponit, hic ad Nostrorum ædificationem et instructionem non gravamur subjicere :

A Petro Blesensi ad meliorem frugem invitatur.

Petri Bles. Epist. 86.

« Mag. Petrus Blesensis Bathoniensis archidiaconus, M. Alexandro monacho salutem, et in salutari desiderio constantiam. Si conceptæ indignationis spiritum possem dissimulare silentio, mallem tacere quam scribere. Sed ut verbo Job utar, plenus sum sermonibus, et coarctat me spiritus uteri mei ; ego quasi mustum absque spiraculo, quod novas disrumpit lagunculas. Me, licet invitum, tua invitat et urget temeritas scribere invectivam. Nam sicut cervus desiderat umbram, et mercenarius finem laboris sui, sic in votis habebam præcipuum cessare a verbis quibus amicitia vulneratur. Verumtamen enorme dispendium tuæ opinionis æquanimiter tolerare non possum. Factus enim es fabula in Clero, et in plebe ludibrium, prurientium in te desævit linguarum procacitas, et qui te comedunt non dormiunt. Si te laveris nitro, et multiplicaveris tibi herbam borith, non auferetur a te macula prævaricationis tuæ. Verumtamen non reputas injuriam damnum famæ, qui bibis quasi aquam subsannationem ; et ut verbo prophetico utar, frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Dereliquisti fontem

Job. 32.

Ibid. 7.

Factus fabula in clero.

Job. 30.

Jerem. 2.

Ibid. 3.

ANNUS 1183

aquæ vivæ, et fodisti tibi cisternam dissipatam, quæ aquas continere non potest. Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, et quid tibi in via Assyriorum, ut bibas aquam turbidam? Cogitas de migrando, atque in confusionem et in scandalum Fratrum tuorum succingis te ad exitum. Multum ei dissimilis es, qui cupiebat anathema esse pro fratribus suis. Cœpisti spiritu, carne consummandus; atque sicut Isaias dicit: Concepisti ardorem et stipulam peperisti. Juxta verbum alterius sapientis, abstulit ventus desiderium tuum, et velut nubes pertransiit fides tua. Primam enim fidem irritam faciens, sanctæ conversationis novitate contempta per quam veterem in te hominem reformare debueras, sub quodam religionis colore divitias appetis et seminas inter spinas, cum scriptum sit: Novate vobis novale, et nolite serere super spinas. Jam senuisti, rugæ tuæ testimonium dicunt contra te. Unde ergo obrepsit hæc inconstantia in ætate provecta, ut semper sit apud te, est et non; semperque dissideas a teipso? Sed Dei judicio, qui Christo non convenit sibi convenire non potest. Posuisti me, inquit, contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis. Status animi tui sicut auræ incertitudo est, sicut æstus maris fumusque pertransiens. Sane Dominus in populo gravi laudari desiderat. Unde tuam et consimilium vitam sub typo Hierusalem Propheta redarguens: Peccatum, inquit, peccavit Hierusalem; propterea instabilis facta est. In libro Sapientiæ scriptum est, quia stultus ut luna mutatur. Et in eodem legis quod præcordia fatui sicut rota plaustri, et quasi axis versatilis cogitatus illius. Ætas provectior animum maturitate aliqua debuerat stabilisse. Porro si mutare potest Ætiops pellem suam aut pardus varietates suas, et animus tuus poterit gravitatem vitæ maturioris induere. Ideo et verba mea dolore sunt plena.

Rom. 9. — Galat. 3. — Isai. 33. — Job. 30. — Jeremiæ 4. — *Erat tum senex.* — Job. 7. — Psalm. 34. — Thren. 1. — Eccli. 27. — Ibid. 33.

OBJURGATUR DE CALUMNIA IN ORD. CARTUS. — Jerem. 8.

IV. Cur sanctum et gloriosæ opinionis Ordinem Cartusiensem prævaricando depravas? Numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? Ibi sane inveneras locum pœnitentiæ, secretum solitudinis, pacem animæ, contemplationis arcanum, gaudium in Spiritu sancto, munus salutis, et

efficax beneficium medicinæ. Verum manna cœleste fastidiens et suspirans ad ollas carnium, domum illam appetis quæ desiderio tuo satisfaciet, quæ tibi delicatius et indulgentius ministrabit. Ideoque tumultum frequentiæ popularis, silentio et solitudini anteponis sollicitudinem ; licet noveris scriptum esse, quia qui jugum Domini accipit, sedere debet solitarius et silere. Hoc in Ordine Cartusiensi causaris et arguis, quod singulis diebus Missas non faciunt; atque hujus religionis aut potius superstitionis obtentu, tuum machinaris egressum. Tuæ literæ te faciunt insanum. Sed juxta verbum Sapientiæ : Melior est homo minoratus sapientia et sensu deficiens in timore, quam qui abundat sensu et transgreditur legem Domini. Scis quia Monachorum Pater et sacri Ordinis Institutor, nec etiam sacerdotii gradum attigit, expersque Missarum multo tempore, etiam in die Paschæ utrum Paschalis esset solemnitas ignoravit. Paulus primus eremita, et Antonius, Petrus et Paulus Apostoli, atque cæteri quorum laus est in Evangelio, non leguntur singulis diebus salutis Hostiam immolasse. Frequentia contemptum parit, et ex ipsa raritate crescit reverentia Sacramenti. Peccamus quidem assidue; et ubi continuantur peccata, continuum oportet esse peccati remedium. Verumtamen mundi pretium impretiabile communemque humanæ salutis Hostiam, nisi in spiritu humilitatis et corde contrito immolare non licet. Mors in olla est, nisi Elisæi farinula condiatur. Olim anima quæ certis temporibus afflicta non erat, exterminabatur de populo suo ; nec celebrabatur Agni Paschalis sacrificium, nisi in amaritudine agrestium lactucarum. Magnum est sacramentum et nunquam nisi corde contrito et humili est celebrandum. Magnum est, inquit Apostolus, sacramentum hoc pietatis, manifestatum quidem in carne, justificatum in Spiritu ; apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum in gloria. Teste Ambrosio, nunquam nisi puro corde, et mundis manibus, et contritione devota offerenda est Hostia, in qua est salus mundi. Tua vero sententia est, ut tibi Christum incorpores singulis diebus, non

Thren. 3.

Quod missæ non dicerentur quotidie.

Eccli. 9.

S. Benedictus non fuit sacerdos.

Frequentia contemptum parit.

4. Reg. 4.

Levit. 23.

Exod. 12.

1.Timoth.3.

Ambros. in Orat. ant. missam.

1. Cor. 11.

ANNUS 1183

dijudicans corpus Domini. Propter hoc multi imbecilles dormiunt in peccatis. Verbum sapientis est : Cum sederis ad mensam divitis, appone cultrum gutturi tuo, ut inter cœlestes cibos et laicos sive communes, devota veneratione discernas. Vide ne Dominus dicat de te : Ecce manus tradentis me, mecum est in mensa. Et illud : Dederunt in escam meam fel. Prohibet siquidem Dominus ne de Agno Paschali comedat advena vel immundus, nec ponendus est Christus nisi in sindone munda et in monumento novo; quia panis vitæ non est recipiendus nisi in conscientia munda et corde sincero. Hostia enim indigne accepta suscipientem damnat, non salvat; inquinat, non emundat. Propheta enim dicit : Quid est quod dilectus meus fecit scelera multa in domo mea? Numquid carnes sanctæ auferent malitias ejus, in quibus gloriatus est? Et alibi : Tu qui credis mundari per hostias, scito quod non mundaberis sed amplius pollueris.

Proverb. 23. — Luc. 22. — Psalm. 68. — Exod. 12. — Jerem. 11.

LICENTIA DATA ALEXANDRO QUOTIDIE CELEBRANDI.

V. « Tamen ne in Domo tua fieres scandali generalis occasio, ut obstrueretur os loquentium iniqua, tibi fraterna charitas singulis diebus offerre Hostiam speciali devotione indulsit. Sciens itaque et prudens vitam declinas et festinas in mortem, atque ad excusandas excusationes in peccatis nullam de cætero poteris prætendere rationem. Si attendas Domum Cartusiensem quam relinquere desideras, consideres unde venias aut quo vadas. Hierusalem pro Babylone, terram promissionis pro Ægypto, pro exilio patriam, cœlum pro inferno, quietem et pacem pro labore et miseria derelinquis. Domus siquidem Cartusiensis et locus habitationis illius, situs est in montibus et in scopulis et in petris; ut sit potius habitatio Angelorum quam hominum, ad dandam Altissimo vocem confessionis et laudis. Sicut scriptum est : Super ea volucres cœli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces. Sed et columba nidificat in foraminibus petræ, et vir prudens ædificat domum suam super petram, ubi nec maris fluctus, nec ventus turbinis, nec pluviarum inundatio, nec alluvio formidatur. Vere terribilis est locus iste, nec est hic aliud nisi Domus Dei et porta cœli. Et licet Domus illa sit in terra

Laus Cartusiæ. — Psal. 103. — Genes. 28.

horroris et vastæ solitudinis, nominatissima tamen est in observantia Religionis et Ordinis. In omnem terram per gratiam Dei exivit fama ejus, et in fines orbis terræ suæ odorem suavitatis effudit. Plantatio enim Dei est, et vinea Domini Sabaoth. Ideoque jam excrevit in immensum, et multiplices fructus fecit. Vide si jam non operuit montes umbra ejus, si non extendit palmites suos usque ad mare, et usque in Angliam propagines ejus. Tu vero docuisti linguam tuam mendacium, ut inique ageres sanctæque Domus Ordinem depravares. Scriptum est, quia spiritualis homo omnia dijudicat et ipse a nemine judicatur. Tu vero cum sis carnalis homo et venundatus sub peccato, spirituales viros judicas, et in animæ tuæ dispendium Domum sanctissimam scandalizas? Ad exemplar siquidem domus illius, de qua scriptum est : In domo Patris mei multæ mansiones sunt, habet hic unusquisque cellulam et mansiunculam suam, ut contemplationi et orationi liberius vacet. Sic enim in schola evangelica Veritas nos informat dicens : Tu autem cum oraveris intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum. Solitudinem hujus cellulæ Propheta elegerat, qui, sicut ipse commemorat, similis factus est pelicano solitudinis, et sicut passer solitarius in tecto. Elongavi, inquit, fugiens, et mansi in solitudine. Qui Rachelis amplexus et delitias contemplationis affectat, juxta verbum Job, contemnit multitudinem civitatis, et vocem exactoris non audit. Unde et Jeremias : Quis dabit me in solitudinem aut in diversorium viatorum? Si affectares vacare tibi, et appeteres scribere, orare, legere, meditari et psallere, nunquam civitatem Eremo, nunquam sollicitudinem solitudini prætulisses.

ANNUS 1183

1. Cor. 2.

Joan. 14.

Matth. 6.

Psalm. 101.

Psalm. 54.

Job 3.

VI. « Nunc manifestissime liquet quid multis diebus in corde tuo nutrieris : diu dissimulasti, ac sub taciturnitate suspecta concepisti dolorem et peperisti iniquitatem. Juxta verbum Prophetæ : Ova aspidum eruperunt ; qui comederit de ovis morietur, et quod confotum est erumpet in regulum. Nocuit Priori tuo quod te nimis familiariter et blande tractaverat, atque de ipsius humilitate superbiam concepisti.

DIU DISSIMULAVIT ALEXANDER.

Isai. 59.

Prioris charitate abusus.

ANNUS 1183 Egisset prudentius, si cervicem onerasset insolentem, et se in multis erga te austerius habuisset. Scriptum est in libro Sa-
Eccli. 33. pientiæ : Quia malitiam otiositas docet, ferrumque inclinant
Ibid. 28. operationes assiduæ. Et item : Servo malevolo debentur compedes et tortura, ne vacet. Adhuc replico, quia scienter et prudenter in interitum animæ et famæ periculum te devol-
Ibid. 3. vis. Scriptum quippe est : Qui amat periculum, in illo peribit. Non est Religiosorum sapientia, ubi eam venaris et quæris : non enim invenitur in terra suaviter viventium. Viam vitæ perfectioris aggressus es; sed cito emarcuit religio tua,
Job. 28. quasi vinea in primo flore et quasi botrus projiciens flores suos. Vix adhuc mustum eras, quando corruptus es in acetum. Si per longam experientiam didicisses Ordinis illius dulcedinem, sapientius cogitasses. Nam testimonio Sapientiæ :
Eccli. 34. Vir in multis expertus cogitabit prudentiam, et qui multa didicit, proferet intellectum. Possum tibi dicere, quod Apos-
1.Timoth.3. tolus Timotheo : Ab infantia sacras literas nosti, quæ te pote-
Hebr. 5. rant ad salutem instruere. Sed sicut idem loquitur ad Hebræos : Cum deberetis, inquit, magistri esse propter tempus, rursum indigetis ut et vos doceamini, et facti estis quibus
Olim Blesensis condiscipulus. lacte opus est, non solido cibo. In Legibus et Decretis quandoque te habui conscholarem; sed te infatuavit is, qui, juxta
Job. 12. verbum Job, adducit consiliarios in stultum finem, et judices in stuporem. Et unde hoc tibi ut recedas a loco, cui te Reli-
Vota apud nos nuncuparat. gionis voto et stabilitatis vinculo obligasti ? Disce, quæso, negotiari cautius; ne tunc pœnitere incipias, quando non erit pœnitudinis locus. Hoc apud te deliberasse debueras, antequam arbitrio alieno tuam subjiceres voluntatem. Prius enim in potestate tua erat declinari Domini servitutem. In manu consilii tui eras, tibique boni et mali, ignis et aquæ, vitæ et mortis erat oblata discretio. Porro nunc voti vinculo necessitati adstrictus es; et exigit oblatum, qui non exegerat offe-
Videtur infra a nobis nondum defecisse. rendum. Quid quæso tibi defuit, quandiu cum Cartusiensibus eras ? Incrementum non exigit quod satis est; opem extrinsecam sufficientia non mendicat, et adjectione non indiget ple-
Job. 6. nitudo. Numquid, dicit Job, rugiet onager, cum ante plenum

præsepe steterit? Brutorum animalium natura te damnat, quia cum eis pabulum commune sufficiat; ex adipe prodit iniquitas tua, quem post labores studiorum et scholares angustias, otiositas instabilem fecit, et sufficientia contumacem. Nam et poetæ testimonio : ANNUS 1183

Luxuriant animi rebus plerumque secundis,
Nec facile est æqua commoda mente pati.
Ovid. 2. de arte amandi.

VII. « Ferrem patientius, si ad Cisterciensis Ordinis observantiam te transferres. Si enim in proposito Religionem habes, ibi probatissimæ religionis schola est, summus ibi modestiæ usus, morum regularitas, fraternitatis affectio, pax animi, omnium communicatio, mutua obsequela, disciplinæ vigor, amor obedientiæ, vinculum charitatis, carnis servitus, hospitalitatis exhibitio, legendi libertas, vigiliarum excubiæ, quies meditationis, devotio psalmodiæ. Quid, quæso, dulcedinis aut devotionis invenies apud eos *, quibus versa est in nauseam numerosa atque confusa iteratio et farsura Psalmorum? Paulus dicit : Psallam spiritu, psallam et mente. Si psallentibus non adsit devotio, licet eumdem psalmum millies repetant, non est hic psalmus jucunda decoraque laudatio. Doctrina Salomonis est : Fili ne iteres verbum in ore tuo. Cumque alibi dicat : Omnis labor hominis in ore ipsius; vereor ne hoc nimis periculose eis aptetur, labor labiorum ipsorum operiet eos. Ephraim puer delicatus; scioque quod carnis deliciæ te a spirituali studio retraxerunt. Te inter conversationis tuæ primitias forsitan terruerunt inexperta vitæ asperitas, rigor Ordinis, lex obedientiæ, solitudinis terror, et præ omnibus austeritas disciplinæ. Sane disciplina unica est clavis innocentiæ, Religionis anchora, custos Ordinis, et per quam specialiter motus animi revocatur a malo et stabilitur ad bonum. Cum Propheta nos moneat apprehendere disciplinam, Apostolus succinit et concordat : Si estis, inquit, extra disciplinam, ergo adulteri estis. Certus es quod egressio tua multis scandalum generabit. Scriptum est autem generaliter, nec ullus excipitur : Væ homini per quem scandalum

HORTATUR EUM BLESENSIS UT POTIUS AD CISTERCIENSES SE TRANSFERAT.

* *Cluniacenses. Hoc dictum temperat Epist. 97.*

1. Cor. 14.

Psalm. 146.

Eccli. 7.

Ibid. 6.

Psalm. 139.

Disciplina Religionis anchora.

Psalm. 2.

Hebr. 12.

Matth. 18.

ANNUS 1183 venit. Esses excusabilis, si ex simplicitate delinqueres, sed studiose hoc agis ut tua iniquitas inveniatur ad odium. In

Psalm. 35. Exodo primogenitum asini vel interficitur vel ove redimitur. In quo datur intelligi, quod cuilibet religioso viro divina animadversio intentatur, si pigritiam vel defectum boni operis animi simplicitate non redimat.

ANIMATUR AD PERSEVERANDUM.

VIII. « Quid expediat tibi, tu videris. Sed ut verbum Apostoli exhortationi nostræ accommodem : Si qua tibi consolatio

Philip. 3. est in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis ; imple gaudium meum, imple pollicitum quod fecisti : ne des animum tuum in exterminium, et in opprobrium famam tuam. Fœdus amicitiæ contraximus ab antiquo, tuæque salutem animæ zelo et sitio in visceribus Christi et in charitate non ficta : propterea tibi consulo quod arbitror expediens et honestum. Novi recentesque venerunt, qui te sollicitant ad egressum. Vereor autem ne apud te prævaleant, in consilio rationi voluntas, et in amicitia novitas vetustati. Sapientia dicit, si tamen Sapientiæ

Eccl. 9. verbum digneris audire : Amicum non derelinquas antiquum, novus enim non erit similis illi ; vinum novum, amicus novus; veterascet, et cum suavitate bibes illud. Considera,

Job. 6. quæso, juxta verbum Prophetæ, semitas Theman, itinera Saba, et expecta paulisper, ut habito maturiori consilio, super fluctuante animi tui statu, fluxa vivendi remissio te colligationibus impietatis non occupet ad terrena. Sis quietus apud te; et in ea vocatione, qua vocatus es, negotio tuæ salutis

1. Thessal. 4. 11. constanter insistas. Sic ad Thessalonicenses scribens Apostolus : Operam, inquit, detis ut quieti sitis et vestrum negotium

1. Cor. 15. peragatis. Et in prima ad Corinthios : Fratres mei dilecti,

Eccli. 6. stabiles estote et immobiles in opere Dei. Semper assuesce, quæso, jugo Domini ; injice, sicut cœpisti, pedem tuum in

Amor temperat severitatem Ordinis. compedes illius, et ne acedieris in vinculis ejus. Si quid grave aut amarum in Ordine Cartusiensi est, totum levigabit

1. Cor. 13. amor, totum charitas dulcorabit. Charitas omnia suffert,

Rom. 7. omnia sustinet, nihil difficile est amanti. Vides quod omnis

Psalm. 38. creatura vanitati subjecta est. In imagine pertransit homo.

ANNUS 1183

Dies ejus sicut umbra prætereunt, totumque quod appetis cito ad nihilum deveniet tanquam aqua decurrens. Declina ergo vanos decursus quos desideras, et antiquæ consuetudinis libertatem, ne in domo laxioris vitæ, cum enormi famæ dispendio, domum tibi ædifices gehennalem. » Psal. 57.

FREQUENTIA MISSARUM APUD NOS.

IX. Hactenus Blesensis epistola; in qua præcipuum quod notandum occurrit versatur circa raritatem Missarum de qua conquerebatur Alexander, inde causam prætexens suæ instabilitati, sicut ei exprobrat Blesensis his verbis : « Hoc in Ordine Cartusiensi causaris et arguis, quod singulis diebus Missas non faciunt, atque hujus religionis aut potius superstitionis obtentu, tuum machinaris egressum. » Quæ quidem verba, de Missis privatis mihi videntur maxime intelligenda, non de Conventualibus; ut colligere est ex his quæ postea subdit : « Tamen, ne in Domo tua fieres scandali generalis occasio, ut obstrueretur os loquentium iniqua, tibi fraterna charitas singulis diebus offerre Hostiam, speciali devotione, indulsit. » Ex quibus inferendum præterea videtur Blesensem non improbare si quis singulis diebus celebret, modo frequentia contemptum non pariat. Imo forsan et sanctus Hugo Lincolniensis, hujus instabilis monachi tunc temporis Prior, hanc ei licentiam concesserat de ipsius Blesensis consilio. Consuetudines namque quantumvis laudabiles, pro rerum, temporum ac personarum conditione sapientissime posse mutari omnes conveniunt, quando præcipue, ex hujusmodi mutatione, mores non depravantur, nec inter monachos periclitatur regularis observantia. Unde Petrum Cellensem vidimus alibi Basilium nostrum omnesque Ordinis Priores, tunc pro Comitiorum celebratione congregatos, commonuisse « tam temperanter a subjectis suis mandata et Consuetudines Ordinis exigere, quanta in charitate in humano corpore venæ omnes sibi sociantur. » Deinde eosdem exhortatur « non usquequaque dispensationes, quæ de corde charitatis procedunt, anathematizare. Quam enim, inquit, frivolum et inconstans est, sine ratione et autoritate meliorum mutare decreta et statuta seniorum; tam pertinax est, et extra

V. supra ad an. 1160.

ANNUS 1183

regulam temperantiæ (quæ est mater virtutum) velle temporibus et moribus hominum negare quæ deceant et expediant. »

His Patres Ordinis moti rationibus, et quia quotidie homines hunc nostrum usum arguebant, ad obstruendum os loquentium iniqua, ut ipsemet Blesensis loquitur, unicuique nostrum potestatem permiserunt frequentius celebrandi. Nullum tamen fatemur super hoc extare tunc temporis promulgatum decretum; sed id, eo tempore, jam usu receptum fuisse discimus ex Vita Stephani Portarum monachi et cartusiæ Bellilarici Protoprioris, qui eodem tempore vixit. Hic enim morti proximus inter multa quæ Fratribus adstantibus dedit admonita, sic eos allocutus est: « Ego quidem plerumque vigiliarum prolixitate, et protracta matutinalis Officii psalmodia plurimum fatigatus, vehementer exoptabam finitis Matutinis ad cellam regredi, ut saltem super scamnum ibi senilis corporis membra aliquantulum refoverem. Cumque post paululum resumptis utcumque viribus respirarem, tunc profecto ex devotione erat mihi voluntarium in animo Missam celebrare, si quomodo præsto esset fieri, qui adjuvaret; tandem vero ad cellulæ ostium respiciens, si forte occasionem perficiendi quod suggerebat devotio reperire potuissem, ecce Sacrista per claustrum quaternulos suos deferens oculis apparebat, per quod videlicet perspicaciter advertebam, et vos qui fortes estis et juvenes Missas vestras jam celebrasse, et me senem et debilem fraudatum a desiderio meo et tanti Sacrificii suffragio caruisse. » Hæc ille. Sed quam celebrare Missam præ senectute et infirmitate non poterat, nullam prætermittebat diem quin eam saltem audiret. « Verumtamen, inquit autor Vitæ illius, infirmitas hæc, qua mortuus est, fervore utique devotionis minime frigescente, illum nequaquam potuit impedire quin ad ecclesiæ ostium Missam auditurus quotidie procederet, præter pridie quo obiret. » Ipso vero die quo mortuus est, nempe sabbato, sic quemdam Fratrem Conversum allocutus est: « Quia tempus meæ resolutionis instat, perge nunc velox ad ostium ecclesiæ (ubi tunc major Missa cantabatur), ibique pulsans indicabis Fra-

Ex Chron. ms. Bellilarici.

tribus jam me velle dissolvi; et ideo nullus se præparet ad celebrandum (videlicet privatam Missam), sed statim huc ad me cuncti adveniant jamjamque ab eis sine dubio recessurum. » Idem Stephanus ad Ordinem admiserat quemdam monachum virum sanctum, nomine Hermannum, qui singulis etiam diebus Sacrificium faciebat. « Non credo, inquit autor Vitæ ejus, vel unum transiisse diem, præter tres, quin post Matutinas Missam celebraret. »

Ab eo itaque tempore, unicuique liberum fuit singulis diebus divinam privatim immolare Victimam. Et Rifferius in suis Statutis satis innuit eam fuisse Ordinis mentem, ut omnes Monachi professi Sacrum quotidie vel dicerent vel audirent. Hunc morem Sacrum faciendi Guillelmus Raynaldi extendit ad Novitios, tam Monachos quam Clericos, obtenta tamen prius Præsidentis licentia. Et in *Manuali Cæremoniarum Domus Cartusiæ*, cujus idem Guillelmus autor esse videtur, etsi uniuscujusque sacerdotis voluntati frequens vel rarior celebratio relinquatur, nihilominus increpantur qui eam sine justa causa omitterent. Sic enim ibi legitur: « Generaliter omnibus diebus voluntarie celebrare volentes innuunt Sacristæ in Matutinarum ingressu, ut melius de altaribus et servitoribus valeat ordinare. Et inferius : Si quis vero Missas injunctas, legitimo impedimento cessante, celebrare noluerit. . . . . . Sive raro, cum scandalo aliorum, celebraverit, debet ab eodem Sacrista in Capitulo charitative proclamari, ut ibidem Præsidens opportunum valeat remedium contra tales pigros et miseros adhibere. Nam in Ordine nostro illi bene miseri reputantur, qui ter ad minus in ebdomada Deo hostias non offerunt salutares. » Hæc consuetudo in quamdam velut obligationem ante aliquot annos commutari cœperat, cum Patres, Benedicti XII Constitutioni obtemperantes, omnes Monachos et Conversos cæterosque nostri Instituti laicos, ad sacra Mysteria crebrius tum celebranda tum usurpanda adhortati sunt. Non igitur nostra Statuta transgrediuntur, sed ea accurate exequuntur, qui sanctissimum Eucharistiæ sacramentum frequenter vel su-

Stat. Ant. p. 1. c. 41. et 43. et p. 2. c. 6.

Stat. Nova p. 2. c. 6.

Ex cod. cart. Massil. cap. de officio sacristæ.

V. infra ad an. 1335.

ANNUS 1183

munt vel conficiunt. Nec Wernerus Laerius, Coloniensis cartusiæ monachus, Regulæ nostræ præscriptum, ut quidam volunt, sed aliquod aliud impedimentum nobis ignotum intendit, cum scribit « se libenter quotidie Missam facturum, si canonicum impedimentum non occurrisset. » Hæc dicta sint ut nostros sacerdotes non tam ad frequentius quam ad sanctius celebrandum incitemus.

Agn. Pasch. in Admonit. prob. 1. n. 9.

Hactenus de Missis privatis. Quod Conventuales spectat, satis liquet ex superius dictis, earum quotidianum usum eodem tempore et eadem occasione fuisse inductum. Sed id apertius liquet ex Collectione a Priore Cartusiæ Jancelino sub ejus regiminis initium facta, et a Capitulo generali approbata, in qua sic designantur Missæ singulis diebus per hebdomadam decantandæ : « Missæ, Dominicalis, pro Defunctis, pro Brevi, heddomadarii sunt et pro Festo. Cæteris diebus vacantibus primum cantat Prior, deinde primus in ordine, et sic per ordinem. . . . . Feria secunda cantatur Missa pro Benefactoribus. . . . . . Feria tertia, et quarta similiter cantabitur pro Defunctis. . . . . . Feria quinta *de Spiritu Sancto*. . . . Feria sexta cantabitur de Cruce, sicut in Exaltatione. . . . Sabbato cantabitur *Salve Sancta Parens*. Has Missas, de novo constitutas, aliquando Prior exigente necessitate mutare poterit, et secundum dispositionem celebrabuntur. » Hæc ibi, quæ postea Antiquis Statutis inserta sunt, quibusdam additis vel mutatis, sive potius elucidatis. Etsi appareat ex hac Collectione nostrum Jancelinum diurnarum Missarum numerum fixisse, constat tamen ex altera Collectione sub Basilio S. Antelmi successore facta, (quam aliquando citavimus sub nomine *Supplementorum ad Guigonis Statuta*), constat, inquam, quod Basilii temporibus jam frequentes fuerint Missæ majores. Nam ibi legimus : « Si in Vigiliis Apostolorum quæ Missas non habent (proprias videlicet ipsis Vigiliis) festum trium Lectionum occurrat : si dies ille, in quo Vigilia et Festum occurrunt, habeat Missam *pro Vivis*, ad ipsam fit commemoratio primum de Vigilia et postea de festo trium Lectionum. » Missas vero *pro Vivis*, de

Ex citato Codice Maj. Cartus.

ANNUS 1183

quibus hic agitur, intelligendas esse de Missis votivis quas, diebus Missas proprias non habentibus, solemus celebrare ex ordinatione vel Capituli generalis vel Superioris, patet ex eisdem Supplementis in quibus iterum sic legimus : « In Missis votivis et *de Spiritu S.*, et *de B. Maria,* tacetur *Gloria in excelsis.* » Et antea ibidem declaratur quod « in hebdomadibus quæ singulis diebus Missam Conventualem habent, Missa pro Benefactoribus vicarii est. » Ergo jam Basilii tempore Missæ aliquando per totam hebdomadam cantabantur; idque singulis anni diebus in usu fuisse sub Jancelino, ulterius probari potest ex Vita jam laudata Stephani Portarum monachi, qui præ senectute et infirmitatibus factus impotens, ad ecclesiæ ostium, ut vidimus, Missæ audiendæ gratia quotidie accedebat vel deferebatur. Idem etiam colligendum est ex Jacobo de Vitriaco scribente Cartusienses « habere singuli cellas singulas a quibus nunquam exire licet, nisi ad Officium Missæ et Matutinas », singulis nempe diebus. Notandum est præterea Blesensem quidem loqui in hac epistola de Cartusiæ Domo, tanquam de loco ubi Alexander professionem emiserit; attamen ejus verba non præcise de Matre Cartusia intelligenda esse, sed de toto Ordine. Nam revera statim subjungit : « Tu vero docuisti linguam tuam mendacium, ut inique ageres sanctæque Domus Ordinem depravares. » Et superius : « Cur sanctum et gloriosæ opinionis Ordinem Cartusiensem prævaricando depravas ? » Sed hic nodus plane solvitur ex S. Hugonis Vita, ubi Alexander distincte dicitur ab eodem viro in Domo Withamiensi admissum fuisse et ibidem vota nuncupasse. Unde rursus observandus est quorumdam error qui scripserunt Alexandrum in ipso vitæ religiosæ tirocinio retrorsum abiisse. Nec enim eum his verbis interpellasset Blesensis : « et unde hoc tibi, ut recedas a loco, cui te Religionis voto et stabilitatis vinculo obligasti ? »

Jacob. de Vitr. de Cartus. Instit.

Petr. Sut. de Vit. Cart.

Denique Alexander, spretis amici admonitionibus, ad Cluniacenses migravit. Abbas vero de Evesham ejusdem Ordinis in Anglia, lecta Blesensis epistola, moleste tulit ejus libertatem qua æquo liberius in ejus Ordinem invehi visus fuerat

ANNUS 1183

Busæus in Notis ad hanc epistolam.

his verbis : « Quid, quæso, dulcedinis aut devotionis invenies apud eos ? » Quæ quidem verba, ut notat Busæus, tacite Cluniacenses pungebant. Sed Blesensis, audita Abbatis querela, sua verba mitigare ac se purgare studuit, ad eumdem inter cætera scribens. « Invidiæ proprium est laudem alterius suam reputare injuriam ; sed probata in vobis religio, et nativæ benignitatis interpres, morum jucunda suavitas sibi ad contumeliam non adscribet quod Cisterciensium aut Cartusiensium Ordinem visus sum præ cæteris commendasse. Illos approbo, et vos laudo. . . . . sanctus est Ordo Cluniacensium, sanctusque Cisterciensium. . . . . Quidam inconsulta levitate animi cum enormi scandalo de Domibus religiosis exeunt. . . . . . Propterea adversus Magistrum Alexandrum in epistola quadam nuper excandui, et verba quæ ipsum specialiter contingebant, passus sum in quorumdam offensam licentius quam oportuit evagari. »

Epist. 137.

Est alia epistola Petri Blesensis, quam scripsit ad magistrum Alexandrum de S. Albano novitium, sed cujus Ordinis non habet. Hunc vero esse præfatum desertorem facile credimus : 1. ex nomine; 2. quia in utraque epistola eum nominat socium suum et amicum; 3. quia in illa ad Novitium, dicit eum Magisterii honorem expuisse; quod etiam legitur in Vita S. Hugonis. Nec obstat quod hæc ad Novitium reperiatur in ordine epistolarum post illam quam supra dedimus. Nam satis liquet legenti, ut recte admonuit Petrus de Gussanvilla, temporis ordinem non fuisse in literarum serie servatum. Porro hac epistola nostrum Novitium Blesensis hortatur ut novum obedientiæ jugum et insolitum rigorem Ordinis fortiter ferat, nec austeritate disciplinæ deterreatur, sed mundo perfecte moriatur et sibi. Quod grave consilium si secutus Alexander fuisset, suæ certe saluti et famæ magis consuluisset.

Pet. de Guss. in Notis in Epist. Blesens.

Ad coronidem huic primo Ordinis seculo imponendam, bona docti lectoris venia nobis liceat præfatæ de Missis dissertationi quædam adstruere, de differentiis quæ nostras

inter ac sacerdotum ac Regularium cæremonias in earum celebratione intersunt. At prius duo vel tria monere lectorem debemus. Primum, has differentias esse tantum accidentales, nec ullam, quantulamque, in eis posse cum Sacrificii essentia, quæ semper eadem cum cæremoniarum diversitate perseverat, repugnantiam deprehendi. Secundum, Cartusienses ritus a nostris priscis Patribus excogitatos non fuisse; sed a celeberrimis Ecclesiis, uti sunt Romana, Remensis, Lugdunensis, Gratianopolitana, et aliæ plures, maximeque a Cluniacensibus Monachis desumptos. Denique, eorumdem rituum usum ab ipsa Matre Ecclesia, interveniente Sedis Apostolicæ autoritate, non modo toleratos, sed et approbatos fuisse atque confirmatos, ut postea ostendemus. His ita prælibatis, nobis maxime incumbit cæremoniarum nostrarum usum et antiquitatem certis probisque autoritatibus adstruere. Unde facile erit inferre nihil in eis occurrere temerarium, aut Sacrificii contrarium essentiæ.

ANNUS 1183

Quæ differentiæ inter nostras et aliorum cæremonias.

Prima Differentia est circa internam ad tantum Sacrificium rite ac devote conficiendum præparationem, quam nos prostrato corpore, flexis alii genibus persolvunt. Prosternendi se usum apud Judæos priscosque Christianos frequentissimum fuisse, satis indicant tum Sacræ Scripturæ codices, tum varia Sanctorum Acta. Ritum hunc nostrum verbis plane honorificis laudat Franciscus Harlæus, Rothomagensis olim archiepiscopus, in Tractatu æque pio ac docto quem de modo curialem Missam rite audiendi gallice edidit. Ubi enim hæc Offertorii verba : « pro innumerabilibus peccatis et offensionibus » explanat, de prostrationibus quondam in Ecclesia usitatis, et a Cartusiensibus hodie religiose observatis, sic docte disserit : « Hebdomadarius sacerdos (is nempe cui munus obtingebat officii in parœciis per integram hebdomadam vice sua celebrandi) a reliquo Clericorum cœtu, toto illo tempore juxta antiquam Ecclesiæ consuetudinem segregabatur, orationique insistebat in secretiori quadam templi parte sepositus, ac demum suam inchoans finiensque hebdomadam, toto se corpore ante altare prosternebat. I.

Modus audiendi missam curialem, novæ editionis pag. 158.

ANNUS 1183

« Pius profecto ille fuit ac veteri Ecclesiæ praxi omnino congruens ritus, quem S. Bruno religiosissime retinuit, quemque suo in Ordine, monasticorum omnium observantissimo, usu perpetuo et inviolabili consecravit. Hinc eumdem Ordinem sæpe adimus tanquam fidelissimum sacrorum rituum custodem. Nam Cartusienses solitariam hactenus vitam agentes, primævas Instituti sui cærimonias constanter tenuere. Et hæ quidem omnes legitimæ sunt, et ab Ecclesia Catholica olim factitatæ. Siquidem sanctus ille Patriarcha priusquam Ordinem suum institueret, unus extiterat e Canonicorum collegio, ac in antiquis ecclesiasticorum rituum formulis versatissimus. Ista totius corporis prostratio non minus olim communis et usitata fuit, quam quæ quotidie recitatur Angelica recitatio ; in eamque devenerat pietatis consuetudinem, ut Christiani omnes inter utramque Corporis et Sanguinis Christi elevationem ad terram se prosternerent, sicut etiamnum ab ipsis Cartusiensibus in conventualibus Missis videmus observari, et in quodam Concilio fuisse olim sancitum legimus. »

Hunc usum, licet Sancti Brunonis tempore per totam Ecclesiam observatum, ad nos tamen cum pluribus aliis cærimoniis e Remensi Ecclesia delatum fuisse recte credit Guillelmus Marlotus. Sic enim scribit in Elogio de S. Brunone quod suæ *Metropoli Remensi* inseruit : « Verum enimvero si Brunonis sanctitas Remensem Ecclesiam commendat, quæ eum a teneris aluit et expolivit, non minoris gloriæ lucrum ipsis Cartusianis accessit, apud quos insignes prædictæ Ecclesiæ cærimonias tota Gallia celebres detulit : accuratissimum psallendi modum, *Prostrationes* in choro, et alia id genus, quæ etiamnum inculpate retinent cum Catholicæ Ecclesiæ bono, ac venerandæ antiquitatis commendatione. » Idem confirmat Coquault, Remensis Canonicus, in Tabula Chronologica ejusdem Ecclesiæ, ad an. 1435, ubi præterea asserit *Prostrationum* usum in Ecclesia Remensi circa eadem tempora desiisse.

II. *Secunda Differentia.* Post præparationem sacras vestes in-

duimus ad sinistrum ipsius altaris cornu in quo celebraturi sumus, ac eas ibidem absoluta Missa deponimus. Hoc ipsum quidam sacerdotes maxime in templis rusticanis observant, quod in urbibus a plerisque in sacrario fieri non inficiamur. Nostrum usum ab Ecclesia Gratianopolitana videmur esse mutuati. Nam in ejusdem Ecclesiæ Missali, anno 1532 Gratianopoli typis excuso, legimus quod sacerdos post Missæ finem, recitata oratione *Placeat tibi Sancta Trinitas,* casula se exuens dicit *Dominus vobiscum, Initium S. Evangelii, etc.* tandemque exuens se indumentis Missæ dicat hanc antiphonam Trium Puerorum, etc. Eadem fere habet *Micrologus* in *Brevi descriptione Missæ celebrandæ.* Cum igitur sacerdos hæc debeat exequi statim post Sacrum absolutum, nec ibi fiat mentio quod altare dimittat aut sacrarium ingrediatur, hinc non inepte colligimus, ubi suis vestibus exuitur, ibidem se prius iisdem induisse. Antiquiores etiam monasterii Cluniacensis Consuetudines, dum cæremonias in Missis privatis tenendas describunt, simile quid innuunt: « Ad vestimentum non est improvisum, nec omissum, ut ad singula altaria una sit tabula in qua ponatur. » Ibique aperte dicitur quod sacerdos « præcedens Conversum sequentem, cum vestimento sacerdotali pergit ad altare, » ut super illud eisdem se vestibus induat.

ANNUS 1183

Antiq. Consuetudin. Cluniac. lib. 2. cap. 30, circa finem.

III.

Tertia Differentia. Dum vestimenta induimus, aliquam divini Officii Horam persolvimus juxta Statutorum præceptum. At sacerdotes, tum seculares tum Regulares, ad singula indumenta certas preces recitant, quas eminentissimus cardinalis Bona dicit diversas esse in diversis Ecclesiis; verbis, non sensu. Et Joannes Burchardus in *Ordine celebrationis Missæ* ait orationes ad vestes sacerdotales non ex præcepto, sed ex devotione dici, et posse, iis dimissis, recitari Psalmum *Miserere mei Deus* aut alium convenientem. Quidam eas putant non posse omitti sine peccato. Ut ut sit, non videtur indecens aliquam Officii Horam, dum induimur et exuimur, dicere. Nam juxta Fructuosi Regulam, licet etiam inter operandum Officium reddere : « Si opus tale est quod non intermittatur,

Bona Rerum liturg. lib. 2. cap. 1.

Reg. Fructuosi, cap. 6.

ANNUS 1183

in opere ipso Tertia dicatur; et sic recitando revertantur ad cellam. » Si ergo id licet itinerantibus ac labori vacantibus, cur prohiberetur sacras vestes ad celebranda divina Mysteria induentibus? Dummodo tamen illud recitemus cum ea modestia et intentione, quas antiquum Manuale Cæremoniarum Domus Cartusiæ a sacerdote et illius ministro requirit his verbis : « Dicto *Pater noster,* ambo surgentes et se signantes, incipiunt Horam dicere, bene et devote, cum pausulis in metro, taliter pronunciantes quod se invicem bene possint audire, de locis suis non se removentes donec post *Deus in adjutorium* dictum fuerit *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.* » Et paulo post : « Ille qui incipit Horam incipit similiter hymnum et psalmum, et alter antiphonam. Et debent tam morose dici, ut antequam sacerdos incipiat Capitulum, ex toto sit indutus, et altare discoopertum, ut postmodum devotius valeant dicere Preces. » Et postea : « Et si in Precibus *Miserere* dicatur, illud (altare) dum Preces dicuntur præparare non debent, sed dum dicitur *Miserere.* » Et inferius : « Parato altari stat sacerdos indutus, cum cubitis super cornu illius sinistrum, ibidem finiens quæ dicere habet; nisi propter propriam orationem illius Horæ dicendam, necesse haberet ire ad Missale. » Hæc ibi; et in Nova Collectione tam sacerdos quam minister monentur « cavere diligenter ne quid impediat debitam divino Officio attentionem. » Si quis tamen ad majorem animi collectionem sibi conciliandam, Horæ Officium cum ministro ad altaris gradus ante vestium sumptionem diceret, non improbaremus, maxime si alias preces vel psalmos, dum indueretur, recitaret. Mens autem pii cardinalis Bonæ loco citato videtur esse unumquemque sacerdotem ad illas preces teneri, quæ sua Ecclesia sacras vestes ad Missam celebrandam induentibus præscribit.

Manuale ms. Cæremoniar. Cartus. cap. 4, de Missis privatis.

Part. 1. cap. 32. n. 3.

IV. *Quarta Differentia.* Eisdem numero vestibus (excepta nostra cuculla ecclesiastica) ejusdemque prorsus formæ cum aliis sacerdotibus utimur. In eo tamen discrepamus, quod hi stolam ante pectus decussatim implicent ut, juxta Decretum

ANNUS 1183

Concilii Bracarensis apud Gratianum, signum in suo pectore perferant Crucis. Quod etiam a Nostris olim observatum fuit usque ad annum 1281 quo per Capituli generalis Chartam decernitur ut « stola uniformiter portetur, non cancellata sicut hactenus in Ordine extitit deportata. » Ab eo igitur tempore eam a collo per humeros ex utraque parte ad media crura directe pendentem gerimus, et quidem fluitantem, nisi in certis casibus quos Guillelmus Raynaldi in suis Statutis sic designat: « Stola a sacerdote celebrante ante pectus non ponitur cancellata nec ligatur, nisi quando aqua diebus Dominicis debet benedici, vel est Hora ante receptionem casulæ per eum in Conventu finienda, vel quandocumque aliquid sine casula est facturus. » Cur vero Patres, anno 1281, prohibuerint ne deinceps Crucis in modum cancellaretur, causam uniformitatis ipsi adducunt, cum præcipiunt ut « uniformiter portetur ». Quæ quidem uniformitas non respicit Ordinis personas, quæ omnes cancellatam stolam hactenus gestaverant, ut verba quæ ibidem sequuntur innuunt; videlicet, « non cancellata sicut hactenus in Ordine extitit deportata. » Hoc igitur decretum Nostri videntur edidisse, ut usui in Ecclesia tunc temporis generalius recepto se se accommodarent. Ita enim a multis tum fuisse observatum Durandus eodem tempore scribens profitetur. Ubi enim præfatum Bracarensis Concilii, jubentis sub excommunicationis pœna stolam portari ut signum Crucis repræsentet, decretum retulit, statim subdit: « nisi forte quis dixerit hoc decretum per contrariam generalis Ecclesiæ consuetudinem abrogatum. Nam non ubique partes stolæ reducuntur ante pectus in modum Crucis », nec etiam Romæ, ut indicat Innocentius III, lib. 1 *de Mysteriis Missæ*. Deinde postquam Durandus descripsit quomodo Diaconus eam sibi ambire debeat, formam qua ab aliis sacerdotibus circumfertur sic exhibet, nostro usui prorsus convenientem: « In Episcopo vero, inquit, vel sacerdote, ab utraque parte æqualiter dependet » anterius; sed juxta Missalis Romani Rubricas, sacerdos simplex eam debet « transversare ante pectus in modum Crucis. » Episcopus vero « non ducit eam

Distinct. 23. c. 9. Ecclesiastica.

Stat. Nova p. 1. c. 5.

Gavantus comment. in Rubric. Missalis, part. 2. tit. 1.

ANNUS 1183

in modum Crucis ante pectus, sed sinit hinc inde utrasque extremitates pendere. » Nec propterea timenda est censura quæ per Concilium Bracarense videtur tantum prolata contra eos qui stolam penitus non induerent, non vero qui eam non cancellatam gererent.

V. *Quinta Differentia* reperitur in præparatione et dispositione calicis, corporalis et aliorum id genus instrumentorum quæ ad calicem et hostiam spectant. Antequam Missam privatam inchoemus, vinum solum calici infundimus, nec tunc aquam miscemus, ut putavit cardinalis Bona, qui præter Cartusienses observat utrumque fieri a Prædicatoribus, et veteri ritu a Cisterciensibus, Græcorum exemplo. Deinde aliorum sacerdotum more hostiam patenæ superponimus, ac utramque, hostiam scilicet et patenam, super calicem positam sola parva palla tunc cooperimus. Non enim utimur velo, cujus usus etsi antiquissimus, non videtur tamen necessarius; quia sine illo, ut notat Bartholomæus Gavantus, Sacrificium non incommode fieri potest. Quamobrem et in Ritualibus non invenitur benedictio veli propria. Cochlear, quod lanceam qua latus Christi perforatum fuit repræsentat, ipsi parvæ pallæ superponimus, illudque nobis commune est cum antiquis Cluniacensibus. Sic enim habent antiquiores eorum Consuetudines, loco superius citato de privatis Missis : « Sacerdos autem primo manus suas lavat et tergit, mittit hostiam cum cochleari super patenam. » Cochleari etiam utuntur Græci ad communionem fidelibus porrigendam, nos vero ad aquam calici infundendam. Calicem sic præparatum non in altaris medio ut faciunt alii, sed in ejus latere inter corporale et Missale collocamus ; sicque usque ad Offertorium remanet.

Bona ubi supra.

Gavant. ubi supra.

Corporale nostrum longius est ac latius quam aliorum corporalia, et magis ad antiquorum similitudinem accedit, quæ totum altare tegebant ; super quod illud extra Missam plicatum in aliquibus Ordinis Domibus sæpius relinquitur, ut olim apud Cluniacenses factitabatur, quorum sacerdos « lavatis manibus accedit ad altare, et utrumque corporale, vel quod in altari semper jacet vel quod subdiaconus appor-

Consuetud. Cluniacens. ut supra.

tavit, accipiens expandit. » Unum e duobus illis corporalibus simile erat nostro, nam ibidem duplum fuisse dicitur. In quibusdam tamen Domibus, et olim in Majori Cartusia, « corporalia in altaribus remanere non debent, » ut in antiquo Cæremoniali legitur. ANNUS 1183

Ante Missam privatam corporale super lapidem consecratum expandimus, hostiam et calicem super illud post Offertorium deposituri, remotisque patena et parva palla, ipsum calicem sola ejusdem corporalis parte extrema cooperimus. Cui quidem ritui consonat Ecclesiæ Lugdunensis *Ordinarium* in quo non semel sequentia leguntur : « Sacerdos accepto thuribulo a diacono, incensat calicem protectum corporali. » *Usuum antiquorum Cisterciensium Liber,* apud Bonam, nostrum sic usum exhibet : « Diaconus ponat calicem super corporale in secundo plicatu anterioris et sinistræ dextræque partis, et panem ante calicem, revolvens super eum corporale. » Ejusdem nostri corporalis formam clarius exprimunt Bursfeldenses : « Diaconus explicet corporale habens tres plicatus in latum et quatuor in longum, medium latitudinis ponens in medio altaris. » Et infra : « Plicatu extremæ partis corporalis calicem operiat. » Aliis possemus eumdem usum autoritatibus probare, sed hæ sufficiant. Pulvinar ab aliis sacerdotibus per totam Missam Missali supponitur, sed a nobis Missale pulvinari tunc solum superponitur cum a sinistra parte est ; ad dexteram vero positum, semper est sine pulvinari. Rara est apud antiquos Rituum ecclesiasticorum Scriptores de pulvinari mentio, quod alii cussinum, alii pulvillum appellant. Unde non mirum si eo non utamur, nisi ad Canonem commodius legendum. Notandum præterea quod apud nos sacerdos Missale a cornu Epistolæ ad alterum cornu ipsemet transferat, non vero minister ut apud alios, licet utrumque sit eis arbitrarium juxta Missalis Romani Rubricam.

Cæremoniale Bursfeld. cap. 44.

VI. Sexta Differentia est in Confessione quæ fit ante Missam, præmisso psalmo *Judica me Deus* quem nos omittimus. Et certe arbitrarium fuisse illum dicere vel omittere dicit Paris

Bona ubi supra.

ANNUS 1183

Crassus apud Bonam. Igitur post signum Crucis hunc psalmi versum : *Pone Domine custodiam ori meo* præmittimus ; qui etiam recitatur juxta Ecclesiæ Lugdunensis ritum. Nostrum vero *Confiteor,* quod iisdem prorsus verbis reperitur in Ordinario Bursfeldensium, multum a Confessione differt qua nunc omnes alii utuntur ; sed nostram esse antiquiorem illiusque formam apud Veteres reperiri Docti omnes optime norunt. Hanc vero facimus non ante altaris medium, sed ad sinistram illius partem, sicut olim fecisse Cluniacenses legimus in sæpe citatis eorum Consuetudinibus. Sed et in Ecclesiis Remensi et Laudunensi prædicta Confessio non fit ante altare, sed in ipso sacrario antequam sacerdos ad altare accedat : et id quidem juxta morem Apostolicum, si Antonio Bellotte prædictæ Laudunensi decano, et ejusdem rituum explanatori doctissimo credimus. « Hunc, inquit, Apostolicum morem ab ipsis Ecclesiæ incunabulis ad nos usque deductum, luculenter testatur metropolitana Remensis Ecclesia ab ipsis Apostolorum temporibus orta et edocta, in qua celebrans, assumptis in sacrario vestibus ibique ante imaginem Crucifixi profunde inclinatus, confessionem facit cum ministris ; qua peracta chorum ingreditur. » Deinde de Cluniacensibus et Cartusiensibus subjungit : « Eumdem ritum æmulantur etiamnum hodie, licet aliquantulum diversimode, Ordinis Sancti Benedicti, Cluniacensis nec non rigidioris vitæ Cartusianæ sectatores, dum generali Confessione levioris notæ maculas eluunt ante gradus altaris, a parte Evangelii versa facie ad Austrum (quia ab Austro, inquit Propheta, Dominus veniet) ubi Confessionem ipsam peragunt, » non tamen sine stola et casula, ut idem autor subdit ; hanc enim Confessionem nos Cartusienses cunctis vestibus sacerdotalibus induti facimus.

Psalm. 140.

Ord. Bursf. cap. 43.

Anton. Bellotte in observat. ad ritus Eccl. Laudun. pag. 357.

Post Confessionem solum versiculum *Adjutorium nostrum* subdimus, quod etiam reperitur in Missa, cui sancti Gregorii nomen tributum est, edita Parisiis studio Joannis a S. Andrea. Unum satis singulare ante quingentos annos nostro in Ordine observabatur : quando scilicet sacerdos Missam privatam

celebrans, aliquem præter diaconum sive ministrum adesse animadvertebat, ad *Confiteor* addebat *et vobis fratres*. Unde colligimus quod quando solus aderat minister, in singulari diceret, *et tibi frater*. Sic enim in supplementis ad Guigonis Statuta sub Basilio editis legimus : « Ad Missam privatam, si sciat sacerdos esse in ecclesia coquinarium vel alium, dicit *Confiteor Deo*, *etc.*, *et vobis Fratres*, et *Misereatur vestri*. » Sed nunc etsi unicus intersit ministrans, eadem dicenda sunt. His enim verbis non solum præsentes indicantur, sed et ipsa Ecclesia quæ est una in multis et tota in singulis, ut docte probat Petrus Damiani in opusculo ad Leonem inclusum. Quamobrem Franciscus a Puteo in sua Compilatione præcipit ut « sacerdos celebrans, ad Confessionem quæ fit in Missæ initio, dicat *et vobis fratres* et cætera in plurali, quamvis solus sit qui juvet eum, ut in hoc servetur uniformitas. »

ANNUS 1183

Idem lib. 1. cap. 13. sub finem.

VII. *Septima Differentia*. Decantato hymno *Gloria in excelsis* vel, si non dicitur, post precationem *Kyrie eleison*, Conventum salutamus dicentes *Dominus vobiscum*, stantesque in cornu Epistolæ; nec enim ad medium altaris ante tabernaculum accedimus, ut alii faciunt. Hunc usum, ut verisimile est, ab Remensi et Laudunensi Ecclesiis habemus, ubi sacerdos ad Epistolæ cornu, Introitum, *Kyrie eleison, Gloria in excelsis, Dominus vobiscum*, et Orationes, ut ipsi facimus, recitat ; nec dicendi sumus hæc omnia propter augustissimi Sacramenti reverentiam observare. Alioquin idem observandum esset, quando post Evangelium ad Conventum vertimur. Quidam tamen seculares sacerdotes, in solemnibus Missis morem nostrum imitantes, ad *Kyrie eleison* et *Gloria in excelsis* in Epistolæ cornu remanent ibique populum salutant. Aliquid etiam non absimile de Episcopis et Superioribus refert Durandus : « Illud autem notandum est quod sacerdos stat erectus ante altare, etc. » Episcopi autem et Superiores celebrantes, non ante altare sed remoti ab illo, ad dextrum ejus latus usque post dictum Offertorium manent. »

Durand. l. 4. cap. 11.

VIII. *Octava Differentia*. Cartusiensis sacerdos quamdiu est vestibus sacris indutus, maxime per totum Missæ sacrificium,

ANNUS 1183

Ord.Cartus. cap. 25 et 27.

nunquam in genua procumbit, sicut sæpius alii faciunt sacerdotes : et id quidem, ut nostrum habet *Ordinarium,* « propter reverentiam personæ quam repræsentat » ; sed genuflexionum loco profundas inclinationes, quando opus est, iterat. Idem etiam in Consecratione et Communione exequitur. Tunc enim licet utrumque poplitem leviter flectat, genua tamen minime usque ad terram demittit. Hujusmodi profundas totius corporis incurvationes olim servabant Benedictini, Cistercienses, ac præsertim Cluniacenses ut ex eorum Usibus discimus. Eas etiamnum in pluribus Ecclesiæ Gallicanæ Cathedralibus, et nominatim in Remensi et Laudunensi, pro genuflexione in usu esse scribit citatus Bellottus. Hic præterea disquirens an genuflexio sit inclinatione nobilior, nostrum ritum laudat, quem Cluniacenses vocabant « facere ante et retro », id est, profunde corpus inclinare. « Inde haud dubie crediderim (inquit ille liberalis nostrorum usuum Encomiastes) Ordinis Cartusiani presbyteros, etiamnum sacris Mysteriis operantes, in nulla tremebundi Sacrificii parte ad Eucharistiam genuflectere; sed per totum Missæ decursum sacrosanctum Christi Corpus et Sanguinem media inclinatione jugiter adorare solitos. » Unde et nos vocat « tenacissimos Cartusianæ vitæ professores ».

Bellotte ubi supra. p. 53. et seqq.

IX. *Nona Differentia.* Diaconi apud nos, dum Sacris ministrant, sola cuculla ecclesiastica induuntur, stola tantum superposita cum Evangelium legunt ; alii vero dalmaticis utuntur. Sed mos noster antiquior est, olim quippe Diaconi solo utebantur colobio, quod propria Monachorum vestis, cucullæ similis postmodum fuit. Præterea nostri Diaconi stolam ipsi cucullæ ecclesiasticæ superpositam gerunt; alii vero eam dalmaticæ supponunt; quod novum esse apud Latinos asserit Goarius, qui in suis ad ritus Græcorum Commentariis adnotat Græcos stolam diaconalem gestare dalmaticæ superpositam. Unde patet nos morem antiquissimum retinuisse.

Cangius in Glossario.

Morin. de Sacr. Ordination. part. 3. Exerc. 11. c. 3. et Exerc. 12. c. 2.

X. *Decima Differentia.* Nostri Subdiaconi ad altare non accedunt, nihilque in Sacris exequuntur, nisi quod Epistolam

legant sine manipulo, solaque veste monachali contecti. Nec mirum : etsi enim priscis temporibus Subdiaconi sanctuarium Diaconis ministrandi causa ingrederentur, ad ipsum tamen altare, ut in eo per seipsos juxta morem hodiernum inservirent, non accedebant. Suo etiam fungebantur ministerio sola alba induti, quam supplet nostra vestis talaris. Nec olim manipulus proprium fuit Subdiaconorum indumentum, quod nec ad Ordinationem eorum pertinebat. Imo primis temporibus spoliati, id est nulla sacra veste induti, procedebant, sicut apud nos fit. Cui mori testimonium perhibet S. Gregorius ad Joannem episcopum Syracusanum sic scribens : « Subdiaconos autem, ut spoliatos procedere facerem, ut antiqua consuetudo Ecclesiæ fuit; sed quia placuit cuidam nostro Pontifici, nescio cui, qui eos vestitos procedere præcepit, etc. » ANNUS 1183

Gregorius Epist. lib. 7. Indict. 2. Epist. 64.

Undecima Differentia. Ad Evangelii benedictionem dicimus : *Dominus sit in corde meo et in labiis meis, ut rectè pronunciem Evangelium pacis.* Et in majoribus Missis eadem verba, mutata tantum persona, ad Diaconum dicimus. Similis autem benedictio reperitur in Missa antiqua ab Illyrico edita : « Dominus Deus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut nuncies competenter Evangelium pacis. » XI.

Duodecima Differentia. Aquam cum parvo cochleari in calicem fundimus; idque facimus ne plus aquæ quam vini infundatur. Præscribunt namque nostra Statuta, ut ultra unam aut duas aquæ guttas vino non misceamus. Quod et a multis probatur Doctoribus, qui minimam censent guttam ad mysterium significandum sufficere. Dum vero sic aquam in calicem mittimus, hæc verba : *De latere Domini nostri Jesu Christi exivit sanguis et aqua, etc.* pronunciamus. Quæ etiam in Lugdunensi Ecclesia, et in quibusdam aliis similiter recitantur. XII.

Ordinar. Cartusiense, cap. 29. n. 12.

Bona lib. 2. cap. 9.

Tertia decima Differentia. Dum digitos abluimus, versum dicimus : *Lavabo inter innocentes manus, etc.* cum uno tantum vel duobus sequentibus versibus; sed psalmi residuum alii prosequuntur. Ab aliquibus in Polonia totus psalmus omit- XIII.

ANNUS 1183 titur. Antiqua vero Missa Romana primum tantum præscribit ejusdem psalmi versiculum.

XIV. *Quarta decima Differentia.* Calicem et panem patenæ superpositum simul offerimus ; alii vero primum patenam cum hostia, deinde calicem cum vino offerunt. Eumdem ac nos ritum observant Sarisburiensis Ecclesiæ Sacerdotes, et olim

Liber usuum Cisterc. c. 53. antiqui Cistercienses cum unica perinde ac nos oratione. In Rubrica quoque Missalis Mosarabici, notatur quod « Sacerdos offert hostiam cum calice. »

XV. *Quinta decima Differentia.* Dominicis diebus festisque Sanctorum, statim post Offertorium thus adoletur. Non similis est in omnibus Ecclesiis thurificandi ritus; sed nostrum videmur a Remensibus et Laudunensibus mutuati, ut ex Anto-

Bellotte ubi supra p. 498. nio Bellotte colligimus, qui postquam modum adolendi thuris ex Laudunensis Ecclesiæ Ordinario descripsit, sic de more nostro subdit : « Hujusmodi thurificandi modus convenit omnino cum ritu Cartusianorum, apud quos thurificaturus dicit :

Ordinar. Cartusien. c. 26, n. 21. *Dirigatur oratio mea, etc.,* postea semel thurificat super calicem et hostiam in modum crucis dicens : *In nomine Patris, etc.* Et semel in modum coronæ ducendo thuribulum ab Epistolæ cornu versus alterum post calicem, deinde semel ad crucem, semel ad cornu Epistolæ, semel ad cornu Evangelii, et ter inferius ante faciem altaris, etc. » Hactenus sunt verba Ordinarii nostri. Statimque Bellottus sic prosequitur : « Quem ritum arbitrarer ab omnibus hujus Provinciæ diœcesibus colendum, cum et eumdem B. Bruno quondam Remensis

Franc. Rothomagensis Archiep. Tractatu de quo superius. Ecclesiæ Canonicus, et teste Francisco Rothomagensi archiepiscopo rituum veterum Ecclesiæ studiosus investigator, ab eadem Remensi Provincia ad proprium Cartusianæ prolis Ordinem transmiserit inviolabiliter observandum. »

XVI. *Sexta decima Differentia.* Sacerdoti post Offertorium dicenti *Orate fratres,* non respondemus *Suscipiat Dominus;* quod etiam multi quondam omittebant, et in majoribus Missis hodie omittitur. Est et discrimen in verbis. Alii enim hæc tantum verba proferunt : *Orate fratres,* quibus addimus *pro me peccatore ad Dominum Deum nostrum.* Quæ verba repe-

riuntur in codice Zeliano, ac in eo quo usus est Illyricus additur *pro me misero peccatore.* Dum vero vertimur ad populum, non facimus circulum integrum; sed revertimur per idem dexterum latus quo nos verteramus. Qui mos etiam legitur inter Cisterciensium usus in ipsorum *Monastico.* ANNUS 1183

Decima septima Differentia. Quoties signum Crucis facimus super nos vel super alios, tribus dexteræ manus digitis, scilicet pollice, indice et medio extensis et simul junctis, reliquis duobus digitis contractis, illud efformamus, juxta ritum olim a Græcis et Latinis usitatum. Quod etiam apud nos sacerdos cruces vel benedictiones in Missa, vel alibi faciendo, semper, ut in Statutis præcipitur, observat. Alii vero sacerdotes quinque digitis extensis junctisque, benedictiones impertiuntur. Quod etiam faciunt Episcopi, sed extra Sacrificii cærimonias, quando populis benedicunt, digitis annulari et minimo compressis, tres alios extendunt. Hunc modum exprimit Lucas episcopus Tudensis, hic verbis : « Tribus digitis extensis, id est, pollice, indice et medio, duobus aliis digitis plicatis, sub invocatione deificæ Trinitatis nos et alios consignamus, ut Trinitatem personarum in unitate Deitatis manifestis præconiis fateamur. » Hæc ille. Nostrum igitur morem videmur ab ipsis Episcopis recepisse. Innocentius III, referente Gavanto, scripsit tribus digitis signum Crucis exprimendum esse, quia sub invocatione Trinitatis imprimitur. XVII.

Ordinar. Cartusien. c. 14. n. 6.

Lucas Tuden. adversus Albigens. errores, lib. 2. cap. 18.

Gavant. part. 2 et 3.

Decima octava Differentia. Calicem post Consecrationem corporali semicoopertum parum elevamus, quem alii alte elevant et plane discoopertum. Sed neque in hoc autoritate caremus : nam in Missali Mozarabico post verba Consecrationis subdit Rubrica : « Hic elevetur calix coopertus cum filiola. » Et Durandus quasdam esse Ecclesias notat, quæ duas habent pallas corporales, et ibi calicem elevari coopertum cum earum altera. XVIII.

Durand. Rational. divin. Offic. l. 4. c. 42.

Decima nona Differentia in eo consistit, quod in sanctissimæ Hostiæ elevatione, et toto tempore quo mysterium consecrationis tum Corporis tum Sanguinis Christi peragitur, altum fit inter nos silentium, nec ulla canitur antiphona; et XIX.

ANNUS 1183

id quidem juxta veteris Ecclesiæ morem. Recens enim est consuetudo, qua versiculus hic, *O salutaris Hostia, etc.,* vel alius similis, aut aliqua antiphona plerisque in Ecclesiis canitur. Pia est quidem hæc consuetudo, nec eam damnat Ecclesia; licet a suis filiis Deum reverentissimo tunc temporis coli silentio potius requireret, ut quædam Concilia declararunt. Synodus Augustensis anno 1548 celebrata vult, ut « sub elevatione sacræ Hostiæ, antiphonæ ad hoc sacrificium tantum pertinentes cantentur. Quamquam melius et veteri Ecclesiæ convenientius esset, præsentiam dominici Corporis in altissimo silentio prostratos contemplari. » Anno sequenti Concilium secundum Provinciale Trevirense præcipit, ut in elevatione Corporis et Sanguinis Christi, et post usquedum cantatur *Agnus Dei,* sileant organa; prohibetque « ne ulla cantetur antiphona, neque pro pace, neque adversus pestem aut mortalitatem, sed silenter pro se quisque, aut flexis genibus aut prostratis humi corporibus, Passionis ac mortis Christi commemorationem faciat, etc. » Deinde statuit « ut sub summo Sacro nulli sacerdotum liceat eodem in templo sacram rem facere. » Quod nos religiosissime observamus.

Concil. August. c. 18. de celebrat. missarum.

Concil. Trevir. 2. cap. 9. de Missæ offic.

XX. *Vigesima Differentia.* Post Consecrationem manus in formam crucis expansas tenemus, quod olim Cistercienses quoque faciebant; digitos vero, pollicem videlicet ac indicem disjungimus, nisi quando manus cancellamus vel dexteram ad pectus vertimus : tunc enim junctos illos digitos tenere debemus. Quem quidem ritum nullus veterum Scriptorum indicat; huncque non approbat Gavantus. Sed juxta *Micrologum,* « cum Sacerdos per totum Canonem in expansione manuum, non tam devotionem quam Christi in Cruce extensionem designet, hinc sequitur quod digiti non sunt contrahendi semper, ut quidam præ nimia cautela faciunt. Male enim cauti sumus, si Christum imitari summopere non studemus. Congruum ergo est ut manus infra Canonem expandamus. Hoc tamen observato, ut ne quid digitis tangamus præter Corpus Domini. » Quæ quidem cautio etiam habetur in Statutis nostris. « Caveat, inquiunt, diligenter Sacerdos, ne

Gavant. tit. 8. p. 2.

Microlog. de Ecclesiast. observat. cap. 16.

Ordinar. Cartus. c. 27. num. 5 et 6.

aliud quippiam indice aut pollice aliquo tangat, usque ad ablutionem digitorum post Communionem. » Et paulo post monetur sacerdos ut « in calicem excutiat digitos quibus hostiam tenuit; quod semper faciat, quoties hostiam consecratam contrectaverit, ea deposita ; ne forte aliquod fragmentum digitis adhæserit. » ANNUS 1183

Vigesima prima Differentia. Post hostiæ fractionem semel dicimus *Agnus Dei* ante Communionem, et bis post Communionem ; alii vero Sacerdotes ter repetunt et quidem continenter, statimque post confractam hostiam et immissam in calicem illius particulam. Hujus deprecationis autorem omnes antiqui Scriptores faciunt Sergium Papam, quem etiam quidam credunt instituisse ut ter diceretur. Sed Alcuinus, Amalarius, Fortunatus, et plures alii nihil habent, nisi obscure, de trino illo *Agnus Dei* numero. In Liturgia sancti Petri nomine, falso ut creditur inscripta, semel eadem deprecatio indicitur ; verum morem nostrum distincte descriptum nusquam potui reperire. Illum tamen tueri possumus, quodam non absimili usu hodie in Ecclesia Remensi quibusdam in Missis observato, ubi hanc orationem præcentor primum bis decantat ; deinde facta mora Chori, Clericus puer ad sanctuarii gradus accedens tertium *Agnus Dei* subjungit. XXI.

Bona lib. 2. cap. 16. num. 5.

Dum hæc typis excudenda recoleremus, editas nuper Edmundi Martene Congregationis sancti Mauri Ordinis S. Benedicti, monachi nunquam satis laudandi, *De Antiquis Monachorum Ritibus* lucubrationes recepimus, non abundantem solum exquisitamque præ se ferentes literaturam, sed quod præcipuum est, pietatem ac monasticorum rituum amorem et reverentiam juxta piam sui autoris mentem lectoribus maxime religiosis adspirantes. In his igitur autoritates reperimus, quibus hunc nostrum circa *Agnus Dei* ritum firmemus. Ibi enim legimus quod apud veteres Cistercienses, dicto semel *Agnus Dei*, Conventus genuflectebat, factaque mora unius *Pater noster,* Cantor secundum *Agnus Dei* subjungebat. Sangermanenses etiam (id est monachi abbatiæ S. Germani Parisiensis) secundum et tertium *Agnus Dei* non can-

Lib. 2. c. 4. §. 3. art. 7.

Lib. usuum Cisterc. c. 56.

Consuetud. mss. Abbat. S. German.

ANNUS 1183

tabant nisi facta Fratrum Communione. Quæ omnia stricte observamus.

XXII. *Vigesima secunda Differentia.* Unam tantum adhibemus orationem ante Communionem, scilicet *Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, etc.*, quæ reperitur in Missa latina a Cardinali Bona edita iisdem verbis, tribus tantum aut quatuor resecatis. Cæterum tam hæc oratio quam aliæ duæ, quas alii sacerdotes Romano ritu recitant, non ex antiqua Summorum Pontificum institutione, sed ex religiosorum traditione inventas admonet ex Micrologo idem Cardinalis. Ipsique « diligentiores antiquiorum traditionum observatores, nos in hujusmodi privatis orationibus brevitati studere docuerunt, » ut idem Micrologus loquitur. Præmissa igitur solummodo præfata oratione, divina Sacramenta suscipimus, tacentes etiam illam oratiunculam quam alii ter ingeminant, nempe *Domine non sum dignus, etc.* Qui quidem versus evangelicus, licet in quibusdam Missalibus Mss. antiquis reperiatur, in plerisque tamen deest et præsertim in Remensibus. Unde noster ritus videtur antiquitati magis congruere.

Microlog. ubi supra.

X III. *Vigesima tertia Differentia.* Post Calicis sumptionem sacerdos, juxta S. Thomam, « perfundit vino digitos quibus Corpus Christi tetigerat; » quod olim Cluniacenses et nos hodie facimus, non autem aqua et vino more aliorum. Verumtamen calicem aqua post Missam lavamus; sicque nostra purificatoria nihil de colore vini recipiunt. Olim apud nos sacerdos juxta Antiqua Statuta primam tantum ablutionem sumebat, diaconus vero alteram : « Sumpto Sanguine sacerdos omni tempore primam sumat ablutionem, nullo intervallo interjecto. » Et postea : « Omni tempore quo Missa cantatur, ipse qui sacerdotem adjuvat, sive communicet sive non, accipit calicem, vino lavat, et sumit tantummodo quando communicat. Alias vinum dimittitur in sacrarium, et calix sicut in aliis Missis reversatur super patenam. » Aliquid simile apud Cistercienses veteres agebat diaconus « qui, recepto calice, respergat digitos suos in ipso, quem ponens super altare eat ad piscinam abluere in ipsa digitos aqua,

S. Thom. p. 3. q. 83. art. 5. ad 10.

Ant. consuet. Cluniac. l. 2. c. 30.

Stat. antiq. p. 1. c. 43. n. 45 et 55.

quibus tersis redeat ad altare sumere vinum quod dimisit in calice. Quo sumpto iterum aspergat calicem vino. Quo hausto, ponat illum non reclinatum super altare juxta patenam. » Sed nos etiam hodie calicem reclinamus; quod olim quosdam etiam fecisse scribit Durandus. « Quidam, inquit, hausta purificatione, inclinant calicem ad ostendendum sepulchrum esse vacuum. » Quidam post secundam ablutionem labia abluunt, quod olim in Majori Cartusia non fiebat nisi post absolutam Missam. Nam in antiquo Cæremoniali legimus quod finita Missa, « ante gradus descensum debet manus abluere, et etiam labia oris si voluerit, propter reverentiam Sacramenti. »

ANNUS 1183

Durand. ubi sup. cap. 55. in fine.

XXIV. *Vigesima quarta Differentia.* Sacerdos apud nos, tam in privatis quam in Conventualibus Missis, statim post sumptam sacram Communionem, adstantibus, qui volunt, divinum Christi Corpus porrigit. Contra hunc ritum antiquissimum et in Rubrica Missalis Romani expressum, multi hodie cœlestem panem post absolutam Missam laicis impertiri differunt. Porro dum alios communicamus, hanc facimus deprecationem : *Corpus Domini nostri Jesu Christi, etc.*, quæ apud Veteres reperitur. Alii vero sacerdotes addunt : *Confiteor, Ecce Agnus Dei, Domine non sum dignus*, quæ nos tacemus; nam revera eorum usum recentem esse fatetur Gavantus in Rubricas Missalis, part. 2ª, tit. 10.

XXV. *Vigesima quinta Differentia.* Postcommunionem, *Dominus vobiscum,* et *Ite Missa est* ad cornu Epistolæ, deinde ad medium Altaris orationem *Placeat* dicimus; quæ omnia exequuntur Remenses Canonici. Porro apud nos, sacerdos tam in Missis privatis, quam in majoribus diaconus *Ite Missa est* dicit verso vultu ad altare. Alii vero ad populum faciem vertunt. Nihil apud Scriptores reperitur de hujus cærimoniæ differentia, quam hac ratione tueri possumus, quia ad Missas nostras passim populum non admittimus juxta antiquam Monachorum consuetudinem, quam nos ad hoc usque tempus observasse notat, et inde laudat, cardinalis Bona.

Bona lib. 1. c. 13. n. 3.

ANNUS 1183

XXVI.

Vigesima sexta Differentia. Propter eamdem rationem, post Missam non impertimur Benedictionem, cujus usum recentem esse omnes conveniunt, ut multis possemus autoritatibus probare. Et etiamnum Ecclesiæ Remensis Canonici, post majorem Missam, nullam populo largiuntur benedictionem, quam a Gallicanis Cathedralibus Ecclesiis necdum receptam esse asserit jam sæpe citatus Bellottus. Quod spectat S. Joannis Evangelium *In principio erat Verbum,* quod jam seculo XIV in quibusdam Ecclesiis post Missam legi solitum fuisse discimus ex Vita Gerardi Magni, qui docens modum pie Missam audiendi : « Ora, inquit, in abscondito Deum a *Sanctus* usque ad Pacem; et deinde sive capias sive non, usque ad Evangelium S. Joannis. » Illud tamen omittimus; quia ante Pii V tempora ejus lectio pendebat ex uniuscujusque sacerdotis arbitrio. Etsi vero præfatus Summus Pontifex in Missalis recognitione illud legi præceperit, ad id nihilominus non tenemur; quandoquidem ipse Pontifex, in sua Constitutione anno 1570 super hoc edita, permisit Ecclesiis et Ordinibus uti « consuetudine vel institutione Missarum celebrandarum, quæ super ducentos annos in eisdem Ecclesiis assidue observata fuerat. »

Bellotte ubi sup. p. 133.

Thom.Campen. ad ejus vitæ calcem art. de Sac. libris studendis.

Bona lib. 2. c. 20. n. 5.

Ritus Cartusiensium a Pio V approbati.

Qua quidem Pontificiæ bullæ clausula, ritus nostri et cæremoniæ totumque Missale tacite approbantur : quandoquidem jam tum ab annis non ducentis modo sed quingentis in eis perseverabamus, et etiamnum perseveramus. At non ita accidit de Breviario, quo antiquitus utebamur, maxime quoad Psalterium. Illud enim Majores nostri juxta translationem S. Hieronymi Gallicanam accurate diuque conservarunt, ut Radulphus Tungrensis libro *De Canonum observantia* his verbis testatur : « Ambrosiani utuntur speciali translatione Psalterii; Romani autem habent translationem B. Hieronymi, quæ Romana appellatur, ex qua officium est sumptum. Aliæ nationes utuntur translatione Hieronymi, quæ dicitur Gallicana, quam nos habemus. Et hanc apud paucos bene correctam et distinctam invenietis, nisi in antiquis Psalteriis et apud Cartusienses. » Hanc igitur translatio-

Qua Psalterii translatione usi sunt veteres Cartusienses.

Radulphus Tungr. propositione 8. in fine.

nem retinuimus usque ad tempora Pii IV, sub quo Cardinales Sacri Concilii Tridentini interpretes declararunt « Cartusianos obligatos esse uti veteri et vulgata editione Sacræ Scripturæ, secundum usum S. R. Ecclesiæ. » Verum quia ipsa Vulgata non semel posthac sustinuit correctiones, quas Nostri non semper novis Breviarii editionibus addiderunt, hinc factum est quod nuper, anno videlicet 1687, cum Sacræ Rituum Congregationi juxta mandatum Apostolicum, tam Missale quam Breviarium nostrum examinanda exhibuissemus, ipsa Sacra Congregatio quasdam sed paucas variantes lectiones ad Vulgatam Romanam revocari et corrigi præceperit. Cæteras vero, propter venerandam antiquitatem, intactas relinqui voluit, cum hoc tamen non satis æstimando emolumento, quod omnes Missalis et Breviarii Rubricæ approbatæ tunc fuerint et confirmatæ, ac eorum observantia omnibus Cartusiensibus imperata propter reverentiam antiquitatis, ut ex ipso decreto, quod idcirco subjicimus, apparet :

Missale Cartusiense approbatur.

« Cum Sacra Rituum Congregatio, sub die 14 Junii an. 1687, me referente decreverit licere Patribus Cartusianis uti Missali et Breviario quibus utuntur, ac etiam sacris Bibliis quæ sunt eadem ac Vulgata S. R. Ecclesiæ, cætera vero quæ majori indigebant discussione ad mentem mei tanquam Ponentis dimiserit ; adhibita diuturna diligentia declaro quod mens est ut, retentis cæteris quæ venerandæ innituntur antiquitati ac conformia etiam prisco Ecclesiæ Romanæ usui perspexi, cum nova fiet editio Breviarii 1643 et Missalis anno 1679, corrigantur infra scripti loci in hunc qui sequitur modum. Præterea ut omnis imposterum novitati obstruatur aditus, mens est sic omnes præfatorum Breviarii Missalisque Rubricas, ac in eis citata Statuta seu Ordinarium Cartusiense ab omnibus Cartusianis observari debere, ut nec in majori ecclesia cartusiæ Romanæ, nec in quibuslibet aliis Ordinis ecclesiis aut sacellis ad eos pertinentibus, ulli unquam eorum licitum sit, sine Capituli generalis consensu, quidquam in Officiis divinis, maxime vero in Missæ ritu et celebratione, omittere, addere, immutare, vel peragere contra

ANNUS 1183

aut præter præfatas Rubricas, Ordinarium et Statuta; sed id in iis tantummodo ecclesiis liceat quæ de Ordine Cartusiano non sunt, juxta numerum 16 cap. 32 dicti Ordinarii, seu primæ Partis Statutorum. In quorum omnium fidem hac die nona Novembris an. 1687. » [Sic signatum, L. cardinalis Colloredus, Ponens.] Deinde sequebantur correctiones variantium Lectionum in Missali numero decem et quinque, et in Breviario numero quadraginta novem, cum ejusdem Cardinalis chirographo; cui statim subjicitur Sacræ Congregationis decretum in hæc verba :

« Sacra Rituum Congregatio, ad pias preces R. P. D. Joannis Baptistæ Berger Procuratoris generalis Ordinis Cartusiensis, inhærendo decreto alias sub die 14 Junii proxime præteriti emanato, suprascriptas correctiones Missalis et Breviarii prædicti Ordinis diligenter revisas ab Eminentissimo et Reverendissimo Dom. cardinali Colloredo, ejusque totum votum seu decretum, prout jacet, approbavit ac imprimi posse concessit, die 22 Novembris 1687. Sic subscriptum : A. cardinalis Cybo, et inferius, Bernardus Casalius Sac. Rit. Congregationis secretarius. »

Studium Cardinalis Colloredi in examinandis nostris ritibus.

Vix credi potest quantum laboris et studii in hoc examen contulerit eminentissimus cardinalis Colloredus. Ut enim vir est antiquitatis Ecclesiasticæ peritissimus, collibuit sibi quos olim legerat, libros antiquos revolvere, ex quorum diligenti collatione animadvertens magnam nostrorum Rituum cum veteribus concordiam, fassus est non parvam inde sensisse consolationem, quod in Ecclesia Dei unus haberetur Ordo Cartusiensis, qui post sex a sua Institutione secula, adeo Antiquorum vestigiis institerit, ut tot inter Rituum et Cæremoniarum vicissitudines nullam, aut vix ullam in eis mutationem vel novitatem admiserit.

Cartusienses extra Domum celebrantes aliorum sacerdotum ritus imitentur.

Quod autem idem eminentissimus Cardinalis in præfato suo decreto declarat, nempe nobis, in ecclesiis quæ non sunt de Ordine nostro celebrantibus, licere Missæ ritus immutare; istud jamdiu ante a priscis Patribus statutum legimus in Charta anni 1422 his verbis : « Cum sacerdotes nostri celebrabunt in ec-

clesiis aliis quam de Ordine nostro, volumus quod in modo Confessionis dicendæ coram altari, et in elevatione Calicis duntaxat, conforment se cum aliis sacerdotibus. » Sed hanc licentiam post octo et decem annos amplificavit noster Franciscus Maresmus « in dicendo *Agnus Dei,* in benedicendo populum post Missam. » Puteanus vero in sua Compilatione addidit : « Et in cæteris quæ sine scandalo omitti non possunt. » Quæ etiam inseruntur Ordinario quo nunc utimur.

ANNUS 1183

Ex Charta 1438.

3. Compilat. c. 1. n. 58.

EXPLICIT VOLUMEN SECUNDUM

INDEX

INDEX

ANNALES ORDINIS CARTUSIENSIS

SECULUM PRIMUM

(prosequitur)

Jesu Christi annus 1142.

Annus 1143.

Annus 1144.

Annus 1145.

Annus 1146.

Annus 1147.

Annus 1148.

Annus 1149.

Annus 1150.

Annus 1151.

Annus 1152.

Annus 1153.

Annus 1154.

Annus 1155.

Annus 1156.

Annus 1157.

Annus 1158.

Annus 1159.

Annus 1160.

Annus 1161.

Annus 1164.

Annus 1165.

Annus 1166.

Annus 1167.

Annus 1168.

Annus 1169.

Annus 1170.

Annus 1171.

Annus 1172.

Annus 1173.

Annus 1174.

Annus 1175.

Annus 1176.

Annus 1177.

Annus 1178.

Annus 1179.

Annus 1180.

Annus 1181.

Annus 1182.

Annus 1183.



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolij.
ERN. DUQUAT typographus.